
UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 01882474 8





Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Ottawa

http://www.archive.org/details/lasaintebibletex26pari


UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

LA

SAINTE-BIBLE

THESAURUS BIBLICUS

LA

SAINTE BIBLE

TEXTE DE LA VULGATE, TRADUCTION FRANÇAISE EN REGARD

AVEC COMMENTAIRES

THÉOLOGIQUES, MORAUX, PHILOLOGIQUES, HISTORIQUES, ETC., RÉDIGÉS D'APRÈS LES MEILLEURS TRAVAUX ANCIENS ET CONTEMPORAINS.

TABLE HOMILÉTIQUE

OU

THESAURUS BIBLICUS

Auctore PH.-P. MERZ

Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est.
S. HIERON.



PARIS
P. LETHIELLEUX, LIBRAIRE-ÉDITEUR
10, rue Cassette, 10
1892

APR 16 1952

THESAURUS
SACRÆ SCRIPTURÆ

A

ABNEGATIO *sui ipsius.*

Dixit Dominus ad Abraham : Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi. *Gen.* 12. 1.

(Dixit Dominus ad Abraham) : Tolle filium tuum — atque offeres eum in holocaustum. *Ibid.* 22. 2.

At ille (Eleazarus) gloriosissimam mortem, magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. 2. *Mach.* 6. 19.

(Christus ait Petro et Andreæ) : Venite post me; faciam vos fieri piscatores hominum : at illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. *Matth.* 4. 19.

Qui invenit animam suam perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Ibid.* 10. 39.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Ibid.* 16. 24. *Item. Luc.* 9. 24.

Si vis perfectus esse, vade, et vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Ibid.* 19. 21. *V. Marc.* 10. 21.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 26.

Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam : et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. *Ibid.* 17. 33.

Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12. 25.

Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. 1. *Cor.* 9. 27.

ABNEGATIO *omnium rerum.*

Dixit Dominus ad Abraham : Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi. *Gen.* 12. 1.

Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponat vir gladium super femur suum — et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum. *Exod.* 32. 27. *V. et Deuteron.* 33. 8. 9.

Annuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui, et quod reliqueris parentes tuos, et terram, in qua nata es, et veneris ad populum, quem antea nesciebas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. *Ruth.* 2. 11.

Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum — cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum : (qui, relictis omnibus, secutus est eum). 3. *Reg.* 19. 19.

Dominus dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum. *Job.* 1. 21.

Respondens Petrus dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis ? Centuplum accipietis (ait Christus), et vitam æternam possidebitis. *Matth.* 19. 27.

Dixit eis Jesus : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum ; et continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. *Marc.* 1. 17.

Cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te, etc. Respondens Jesus ait : Amen dico vobis, etc. In futuro sæculo (accipies) vitam æternam. *Ibid.* 10. 28.

Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. *Luc.* 5. 11.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, etc. adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Ibid.* 14. 26.

Qui non renuntiat omnibus, quæ possi-

det, non potest meus esse discipulus. *Ibid.* 14. 32. *V. et.* 26. *Item Matth.* 19. 29.

Ait ei Jesus : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me. *Ibid.* 18. 22.

Hoc autem dico vobis, fratres : tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint. 1. *Cor.* 7. 29.

Non acquievi carni et sanguini. *Galat.* 1. 16.

ABSTINENTIA *a quibusdam cibis.*

De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque autem die comederis ex eo, morte morieris. *Gen.* 2. 17.

Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? *Ibid.* 3. 11.

De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus. *Ibid. v.* 3.

Excepto quod carnem cum sangine non comederis. *Ibid.* 9. 4. Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum : quasi olera virentia tradidi vobis omnia. *v.* 3.

Non comederis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni : caput cum pedibus ejus, et intestinis vorabitis. *Exod.* 12. 9.

Septem diebus vesceris azymis : et in die septimo erit solemnitas Domini. Azyma comedetis septem diebus : non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. *Ibid.* 13. 6.

Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur, et non comedentur carnes ejus : dominus quoque bovis innocens erit. *Ibid.* 21. 28.

Viri sancti eritis mihi : carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus. *Ibid.* 22. 31.

Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus, usque mane, combures reliquias igni : non comedentur, quia sanctificata sunt. *Ibid.* 29. 34.

Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. *Lev.* 6. 23. *V. et. Ibid. c.* 10.

Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti : quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. Caro quæ tetigerit aliquid immundum non comedetur, sed comburetur igni. *Ibid.* 7. 18.

Quidquid autem ruminat quidem, et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus, et cætera, non comedetis illud, et inter immunda reputabitis. *Ibid.* 11. 4

Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: et quicumque comederit illum, interibit. *Ibid.* 17. 14.

Quidquid autem residuum fuerit, in diem tertium igne comburetis. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, et impietatis reus. *Ibid.* 19. 6.

Morticinum et captum a bestia non comedent, nec polluentur in eis; ego sum Dominus. *Ibid.* 22. 8.

Panem et polentam, et pultes non comedetis ex segete, usque ad diem quam offeretis ex ea Deo vestro. *Ibid.* 23. 14.

Uvas recentes siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur : quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum, non comedent. *Num.* 6. 3.

In sanctuario comedes illud : mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi. *Ibid.* 18. 10. *V. et Ibid.* 30. 14.

Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, et vini, et olei tui, primogenita armentorum et pecorum, et omnia quæ voveris et sponte offerre volueris, et primitias manuum tuarum. *Deut.* 12. 17.

Ne comedatis, quæ immunda sunt. Hoc est animal, quod comedere debetis, bovem et ovem, et capram, cervum, et capream, etc. *Ibid.* 14. 3. De his autem, quæ ruminant, et ungulam non findunt, hæc comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogryllum : hæc quia ruminant et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis. *v.* 7. Sus quoque, quoniam dividit ungulam, et non ruminat, immunda erit. *v.* 8.

Cave, ne immundum quidquam comedas. *Judic.* 13. 4.

Adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem. 1. *Reg.* 14. 24.

Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit

manum ad os suum ; timebat enim populus juramentum. *Ibid. v.* 26.

Dixit autem Saul ad Jonatham : Indica mihi, quid feceris? et indicavit ei Jonathas, et ait : Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paullulum mellis, et ecce ego morior. *Ibid. v.* 43.

Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque : (et placatus est Dominus). 3. *Reg.* 21.27. *V. et v.* 4.

Prædicavit ibi (Esdras) jejunium juxta fluvium Achava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro. etc. 1. *Esdr.* 8. 21. *V. et.* 2. *Paral.* 20. 3. *Item Judic. c.* 20. 26., 2. *Esdr.* 9. *Tob.* 23. *Baruch* 1. 5.

(Nehemias jejunabat et orabat ante faciem Dei cœli). 2. *Esdr.* 1. 4.

(Tobias filium suum) ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. *Tob.* 1. 10.

(Et) cum omnes ederent ex cibis Gentilium, iste (solus) custodivit animam suam, et nunquam contaminatus est in escis eorum. *Ibid.* 1. 12.

Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna. *Ibid.* 12. 8.

Humiliaverunt animas suas in jejuniis. *Judith* 4. 8.

(Judith) jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, et Neomenias, et festa domus Israel, *Ibid.* 8. 6.

(Judith dixit) : Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio : ex his autem, quæ mihi detuli , manducabo. *Ibid.* 12. 2.

Non comedatis, et non bibatis tribus diebus, et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter jejunabo. *Esther.* 4. 16.

Justus comedit et replet animam suam; venter autem impiorum insatiabilis. *Prov.* 13. 25. *et cap.* 27. 7.

Beata terra — cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam. *Eccles.* 10. 17.

Sapiens cor, et intelligibile abstinebit se a peccato, et in operibus justitiæ successus habebit. *Eccli.* 3. 32.

Initium vitæ hominis aqua et panis. *Ibid.* 29. 28.

Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur. *Ibid.* 31. 19.

Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam : in multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram : qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Ibid.* 37. 32.

Si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes : sobrietatem enim et prudentiam docet et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. *Sap.* 8. 7.

Sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam : et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero dierum, quibus dormies super latus tuum : trecentis et nonaginta diebus comedes illud, etc. *Ezech.* 4. 9.

Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere. *Ibid.* 4. 10.

Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus, et rogavit eunuchorum præpositum, ne contaminaretur. *Dan.* 1. 8

Dentur nobis (tantummodo) legumina ad vescendum. *Ibid. v.* 12.

Panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum. *Ibid.* 10. 3. *V. et* 2. *Mach.* 6. 18. 24. (de Eleazaro, qui se abstinuit ab esu carnium porcinarum).

Contigit autem septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos. 2. *Mach.* 7. 1.

Esca autem ejus (Joannis) erat locustæ, et mel silvestre. *Matth.* 3. 4. *V. et.* 1. 18.

(Salvator noster ductus in desertum, ibi jejunavit quadraginta dies). *Matth.* 4. 1. *V. et Luc.* 4. 2.

Beati, qui esuriunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Matth.* 5. 6.

Quomodo intravit (David) in domum Dei, et panes propositionis comedit, quo non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? *Ibid.* 12. 4

(Anna vidua) non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Jejunantibus Apostolis. *Actor.* 13. 2.

Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. *Ibid.* 15. 29.

(Abstinete vos ad tempus, ut expeditius vacetis orationi). 1. *Cor.* 7. 5.

Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos au-

tem incorruptam. *Ibid.* 9. 25. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. *v.* 26.

Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis; caro enim concupiscit adversus spiritum. *Gal.* 5. 16.

Nos autem, qui Dei sumus, sobrii simus. 1. *Thess.* 5. 8. Ab omni specie mala abstinete vos. *v.* 21.

Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. 1. *Tim.* 4. 4.. *V. et v.* 3.

Juvenes hortare, ut sobrii sint. *Tit.* 2. 6.

Carissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. 1. *Petr.* 2. 11. *V. et* 2. *Petr.* 1. 6.

ABSTINENTIA *a vino. V. et.* **Ebrietas** *et* **Gula.**

Vinum, et omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini : quia præceptum sempiternum in generationes vestras. *Lev.* 10. 9.

Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit : et omne liquens, quod bibitur de universo vase, immundum erit. *Ibid.* 11. 34.

A vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione. et quidquid de uva exprimitur, non bibent. *Num.* 6. 3.

Cave ergo, ne bibas vinum et siceram, nec immundum quidquam comedas. *Judic.* 13. 4.

Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccli.* 37. 34.

Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens : Non bibetis vinum, vos et filii vestri, usque in sempiternum. *Jerem* 35. 6.

Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. *Ezech.* 44. 21.

Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et replebitur Spiritu Sancto adhuc ex utero matris suæ. *Luc.* 1. 15.

ABSTINENTIA *a cibo et potu, etsi licitis, propter scandalum alterius.*

Non enim, inquit (Eleazarus), ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur, et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. 2. *Mach.* 6. 24.

Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est ei non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. *Rom.* 14. 20. *et* 21.

Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. 1. *Cor.* 8. 13.

ABSTINENTIÆ *præceptum violare nolentes.*

Qui responderunt (Rechabitæ) : Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens : Non bibetis vinum vos et filii vestri usque in sempiternum. *Jer.* 35. 6.

At ille (Eleazarus) gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium : (eo quod recusaverat carnem porcinam comedere). 2. *Mach.* 6. 19.

Contigit autem, septem fratres una cum matre sua comprehensos, compelli a Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait : Quid quæris, et quid vis discere a nobis? parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari. *Ibid.* 7. 2.

ABUSUS *vestium.*

Non induetur mulier veste virili, nec vir veste fœminea; abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. *Deut.* 22. 5.

Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus. *Prov.* 19. 10.

Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo; et per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta : et per ancillam, cum fuerit hæres Dominæ suæ. *Ibid.* 30. 21.

Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum : pauperem superbum, divitem mendacem, et

senem fatuum et insensatum. *Eccli.* 25. 3.

In illa die auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, etc. *Isa.* 3. 18.

Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum, et simulacrorum fecerunt ex eo : propter hoc dedi eis illud in immunditiam, et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. *Ezech.* 7. 20. 21.

Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei, etc. *Esther* 14. 16.

Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Matth.* 11. 8.

Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis. *Marc.* 12. 38.

Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. *Luc.* 16. 19.

Similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut aureo, aut margaritis, vel veste pretiosa : sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. 1, *Tim.* 2. 9, 10.

Quarum (mulierum) non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. 1. *Petr.* 3. 3.

ACCEPTATIO *personarum. V.* **Persona.**

ACCEPTATIO *munerum.*

(Respondit Abraham) : Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli et terræ : quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas : Ego ditavi Abraham. *Gen.* 14. 22.

Cujus sunt ista quæ sequeris? respondebis : Servi tui Jacob; munera misit Domino meo Esau. *Ibid.* 32. 17.

Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. *Exod.* 23. 8.

Artifices, venire compulsi, dixerunt Moysi : Plus offert populus quam necessarium est, etc. *Ibid.* 36. 4.

Respondit Balaam : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei. *Numer.* 22. 18. *V. et ibid. v.* 7. et 17.

Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis : statim et ipse morietur. *Ibid.* 35. 31.

Quia Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, et Dominus Dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit, nec munera. *Deut.* 10. 17.

Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. *Ibid.* 16. 19.

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam innocentis sanguinis : et dicet omnis populus : Amen. *Ibid.* 27. 26.

Miseruntque filii Israel per illum (Aod) munera Eglon regi Moab, (quæ cum accipere voluerit) : *Judic.* 3. 15. (extendit Aod manum suam, et interfecit eum). *v.* 21.

Dabimus tibi singuli mille et centum argenteos. *Ibid.* 16. 5.

Declinaverunt (filii Samuel) post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3.

Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus : utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum — si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt — neque tulisti de manu alicujus quidpiam, etc. *Ibid.* 12. 3.

(David per munera pueri Siba pervertitur). 2. *Reg.* 16.

Omnia dedit Areuna Rex regi — cui respondens Rex (David) ait : Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. 2. *Reg.* 24. 23.

(Dixit Eliseus ad Giezi) : Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves etc. 4. *Reg.* 5. 26.

Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Paralip.* 19. 7.

Congregatio enim hypocritæ sterilis, et

ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job* 15. 34. *V. Prov.* 14. 20.

Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas : nec multitudo donorum inclinet te. *Ibid.* 36. 18.

Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam : qui autem odit munera, vivet. *Prov.* 15. 27.

Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. *Ibid.* 17. 23. *et c.* 22. 9. *c.* 28. 21.

Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis. *Ibid.* 19. 6. *Eccli.* 4. 36. *et c.* 7. 6.

Xenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. *Eccli.* 20. 31.

Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *Isa.* 1. 23.

Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. *Ibid.* 5. 25. *et c.* 33. 15.

Daniel ait coram Rege : Munera tua sint tibi, et dona domus tuæ alteri da. *Dan.* 5. 17. *V. et.* 1. *Machab.* 10., 1. *Machab.* 12., 2. *Machab.* 4.

Et congregati (sacerdotes) cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus. *Matth.* 28. 12.

Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam — Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem. *Act.* 8. 18.

(Felix sperabat), quod pecunia ei daretur a Paulo : propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. *Ibid.* 24. 26.

Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa. *Judæ* 16.

ACCUSATIO *falsa.*

Ingressus est ad me servus Hebræus etc. *Genes.* 39. 17. *V. et. Librum Esther, præcipue cap.* 3., *Daniel. cap.* 6. *ejusdem cap.* 13. *In N. T. de Christo, Luc.* 23. 2. 10. *et alibi in Evangelio. De Paulo, Act.* 24.

ACEDIA, *seu negligentia.*

Audiens autem Jacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : Quare negligitis? Audivi quod triticum venumdetur in Ægypto : descendite, et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia. *Gen.* 42. 1.

Et tœdere cœpit populus itineris ac laboris, etc. *Num.* 21. 4.

(David venit ad locum in quo dormiebat Saul, et Abner filius Ner princeps militiæ, etc.) 1. *Reg.* 26. 5. *V. et. v.* 7.

Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem dominum tuum. Non est bonum hoc quod fecisti. Vivit Dominus : quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum Christum Domini. *Ibid. v.* 15.

Cum autem ingressi fuissent domum, dormiebat ille (Isboseth) super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum. 2. *Reg.* 4. 7.

(Dum solent reges ad bella procedere, remansit David in Jerusalem, et perpetravit adulterium et homicidium gravissimum ex ista acedia). 2. *Reg.* 11.

Porro Levitæ egere negligentius : Et vocavit rex Joïadam Principem, et dixit ei : Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas, etc. 2. *Paral.* 24. 5.

Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam. *Prov* 6. 6.

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. *Ibid.* 10. 4. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum. *v.* 26.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Ibid.* 12. 11.

Vult et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur. *Ibid.* 13. 4.

Pigrum dejicit timor : animæ autem effœminatorum esurient. *Ibid.* 18. 8.

Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. *Ibid.* 19. 15. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. *v.* 24.

Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi. *Ibid.* 20. 4. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat : aperi oculos tuos, et saturare panibus. *v.* 13.

Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quicquam manus ejus operari. *Ibid,* 21. 25.

Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. *Ibid.* 24. 30.

Dicit piger : Leo est in via, et leæna in itineribus. *Ibid.* 26 13. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. *v.* 14.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, replebitur egestate. *Ibid.* 28. 19.

Operatur in disciplina, et quærit requiescere : laxa manus illi, et quærit libertatem. *Eccli.* 33. 26.

Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16. 49.

Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum. *Jonæ.* 1. 6.

Cum dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania in medio tritici. *Matth.* 13. 25.

Quid hic statis otiosi? *Ibid.* 20. 6.

Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi ; oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura, etc. *Ibid.* 25. 26.

(Jesus venit ad Apostolos), et invenit eos dormientes, et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum? vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Ibid.* 26. 40. *V. et. Marc.* 14. 37. *etc.*

ACQUISITIO *injusta.*

Nec decipiat unusquisque proximum suum. *Lev.* 19. 11.

Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. *Ibid.* *v.* 36.

Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, non contristes fratrem tuum. *Ibid.* 25. 14.

Non assumes et transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua. *Deut.* 19. 14.

Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus : nec erit in domo tua modius major et minor. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi, ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi : abominatur enim Dominus Deus eum qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. *Ibid.* 25. 14.

Maledictus qui transfert terminos proximi sui. *Ibid.* 27. 17.

Mendaces filii hominum in stateris. *Psal.* 61. 10.

Sic semitæ omnis avaris, animas possidentium rapiunt. *Prov.* 1. 19.

Statera dolosa abominatio est apud Dominum : et pondus æquum voluntas ejus. *Ibid.* 11. 1.

Alii dividunt propria, et ditiores fiunt : alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. *v.* 24.

Substantia festinata minuetur : quæ autem paullatim colligitur manu, multiplicabitur. *Ibid.* 13. 11.

Qui congregat thesauros mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis. *Ibid.* 21. 6.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias, dabit ipse ditiori, et egebit. *Ibid.* 22. 16.

Qui autem festinat ditari, non erit innocens. *Ibid.* 28. 20.

Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. *Ibid.* *v.* 22.

Peccatori autem (Deus) dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei, qui placuit Deo. *Eccles.* 2. 26.

Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret, qui conducat sibi in vita sua? *Ibid.* 7. 1.

Æstimaverunt esse lusum vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere. *Sap.* 15. 12.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. *Eccli.* 4. 36. *Ibid.* 27. 2.

Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. *Ibid.* 14. 4.

Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? *Isa.* 5. 8.

Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? *Ibid.* 33. 1.

Væ ei, qui multiplicat non sua; usquequo et aggravat contra se densum lutum? *Habac.* 2. 6.

Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. *Ibid. v.* 9.

Ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. *Micheæ* 6. 10.

Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? *Matth.* 16. 26. *V. et. Marc.* 8. 36. et *Luc.* 9. 25.

Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum. 1. *Thess.* 4. 6.

ADHORTATIO *ad bonum.*

Dimisit ergo fratres suos (Joseph) et proficiscentibus ait : Ne irascamini in via. *Gen.* 45. 24. *V. et. c.* 13. 8.

Ita duntaxat, ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem, quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde vestro, et in omni anima vestra. *Jos.* 22. 5.

Dixitque ad eos : Audite me, Levitæ, et sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario. 2. *Paral.* 29. 5. *V.* et *cap.* 30. 6. et *Esdr.* 5. 6. et 9.

Viriliter agite, et confortamini : nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem, quæ est cum eo : multo enim plures nobiscum sunt quam cum illo. *Ibid.* 32. 7.

Qui (Barnabas) cum pervenisset et vidisset gratiam Dei, gavisus est : et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. *Act.* 11. 23.

Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide : et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Ibid.* 14. 21. *V.* et *c.* 20. 17

Propter quod consolamini invicem, et ædificate alterutrum, sicut et facitis. 1. *Thess.* 5. 11.

Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam : senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia, etc. *Tit.* 2. 1.

Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, etc. *Ibid.* 3. 1.

Videte, fratres, ne forte sit in aliquo

ADOLESCENTIA.

vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo, etc. *Hebr.* 3. 12.

Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Gen.* 8. 21.

Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. *Prov.* 22. 6.

Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in mari, et viam viri in adolescentia. *Ibid.* 30. 18.

Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum : et scito. quod pro omnibus his adducet te Dominus in judicium. Aufer ergo iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua : adolescentia enim et voluptas vana sunt. *Eccles.* 11. 9.

Adolescens, loquere in tua causa vix, etc. *Eccli.* 32. 10. In medio magnatorum non præsumas, et ubi sunt senes non multum loquaris. *v.* 13.

Adolescentes, subditi estote senioribus, 1. *Petr.* 5. 5.

ADORATIO *Dei. V. et.* **Cultus Dei.**

(Enoch) cœpit invocare nomen Domini. *Gen.* 4. 26.

(Abraham) adoravit in terram, etc. *Ibid.* 18. 2.

Postquam adoraverimus, revertemur ad vos. *Ibid.* 22. 5.

Inclinavit se homo, et adoravit Dominum. *Ibid.* 24. 26.

Pronusque adoravi Dominum. *Ibid. v.* 48.

Puer Abraham procidens adoravit in terram Dominum. *Ibid.* v. 52.

Adoravit Israel Deum. *Ibid.* 47. 31.

(Joseph) adoravit pronus in terram. *Ibid.* 48. 12.

Audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum : et proni adoraverunt. *Exod.* 4, 31.

Incurvatusque populus adoravit (Dominum). *Ibid* 12. 27.

(Dixit Dominus) : Adorabitis (me) procul. *Ibid.* 24. 1.

Stabantque ipsi, et adorabant Deum per fores tabernaculorum suorum. *Ibid.* 33. 10.

Festinusque Moyses curvatus est pro-

nus in terram, et adorans ait, etc. *Ibid.* 34. 8.

Et adorato Domino Deo tuo. *Deut.* 26. 10.

(Gedeon adoravit Dominum.) *Judic.* 7. 15. *V. et.* 1 *Reg.* 1. 3. *Item v.* 16. *Item v.* 28. *cap.* 15. 25. 30. 31. 2. *Reg.* 15. 32 3. *Reg.* 1. 48. 1. *Paral.* 29. 20. 2. *Esdr.* 8. 6. *Tob.* 1. 6. *Judith* 6. 14. *c.* 13. 22. *c.* 16. 22. *Dan.* 14. 3. et 24.

Dominum Deum vestrum — timete, et illum adorate. 4. *Reg.* 17. 36. *V. et.* 1. *Paral.* 16. 29. *Tob.* 11. 7. et 12. *Psal.* 28. 2. 44. 12. 65. 4. 71. 11. 94. 6. 95. 9. *Sap.* 16. 28. *Jerem.* 26. 2. *Baruch.* 6. 6. *Zachar.* 4. 17. *Matth.* 4. 10. *Luc.* 4. 8. *Apoc.* 4. 10. *c.* 7. 11. *c.* 11. 16. *c.* 19. 4.

Venimus adorare eum (Christum). *Matth.* 2. 2. *V. et. v.* 11. *Item. c.* 8. 2. *c.* 9. 18. *c.* 14. 33. *c.* 15. 25. *c.* 20. 20. *c.* 28. 9. et 17. *Marc.* 5. 6. *c.* 15. 19. *Luc.* 24. 52. *Joan.* 9. 38. *Apoc.* 14. 7.

ADORATIO *Angelis et hominibus tributa.*

Cumque elevasset oculos (Abraham), apparuerunt ei tres viri stantes prope eum : quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. *Genes.* 18. 2.

Veneruntque duo Angeli Sodomam Vespere, sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram, etc. *Ibid.* 19. 1.

Adoravit Abraham coram populo terræ. *Ibid.* 23. 12.

Et serviant tibi populi, et adorent te tribus : esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. *Ibid.* 27. 29.

Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. *Ibid.* 33. 5. *V. et. v.* 7.

Vestrosque manipulos circumstantes adorare meum. *Ibid.* 37. 7. V. et *v.* 9. 10.

Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, etc. *Ibid.* 42. 6.

Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis : et adoraverunt proni in terram. *Ibid.* 43. 26.

Adorabunt tefilii patris tui. *Ibid.* 49. 8. *V. et.* 50. 18.

Qui (Moyses) ingressus est in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum. *Exod.* 18. 7.

Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. *Num.* 22. 31. *V. et. Josue* 5. 15.

Cumque abiisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio, etc. 1. *Reg.* 20. 41.

Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes ejus. *Ibid.* 25. 23. *V. et. Ruth.* 2. 10. I. *Ruth* 24. 9. *c.* 28. 14. 2. *Reg.* 9. *v.* 6. 8. *c.* 12. 20. *c.* 14. 4. *c.* 22. 33. *c.* 24. 21.

Qualis est forma ejus? Quæ ait : Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra, et adoravit. *Ibid.* 28. 14.

Cum autem venisset Miphiboseth filius Jonathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. 2. *Reg.* 9. 6.

Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuites ad Regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, etc. *Ibid.* 14. 4.

Ingressa est itaque Bethsabee ad Regem in cubiculum ; rex autem senuerat nimis, et Abisag Sunamitis ministrabat ei. Inclinavitque se Bethsabee, et adoravit regem, etc. 3. *Reg.* 1. 15. *V. et. v.* 23. 31. 53.

Et cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram. *Judith* 10. 20. *V. et.* 4. *Reg.* 2. 15. *c.* 14. 37.

Cunctique servi Regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman. *Esther* 3. 2.

Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit, etc. *Dan.* 2. 46.

Et factum est cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus, adoravit. *Act.* 10. 25.

ADVENTUS *Domini exspectandus.*

Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. *Matth.* 24. 42.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. *Ibid.* 25. 13.

Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro : Sic non

potuistis una hora vigilare mecum? *Ibid.* 26. 40.

Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit. *Marc.* 13. 33.

Et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet. *Luc.* 12. 40.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniet in vos repentina dies illa. *Ibid.* 21. 34.

Nox recessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, etc. *Rom.* 13. 12.

Orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis. *Ephes.* 6. 18.

Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui. *Coloss.* 4. 3.

Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus. 1. *Thess.* 5. 6.

Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra : quoniam adventus Domini appropinquavit. *Jac.* 5. 8.

In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris : serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te. *Apoc.* 3. 3.

Ecce venio sicut fur : Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. *Ibid.* 16. 15.

ADVERSITAS. *V.* **Tribulatio.**

ADULATIO.

Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. *Num.* 16. 3. *V. et.* 2. *Reg.* 1. et 2. *Reg.* 4. 2. *Reg.* 15. 3. *Reg.* 22. 2. *Paral.* 24. 1. *Esdræ* 4. *Judith* 2.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. *Eccles.* 7. 6.

Regis justa est indignatio. *Esther* 1. 18.

Laudatur peccator in desideriis animæ suæ. *Psalm.* 10. 3.

Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Psalm.* 140. 5.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis. *Prov.* 1. 10.

Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam. *Ibid.* 16. 29.

Qui dicunt impio : justus es, maledicent eis populi. *Ibid.* 24. 24.

Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit. *Ibid.* 27. 14. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis. *v.* 6. Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. *v.* 21.

Qui derelinquunt legem, laudant impium. *Ibid.* 28. 4. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. *v.* 23.

Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo. *Eccli.* 19. 23.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. *Isa.* 3. 12.

Væ — qui justificatis impium. *Ibid.* 5. 23.

In ore suo pacem cum suo amico loquitur, et occulte ponit ei insidias. *Jerem.* 9. 8.

In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes. *Oseæ* 7. 3.

Magister, scimus quia verax es. *Matth.* 22. 16.

Videns autem (Herodes) quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. *Act.* 12. 3.

Populus autem acclamabat (Herodi) : Dei (sunt) voces, et non hominis. *Ibid.* *v.* 22. *V. et. Act.* 24. 2.

An quæro hominibus placere? *Galat.* 1. 10.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis. 1. *Thess.* 2. 5.

ADULTERIUM, *Luxuria et Fornicatio,* *V. et.* **Fornicatio.**

Omnis caro corruperat viam suam. (Ideo luxuria, sive peccatum carnis, præcipua videtur fuisse causa, propter quam Deus mundum delevit diluvio). *Gen.* 6. 12.

Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. *Ibid.* 6. 2.

Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa : et ingressa est major, dormivitque cum patre : at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit, etc. *Ibid.* 19. 33.

(Idem peccatum luxuriæ, et adulterii, et fornicationis fuit causa horribilis incendii Sodomæ). *Ibid.* *c.* 19.

(Pro ardenti amore Sichem filii Hemor, qui violenter Dinam oppressit, multa mala evenerunt). *Ibid. c.* 34.

(Luxuriosi quandoque luxuriam in aliis detestantur, ut patet de Juda, qui dixit de Thamar) : Producite eam, (ut comburatur). *Ibid.* 38. 24.

(Occasione uxoris Levitæ a viris Belial in Gabaa Benjamin incredibili libidinis furore vexatæ, occisa sunt 25. millia hominum). *Judic. c.* 19. et 20.

(Isboseth filius Saul redarguit Abner, qui ingressus fuerat ad concubinam patris sui. Abner autem iratus super hæc, procuravit ei auferre regnum, et cito post amisit uterque patriam et vitam). 2. *Reg.* 3. 8.

(David captus amore Bethsabeæ uxoris Uriæ, cum illa adulterium commisit, et cum proditione homicidium perpetravit). 2. *Reg.* 11.

Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem. *Exod.* 22. 16.

Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. *Lev.* 19. 29.

Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera. *Ibid.* 20. 10.

Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas : morte moriantur. *Ibid.* 20. 13.

Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur. *Ibid.* 21. 9.

Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. *Num.* 25. 6.

Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera : et auferet malum de Israel. Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur : puella quia non clamavit, cum esset in civitate : vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, et auferes malum de medio tui. *Deut.* 22. 22. *V. et. Levitic.* 20. 10. *Item Num.* 5. 13. et 15. et 27.

Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. *Ibid.* 23. 17.

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. *Tob.* 4. 13.

Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus, et operiet vultum suum. *Job* 24. 15.

Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam : turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur. *Prov.* 6. 32.

Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula et vaga. *Ibid.* 7. 10.

Qui autem tenet adulteram, stultus est et impius. *Ibid.* 18. 22.

Fovea enim profunda est meretrix, et puteus angustus aliena. *Ibid.* 23. 27.

Vir — qui nutrit scorta, perdet substantiam. *Ibid.* 29. 3.

Talis est et via mulieris adulteræ, quæ comedit, et tergens os suum, dicit : Non sum operata malum. *Ibid.* 30. 20.

Filii autem adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. *Sap.* 3. 16.

Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius : qui placet Deo, effugiet illam. *Eccles.* 7. 27.

Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat : et homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. Homini fornicario omnis panis dulcis, etc. *Eccli.* 23. 21.

Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. *Act.* 15. 19.

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; nam fœminæ eorum commutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. *Rom.* 1. 26.

Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, etc. 1. *Cor.* 5. 1.

An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes — neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. *Ibid.* 6. 9.

Sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et

ceciderunt una die viginti tria millia. *Ibid.* 10. 8.

Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. *Ephes.* 5. 5.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, etc. *Coloss.* 3. 5.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione. 1. *Thess.* 4. 3.

Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4.

ADULTERIUM *carnale et spirituale inhibetur : committitur, et punitur.*

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem, quam tulisti : habet enim virum. *Gen.* 20. 3.

Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur. *Ibid.* 26. 11.

Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, etc. *Exod.* 20. 17.

Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur, et et mœchus et adultera. *Levit.* 20. 12.

Vir, cujus uxor erraverit, maritumque contemnens, dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro, etc. adducet eam ad sacerdotem, etc. *Num.* 5. 12.

Non concupisces uxorem proximi tui : non domum, non agrum, non servum, etc. *Deut.* 5. 21.

Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera. *Ibid*, 22. 22.

Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus. *Ibid.* 20. 30.

Missis itaque David nuntiis, tulit eam (Bethsabeam); quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea, 2. *Reg.* 11. 4.

Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, etc. *Ibid.* 12. 10.

Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus : et operiet vultum suum, *Job* 24. 15.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Ibid.* 31. 1.

Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt : perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. *Psal.* 72. 26.

Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. *Prov.* 5. 3.

Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus. *Ibid*, *v.* 8. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius ? *v* 20.

Ut custodiant te a muliere mala, et a blanda lingua extranea. *Ibid.* 6. 24. Qui autem adulter est propter cordis inopiam, perdet animam suam. *v.* 32.

Viæ inferi domus ejus (meretricis), penetrantes in interiora mortis. *Ibid.* 7. 27.

Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum : numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa ? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus. *Jerem* 3. 1.

Super quo propitius tibi esse potero? Filii tui dereliquerunt me, etc. et in domo meretricis luxuriabantur. *Ibid.* 5. 7.

Unde et ego nudavi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua. Adulteria tua et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ : super colles in agro vidi abominationes tuas. *Ibid.* 13. 26. *et* 27.

Et filiorum illius non miserebor ; quoniam filii fornicationum sunt. *Oseæ.* 2. 4.

Filii autem adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. *Sap.* 3. 16.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non mæchaberis. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 5. 27.

Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum : et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere eam. *Ibid* 14. 3.

Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur. *Ibid.* 19. 9.

Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio, et dixerunt ei :

Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. *Joan.* 8. 3. *V. Levit.* 20. 10.

Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles — regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione. 1. *Thess.* 4. 3.

Fornicatores autem et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4.

Adulteri, nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei ? *Jac.* 4. 4.

ÆGROTATIO *et morbus sunt pœna peccati.*

Cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te : ego enim sum Dominus sanator tuus *Exod.* 15. 26.

Ego quoque hæc faciam vobis : Visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras : frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. *Levit.* 26. 16.

Auferet Dominus a te omnem languorem : et infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. *Deut.* 7. 15.

Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine, ita ut curari nequeas. Percutiat te Dominus amentia et cæcitate, ac furore mentis. *Ibid.* 28. 27. Augebit Dominus plagas tuas et plagas seminis tui, plagas magnas, et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhærebunt tibi. *v.* 59.

Cumque venisset Gad ad David, nunciavit ei, dicens : Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua : aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur : aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua, etc, 2. *Reg.* 24. 13. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo a Dan usque ad Bersabee 70. millia virorum. *v.* 15. *V. et v.* 16.

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem : (nempe post mirabilem victoriam de Assyriis, ne miraculoso hoc triumpho nimium extolleretur). 4. *Reg.* 20. 1.

Ægrotavit etiam Asa — dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est ; (ideo etiam mortuus est). 2. *Paral.* 16. 12. *V.* et 4. *Reg.* 1.

Sed et lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix. 4. *Reg.* 5. 27.

Et super hæc omnia percussit eum (Joram) Dominus alvi languore insanabili, 2. *Paral.* 21. 18.

(Impius et superbus Antiochus per morbum, in quem incidit, cœpit in cognitionem Dei et sui ipsius venire : unde exclamavit) : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. 2. *Mach.* 9. 11.

(Christus Dominus sæpius infirmis remisit peccata antequam eos sanaret, ut ostenderet, tum originem morborum esse peccata, tum optimum contra morbos remedium esse pœnitentiam de peccatis). *Matth.* 9. 2. *V. et. Luc.* 5. 20.

(Indignatur Dominus quod novem leprosi ab eo sanati nullas ipsi gratias agant pro accepta sanitatis gratia). *Luc.* 17. 17.

Postea invenit eum Jesus in Templo, et dicit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan.* 5. 14.

ÆGROTATIO.— *Ægroti visitandi, ac consolandi.*

His ita transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus : qui, assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim, ire perrexit. Dictumque est seni : Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo, etc. *Genes.* 48. 1.

Porro Ochozias filius Joram rex Juda descendit invisere Joram filium Achab in Jezrael, quia ægrotabat ibi. 4. *Reg.* 8. 29.

Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est : descenditque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque : Pater mi, Pater mi, currus Israel, et auriga ejus. *Ibid.* 13. 14.

Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes, visitarent eum, et consolarentur. *Job.* 2. 11.

Dominus opem ferat illi super lectum

doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. *Psalm.* 40. 4.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. *Eccli.* 7. 5.

Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli.* 7. 38.

Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te : sitientem, et dedimus tibi potum : infirmum — et venimus ad te, et visitavimus etc. (Tunc respondebit eis) : Quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 37.

Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. *Joan.* 11. 3.

Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est : et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. *Ibid.* 12. 9.

Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. 2. *Cor.* 1. 4.

ÆGROTATIO *curatur per Deum.*

Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum : sed ora Dominum, et ipse curabit te. *Eccli.* 38. 9. *V. Isa.* 38. 3.

Dominus mortificat, et vivificat : deducit ad inferos, et reducit. 1. *Reg.* 2. 6. *V. Deuter.* 32. 39.

(Ezechias in infirmitate sua convertit se ad Dominum, et obtinet sanitatem). 4 *Reg.* 20.

In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur. *Sap.* 16. 11.

(Fere omnes ægroti, quos Christus sanavit, prius ab illo precibus sanitatem postulaverunt. Ergo ad Deum in morbo recurrendum). *Matth.* 9. *V. Matth.* 10. *Luc.* 18. *Joan.* 11.

ÆGROTATIO *curatur per Medicum.*

Livor vulneris absterget mala. *Prov.* 20. 30.

Ante languorem adhibe medicinam : et ante judicium interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. *Eccli.* 18. 20.

Melior est mors, quam vita amara ; et requies æterna, quam languor perseverans. *Ibid.* 30. 17.

Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela, et a Rege accipiet donationem. *Ibid.* 38. 1. 2.

Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno dulcorata est aqua amara? *Ibid. v.* 4.

Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis. *Ibid. v.* 7.

Da locum medico : etenim illum Dominus creavit, et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria. Est enim tempus, quando in manus illorum incurras. *Ibid. v.* 11. 12. 13.

Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici. *Ibid. v.* 15.

ÆGROTATIO. — *Quomodo sancti viri in ægritudine et decessu ab hac vita se habuerint.*

(Jacob singulis filiis benedicens, et quorumdam defectus arguens, futura illis prædicit, tandemque, declarato sepulturæ suæ loco, moritur). *Gen.* 49.

Viriliter agite, confortamini : nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum : quia Dominus Deus tuus ipse est deductor tuus, et non dimittet, nec derelinquet te. *Deut.* 31. 6.

(Josue senex jamque moribundus hortatus filios suos Israel ad servanda Dei præcepta, et cavendam societatem cum gentibus). *Josue* 23.

(Commemorantur beneficia Israelitis a Deo exhibita, fœdus populi cum Domino, mors Josue, sepultura ossium Joseph, et mors Eleazari sacerdotis). *Ibid. c.* 24.

Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo dicens : Ego ingredior viam universæ terræ : confortare, et esto vir. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta, etc. 3. *Reg.* 2. 1.

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit Dominum : exaudivitque eum, et dedit ei signum. 2. *Paral.* 32. 24. *V. Isaiæ.* 38.

(Job in morborum plurimorum doloribus patientissimus exemplum patientiæ, quam omnes in suis morbis debent habere). *Job*. 2. 7.

(Permisit Deus, ut Tobias senior fieret cæcus, ut posteris daretur exemplum patientiæ, sicut et Job). *Tob*. 2. 12.

Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei : Audi, fili, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. *Ibid*. 4. 1.

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. *Ibid*. 12. 13.

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, et dixit ei : Hæc dicit Dominus : dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. *Isa*. 38. 1.

Et appropinquaverunt dies Mathatiæ moriendi, et dixit filiis suis : Nunc confortata est superbia et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis : nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testimonio patrum vestrorum. 1. *Mach*. 2. 49.

ÆGYPTUS. — *Ægyptiaca captivitas prædicitur et incipit.*

Dictumque est ad eum, scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. *Gen*. 15. 13. (Incipit *Exod*. 1. 1). *V. et. Act*. 7. 6.

Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob : singuli cum domibus suis introierunt, Ruben, Simeon Levi etc. *Exod*. 1. 1. *Ibid. V. et. c*. 46. 8.

Dixit Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Sin autem nolueris dimittere, percutiam terminos tuos ranis. *Ibid*. 8. 1.

Ait Moyses ad populum : Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto, et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, ut non comedatis fermentatum panem. *Ibid*. 13. 3.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, crevit populus, et multiplicatus est in Ægypto, quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph. *Act*. 7. 17.

ÆGYPTUS. — *De Ægypto exitus et liberatio populo Israelitico primittitur, et adimpletur.*

Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo : et post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc : necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. *Gen*. 15. 14.

(Joseph subjecit omnem terram Ægypti Pharaoni), et cunctos populos ejus a novissimis terminis Ægypti, usque ad extremos fines ejus. *Ibid*. 47. 21.

Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, et omni comitatu, sepulto patre. *Ibid*. 50. 14.

Visitans visitavi vos, et vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto : et dixi, ut educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, et Hethæi — et Jebusæi, ad terram fluentem lacte et melle. *Exod*. 3. 16.

Ideo dic filiis Israel : Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, — et inducam vos in terram, super quam levavi manum meam, ut darem Abraham, Isaac, et Jacob. *Ibid*. 6. 6.

(Adimpletur, et exierunt viri 600000.) Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis, (et mulieribus.) *Exod*. 12. 37. Et eodem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas. *v*. 51.

Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? respondebis ei : In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis. *Ibid*. 13. 14.

Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, etc. *Num*. 33. 1.

Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo : quoniam in isto mense eduxit te Dominus de Ægypto, nocte. *Deut*. 16. 1.

Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti : et Deum absque me nescies, et

Salvator non est præter me. *Oseæ* 13. 4. *V. Isaiæ* 63. 11.

Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te : et misi ante faciem tuam Moysen, Aaron et Mariam. *Mich.* 6. 4.

ÆGYPTUS. — *In Ægyptum redire desiderat populus Israeliticus.*

Et dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulchra in Ægypto? ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine : quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? *Exod.* 14. 11.

Dixeruntque — ad eos : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate : cur eduxisti nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? *Ibid.* 16. 3.

Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, et murmuravit contra Moysen dicens : Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos et liberos nostros ac jumenta, siti? *Ibid.* 17. 3.

Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis : in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique et cæpe, et allia. *Num.* 11. 5.

Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. *Ibid.* 14. 4.

Et versi in seditionem dixerunt : Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino : Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos, et nostra jumenta moriamur? etc. *Ibid.* 20. 3.

ÆGYPTUS. — *Contra Ægyptum prophetatur.*

Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus. *Isa.* 19. 1. Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens, etc. *v.* 11. Et erit terra Juda Ægypto in pavorem : omnis qui illius fuerit recordatus pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam. *v.* 17.

Et dixit Dominus : sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus, trium annorum signum erit et portentum super Ægyptum, et super Æthiopiam; sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, *Ibid.* 20. 3.

Veniensque (Nabuchodonosor rex) percutiet terram Ægypti : quos in mortem, in mortem : et quos in captivitatem, in captivitatem, etc. Et succendet ignem in delubris Deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos : et amicietur terra Ægypti sicut amicitur pastor pallio suo : et egredietur inde in pace. *Jerem.* 43. 11.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manu inimicorum ejus, et in manu quærentium animam illius : sicuti tradidi Sedeciam regem Juda in manu Nabuchodonosor — inimici sui, et quærentis animam ejus. *Ibid.* 44. 30.

Dixit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, et super Pharaonem, et super Ægyptum, et super Deos ejus, et super reges ejus, et super Pharaonem, et super eos, qui confidunt in eo, etc. *Ibid.* 46. 25.

Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, et prophetabis de eo et de Ægypto, etc. *Ezech.* 29. 2.

Fili hominis, propheta et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ululate, væ, væ diei : quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini, dies nubis. — Et veniet gladius in Ægyptum : et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta ejus. *Ibid.* 30. 2.

Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam : in medio incircumcisorum dormies cum eis, qui interfecti sunt gladio : ipse est Pharao et omnis multitudo ejus. *Ibid.* 31. 18.

Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum : Leoni gentium assimilatus es, etc. Et projiciam te in terram, super faciem agri abjiciam te, etc. *Ibid.* 32. 2.

ÆGYPTUS. — *Ægyptiaca redemptio frequenter revocatur in memoriam, tamquam summum Dei beneficium.*

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. *Exod.* 20. 2.

Ego Dominus, qui sanctifico vos, et eduxi de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum : Ego Dominus. *Levit.* 22. 33.

Ego Dominus Deus vester : qui eduxi

vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis; et qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti. *Ibid.* 26. 13.

Si fecit Deus, ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa atque portenta, per pugnam et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia, quæ fecit vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis: ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, etc. *Deut.* 4. 34.

Memento, quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. *Ibid.* 5. 15.

Eduxitque vos (Dominus) in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. *Ibid.* 7. 8.

Elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit de terra Ægypti, etc. *Ibid.* 8. 14.

In loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi; immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. *Ibid.* 16. 6.

Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum, qui affligebant vos. 1. *Reg.* 10. 18.

Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt Deos alienos. 4. *Reg.* 17. 7.

Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te: et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam. *Mich.* 6. 4.

ÆGYPTUS *affligitur plagis variis.*

Feceruntque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus: et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone, et servis ejus: quæ versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt. *Exod.* 7. 20. (Ut prædixit Dominus Exod. 3. 19. etc). *V. Exod. cap.* 7. *cap.* 8. *cap.* 9. *cap.* 10. *cap.* 11.

AFFECTIO *carnalis seu affectio erga consanguineos.*

(Nuntius dicebat ad Heli): Filii tui mortui sunt, et arca Dei capta est, 1. *Reg.* 4. 17. (Sed NB. non propter filios; sed) cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella (Heli) retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. *v.* 18.

(Dixit Joab ad David): Diligis odientes te — et vere cognovi modo, quia si Absalom viveret, et omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. 2. *Reg.* 19. 6.

Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat: singulos illorum hortabatur voce patria fortiter etc. 2. *Mach.* 7. 20.

(Christus ait): Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? — Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. *Matth.* 12. 48.

Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Ibid.* 19. 29. *V. et Luc.* 14. 26.

Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam — continuo non acquievi carni et sanguini. *Galat.* 1. 15.

AGRICULTURA

Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. *Exod.* 22. 5.

Si egressus ignis invenerit spinas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit. *Ibid. v.* 6.

Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus. Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui: et quidquid reliquum fuerit, edent bestiæ agri: ita facies in vinea et in oliveto tuo. *Ibid.* 23. 10.

ALTARE *holocausti.*

Ædificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. *Gen.* 8. 20.

Apparuit autem Dominus Abraham — qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. *Ibid.* 12. 7. *V. et. Gen.* 26. 24. *idem de Isaac. Item Gen.* 35. 1. *et* 7.

Item Exod. 24. 4. *Item Josue* 8. 30. *Item Judic.* 6. 24. *Item* 1. *Reg.* 14. 35. *Item* 2. *Reg*, 24. 25. *Item* 2. *Paral.* 4. 1. *et* 19. *Item. c.* 15. 9. *Item* 1. *Mach.* 4. 44.

Facies et altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est, quadrum, et tres cubitos in altitudine. *Exod.* 27. 1.

Fecit et altare holocausti de lignis Setim, quinque cubitorum per quadrum, et trium in altitudine. *Ibid.* 38. 1.

(Oblationes principum duodecim tribuum in dedicatione tabernaculi et altaris: loquitur Dominus Moysi de propitiatorio). *Num.* 7. *per totum.*

Emit ergo David aream et boves, argenti siclis quinquaginta. Et ædificavit ibi David altare Domino, et obtulit holocausta et pacifica : et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel. 2. *Reg.* 24. 24.

Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini : fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris. 3. *Reg.* 18. 32.

Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens : Super altare majus offer holocaustum matutinum, et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et sacrificium ejus, et holocaustum universi populi terræ, etc. 4. *Reg.* 16. 15.

Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel, filius Uri, filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini : quod et requisivit Salomon, et omnis ecclesia. 2. *Paral.* 1. 5.

Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis. *Ibid.* 4. 1.

Et surrexit Josue filius Josedec, et fratres ejus sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel, et fratres ejus; et ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata : sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei. 1. *Esdr.* 3. 2.

Istæ autem mensuræ altaris in cubitu verissimo, qui habebat cubitum et palmum : in sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine. *Ezech.* 43. 13.

Et acceperunt lapides integros secundum legem, et ædificaverunt altare novum, secundum illud, quod fuit prius. 1. *Mach.* 4. 47. Et obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum, quod fecerunt. *v* 53.

ALTARE *incensi.*

Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis Setim, etc. *Exod.* 30. 1. Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine, quod oblatum est pro peccato, et placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino. *v.* 10.

Fecit et altare thymiamatis de lignis Setim, etc. *Ibid.* 37. 25.

Altare holocausti et omnia vasa ejus (unges), etc. *Ibid.* 40. 10.

AMBITIO.

Nonne et nobis similiter est locutus (Dominus)? (Ambitiosa locutio). *Num.* 12. 2.

Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini? (Iterum ambitio). *Ibid.* 16. 3.

(Abimelech ambitiose petiit regnum, sed pessime successit). *Judic.* 9. *V. et. ibid. v.* 8. (parabolam de arboribus, quæ ambitiosis potest aptari).

(De ambitione Absalonis, præcipue) 2. *Reg.* 15. 3.

(Adonias filius Haggith ambitiose elevabatur, dicens) : Ego regnabo, etc. 3. *Reg.* 1. 5.

(Ambitio Achiæ). *Ibid.* 11. 29. *Item* 3. *Reg.* 16. (Ambitio Zambri). *Item* 4. *Reg.* 11. (Ambitio Athaliæ matris Ochoziæ regis). *Item* 4. *Reg.* 15. *Item Judith* 2. (Ambitio Nabuchodonosoris regis Assyriorum, qui omnem terram suo subjugare imperio voluit). *Item Esther* 5. (Ambitio Amanis). *Item* 1. *Mach.* 3 14. (dictum ambitiosum Seronis) : Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Judam. (Qui ipse cito debellatus fuit a Juda). *Item* 1. *Mach.* 7. (Ambitio Alcimi, qui voluit sacerdos fieri). *Item* 1. *Mach.* 11. (Ambitio Ptolemæi). *Item* 2. *Mach.* 4. (Ambitio Jasonis).

Sublevavit te cor tuum (ait Joab rex Israel ad Amasiam regem Juda). Contentus esto gloria, et sede in domo tua. 4. *Reg.* 14. 10.

Noli quærere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris. *Eccli.* 7. 4.

Qui potestatem sibi sumit injuste, odietur. *Ibid.* 20. 8.

Numquid regnabis, quoniam confers te cedro? *Jerem.* 22. 15.

Quicumque voluerit inter vos major

fieri, sit vester minister. *Matth.* 20. 26.

(Qui se exaltat, humiliabitur). *Ibid.* 23. 12. *V. et. Luc.* 14. 11.

Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata (es, sed) usque ad infernum demergeris. *Luc.* 10, 15.

Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Ibid.* 16. 15.

Jesus autem cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. *Joan.* 6. 15.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. *Ibid.* 12. 43.

Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam — Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua, (et ambitio tua) tecum sit in perditionem. *Act.* 8. 18.

Caritas — non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. 1 *Cor.* 13. 5.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. *Galat.* 5. 26.

Quorum — gloria in confusione ipsorum. *Philip* 3. 19.

Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1. *Tim.* 3. 1.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, etc. *Hebr.* 5. 4.

Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis. *Ibid.* 11. 24.

AMICITIA. — *Amicitiæ divitiarum ortus.*

Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. *Sap.* 7. 14.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Joan.* 15. 14.

In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. *Act.* 10. 34.

Credidit Abraham Deo — et amicus Dei appellatus est. *Jacob.* 2. 23.

Amicitia hujus mundi inimica est Dei : quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *Ibid.* 4. 4.

AMICITIA. — *Amicitiæ fructus.*

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Psalm.* 138. 17.

Amice, ascende superius. *Luc.* 14. 10.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Ibid.* 16. 9.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joan.* 15. 15.

AMICITIA *humana vera, debet esse firma.*

Ruth adhæsit socrui suæ — (et dixit ei) : Quocumque enim perrexeris, pergam : et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. *Ruth* 1. 14.

Qui negligit damnum propter amicum, justus est. *Prov.* 12. 26.

Omni tempore diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur. *Ibid.* 17. 17.

Amicum tuum, et amicum patris tui, ne dimiseris. *Ibid.* 27. 10.

Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei (scilicet te ipsum). *Eccli.* 6. 7.

Non agnoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus. In bonis viri, inimici illius in tristitia : et in malitia illius, amicus agnitus est. *Ibid.* 12. 8. 9.

Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut et in bonis illius læteris : in tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis. *Ibid.* 22. 28.

AMICITIA *debet esse grata.*

Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater. *Prov.* 18. 24.

Fatuo non erit amicus, et non erit gratia bonis illius. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt. Quoties, et quanti irridebunt eum ? *Eccli.* 20. 17.

AMICITIA *debet esse honesta.*

Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris etc. 2. *Paral.* 19. 2.

(Tales amici Pilatus et Herodes.) *Luc.* 23.

Noli fieri pro amico inimicus proximo. *Eccli.* 6. 1. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam : quoniam secundum illum erit amicus illius. *v.* 17.

AMICITIA *debet esse integra in corde.*

Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles : ne forte

insultet tibi, cum audierit, et exprobrare non cesset. *Prov.* 25. 9.

Dilige proximum, et conjungere fide cum illo. *Eccli.* 27. 18.

Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in operibus tuis. *Ibid.* 37 .6.

AMICITIA *debet esse in ore.*

Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito : ne postea emendare non possis cum dehonestaveris amicum tuum. *Prov.* 25. 8.

Ferrum ferro exacuitur, et homo exacuit faciem amici sui. *Ibid.* 27. 17.

Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos : et lingua eucharis in bono homine abundat. *Eccli.* 6. 5.

Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa : sic et qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam. *Ibid.* 22. 25.

Qui denudat arcana amici, fidem perdit; et non inveniet amicum ad animum suum. *Ibid.* 27. 17. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. *v.* 24.

(Cave) ab amicis de sermonibus improperii : et cum dederis, ne improperes. *Ibid.* 41. 28.

Non duplices sermonem auditus de revelatione sermonis absconditi, et eris vere sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum. *Ibid.* 42. 1.

AMICITIA *debet esse in opere.*

Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. *Job* 6.14.

Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum : et non abscondas illam sub lapide in perditionem. *Eccli.* 29. 13.

AMICITIA. — *Amicitiæ veræ conservotio.*

Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. *Prov.* 3. 29.

Qui despicit amicum suum, indigens corde est. *Ibid.* 11. 12.

Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget. *Eccli.* 6. 11.

Noli arare mendacium adversum fratrem tuum : neque in amicum similiter facias. *Ibid.* 7. 15. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem carissimum auro spreveris. *v.* 20.

Ne derelinquas amicum antiquum : novus enim non erit similis illi. Vinum novum, amicus novus : veterascet, et cum suavitate bibes illud. *Ibid.* 9. 14.

Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te fidens, quoniam non te dirumpet. *Ibid.* 19. 10. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci : aut si fecerit, ne iterum addat facere. *v.* 13.

Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam, et si mala mihi venerint per illum, sustinebo. *Ibid.* 22. 31.

Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. *Ibid.* 20. 25.

Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes : est enim regressus. Ad amicum, si aperueris os triste, non timeas : est enim concordatio, excepto convicio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa : in his omnibus effugiet amicus. *Ibid.* 22. 26. 27.

AMICITIA. — *Amicitiæ fructificatio.*

Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma : et judicia, quasi vectes urbium. *Prov.* 18. 19.

Gratia et amicitia liberant : quas tibi serva, ne exprobrabilis fias. *Ibid.* 25. 10.

Unguento et variis odoribus delectatur cor : et bonis amici consiliis anima dulcoratur. *Ibid.* 27. 9. Melior est vicinus juxta, quam frater procul. *v.* 10.

Melius est ergo duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ : si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. *Eccles.* 4. 9.

Amicus fidelis, protectio fortis : qui autem invenit illum, invenit thesaurum. *Eccli.* 6. 14. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. *v.* 15. Amicus fidelis, medicamentum vitæ, et immortalitatis : et qui metuunt Dominum, invenient illum. *v.* 16.

Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam : et si mala mihi evenerent per illum, sustinebo. *Ibid.* 22. 31.

Beatus qui invenit amicum verum. *Ibid.* 25. 12.

AMICITIA *ficta lucrum proprium attendit.*

Amici vero divitum multi. *Prov.* 14. 20.

Divitiæ addunt amicos plurimos : a

paupere autem et hi, quos habuit, separantur. *Ibid.* 19. 4. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis. *v.* 6. Fratres hominis pauperis oderunt eum : insuper et amici procul recesserunt ab eo. *v.* 7.

Multi homines misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inveniet|? *Ibid.* 20. 6.

Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. *Eccli.* 6. 8.

Sodalis amico condolet causa ventris, et contra hostem accipiet scutum. *Ibid.* 37. 5.

AMICITIA *ficta malum proxime intendit.*

Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? (ait Dalila ad Samson.) *Judic.* 16. 15.

Simulator ore decipit amicum suum. *Prov.* 11. 9. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum. *v.* 13.

Sicut noxius est qui mittit sagittas, et lanceas in mortem; ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo : et cum fuerit deprehensus, dicit : ludens feci. *Ibid.* 26. 18.

Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. *Ibid.* 29. 5.

Annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum abjiciet : in conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur : novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. Multa odivi et non coæquavi ei, et Dominus odiet illum. *Eccli.* 27. 25. *et. seq.*

Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens : quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. — Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti? *Matth.* 26. 48.

AMICITIA *ficta bonum falso prætendit.*

Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam. *Prov.* 16. 29.

Omnis amicus dicet : Et ego amicitiam copulavi : sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristitia inest usque ad mortem? Sodalis autem et amicus ad inimicitiam convertentur. O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, et dolositate illius? *Eccli.* 37. 1.

AMICITIA *ficta odium intendit.*

Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico; omni tempore erit exprobrabilis. *Prov.* 18. 1.

Et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam : et est amicus, qui odium et rixam et convìcia denudabit. *Eccli.* 6. 9.

Equus emissarius, sic et amicus subsannator sub omni suprasedente hinnit. *Ibid.* 33. 6.

AMICITIA *ficta opprobriosam se reddit.*

Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis. *Prov.* 20. 19.

Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende. *Eccli.* 6. 33.

Amico et inimico noli narrare sensum tuum : et si est tibi delictum, noli denudare. Audiet enim te, et custodiet te, et quasi defendens peccatum odiet te, et sic aderit tibi semper. *Ibid.* 19. 8.

Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquetur. *Jerem.* 9. 4.

AMICI *veri et ficti.*

Loquebaturque autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. *Exod.* 33. 11.

Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens : Eamus et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui, etc. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum, sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum. *Deut.* 13. 6. 8. 9.

Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. 1. *Reg.* 18. 1. Nam expoliavit se Jonathas tunica sua, et dedit eam David, etc. *v.* 4.

Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loquererur ei in dolo : et percussit ibi illum in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus. 2. *Reg.* 3. 27. *V. et.* 2. *Reg.* 2. 8.

(Chusai amicus David nuntiat Davidi,

quid in eum meditetur Absalon). *Ibid.* 15. 32.

(Idem Chusai dissipavit consilium Achitophel). *Ibid.* 17. 15.

Noluit autem acquiescere (Amnon) precibus ejus ; sed prævalens viribus, oppressit eam (Thamar) et cubavit cum ea. *Ibid.* 13. 14.

(Tres amici Job, cum audissent omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, ut visitarent eum, et consolarentur). Job 2. et 6. (De quibus autem Job dicit) : Et subvertere nitimini amicum vestrum. *Ibid. c.* 6. *v.* 27.

Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet, quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. (Fidelis et vera quidem, sed indiscreta amicitia). 1. *Reg.* 31. 5.

Tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus. *Psal.* 54. 14. *V. et. Psalm.* 40. 10.

Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici vero divitum multi. *Prov.* 14. 20.

Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater. *Ibid.* 18. 24.

Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris : et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est vicinus juxta, quam frater procul. *Ibid.* 27. 10. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium; sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. *v.* 19.

Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei : est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis, etc. *Eccli.* 6. 7, *V. et. v.* 13.

Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem carissimum auro spreveris. *Ibid.* 7. 20.

Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, etc. *Ibid.* 9. 12.

Una hora tecum permanebit; si autem declinaveris, non supportabit. *Ibid.* 12. 14.

Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa : sic et qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam etc. *Ibid.* 22. 25.

Volatilia ad sibi similia conveniunt : et veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur. *Ibid.* 27. 10.

Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. *Jerem.* 9. 4.

Nam et fratres tui, et domus patris tui, et ipsi pugnaverunt adversum te, et clamaverunt post te plena voce : ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona *Ibid.* 12. 6. *V. Dan.* 11. 26.

Nolite credere amico, et nolite confidere in duce : ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. *Mich.* 7. 5.

AMOR *Dei. V.* **Dilectio Dei**

AMOR *proprius.*

(Saul non dolet, quod peccaverit in Deum, sed ex amore proprio, quod perdiderit apud populum suum honorem suum : unde rogat Samuelem, et ait) : Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel. 1. *Reg.* 15. 30.

Et ejeci te de monte Dei, et perdidi te o Cherub — Et elevatum est cor tuum in decore tuo. (Ex quo patet, peccatum Angelorum a nullo alio traxisse originem, quam ab amore propriæ excellentiæ, sicut etiam primi nostri parentes transgressi sunt mandatum Dei ex nulla alia causa, quam ex amore proprio; dum affectabant similitudinem Dei, et scientiam boni et mali). *Ezech.* 28. 16. *et* 17. *V. Genes.* 3.

(Jonas amorem propriæ vitæ ita exuit, ut pro salute suorum comitum mortem elegerit). *Jonæ* 1. 12.

(Ita amoris proprii fuit expers S. Paulus, ut Corinthiis suis de se scripserit :) Paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. 2. *Cor.* 12. 14.

AMOR *proximi. V.* **Dilectio proximi.**

ANGELI *et eorum ministerium et natura.*

Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto, dixit ad illam : Agar ancilla Sarai, unde venis? et quo vadis? Quæ respondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. *Gen.* 16. *v.* 7. 8. 9.

Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei. Cumque elevasset

oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum : quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram. *Ibid.* 18. 1. *V. et. Hebr.* 13. 2.

(Angeli, hospites apud Lot, ipsum violenter, sed pie, quasi ex Sodoma extraxerunt, ut evadat periculum). *Gen.* 19.

Exaudivit autem Deus vocem pueri : vocavitque Angelus Dei Agar de cœlo dicens : Quid agis, Agar? noli timere : exaudivit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. *Ibid.* 21. 17.

Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens : Abraham, Abraham. Qui respondit : Adsum. Dixitque ei : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me, etc. *Ibid.* 22. 11. *V. et. v.* 15.

Dixitque Abraham. Cave, ne quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, et juravit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo. *Ibid.* 24. 6.

Viditque (Jacob) in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam : et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac : terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo. Eritque semen tuum, quasi pulvis terræ : dilataberis ad Occidentem et Orientem, et Septentrionem et Meridiem : et benedicentur in te, et in semine tuo cunctæ tribus terræ. *Ibid*, 28. 12.

Dixitque Angelus Dei ad me in somnis: Jacob. Et ego respondi : adsum. Qui ait : Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos atque respersos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban. *Ibid* 31. 11.

Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat : fueruntque ei obviam Angeli Dei. Quos cum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc : et appellavit nomen loci istius Mahanaim, id est, castra. *Ibid.* 32. 1. *V. et. v.* 24.

Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis : et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram. *Ibid.* 48. 16.

Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, et videbat, quod rubus arderet, et non combureretur. *Exod.* 3. 2. *V. Act.* 7. 30.

Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. *Ibid.* 13. 21.

Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos : et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum. *Ibid.* 14. 19.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes : quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. *Ibid.* 23. 20.

Tu autem vade, et duc populum istum, quo locutus sum tibi : Angelus meus præcedet te. *Ibid.* 32. 34.

Et mittam præcursorem tui Angelum, et ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, et intres in terram fluentem lacte et melle. *Ibid.* 33. 2.

Et quomodo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque Angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. *Num.* 20. 16.

Et iratus est Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui sedebat asinæ, et duos pueros habebat secum. Cernens asina Angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere, stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vinæ cingebantur. *Ibid.* 22. 22. *et seq.*

Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es an adversariorum ? Qui respondit : Nequaquam : sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? *Josue* 5. 13.

Ascenditque Angelus Domini de Galga-

lis ad locum flentium, et ait : Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum usque in sempiternum. *Judic.* 2. 1.

Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini : maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus. *Ibid.* 5. 23.

Venit autem Angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime. *Ibid.* 6. 11. *V. et v.* 20.

Cui apparuit Angelus Domini, et dixit ad eam : Sterilis es, et absque liberis : sed concipies et paries filium, etc. *Ibid.* 13. 3. *V. et v.* 49.

Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei. 1. *Reg.* 29. 9. *V. et.* 2. *Reg.* 14. 17. et 20. *et ibid. c.* 19. 27. *Esther* 15. 16. *Zach.* 12. 8. *Galat.* 4. 14.

Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum : Sufficit : nunc contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi : Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum : Ego sum, qui peccavi, ego inique egi : isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei. 2. *Reg.* 24. 16. 17.

Qui ait illi : Et ego Propheta sum similis tui : et Angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens : Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem et bibat aquam. 3. *Reg.* 13. 18.

Projecitque se (Elias), et obdormivit in umbra juniperi : et ecce Angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge, et comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis et vas aquæ. Comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit, etc. *Ibid.* 19. 5.

Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Tesbiten, dicens : Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? 4. *Reg.* 1. 3.

Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens : Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, et descendit cum eo ad regem. Et locutus est ei, etc. *Ibid. v.* 15.

Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, etc. *Ibid.* 19. 35.

Misit quoque (Dominus) Angelum in Jerusalem, ut percuteret eam. Cumque percuteretur, vidit Dominus, et misertus est super magnitudine mali, et imperavit Angelo, qui percutiebat. Sufficit, jam cesset manus tua. 1. *Paral.* 21. 15. *V. et. v.* 16.

Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum. 2. *Paral.* 32. 21.

Et missus est Angelus Domini, sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, etc. *Tob.* 3. 25.

(Idem Angelus Raphael fuit dux Tobiæ, qui et eripuit eum a devoratione piscis : uxorem ejus a dæmonio : Tobiæ seniori cæco visum restituit : et alia exhibuit grata et accepta.) *Ibid. c.* 5. *V. c.* 6. 7. et 8. et (reliqua.) *Item. Judith* 13. 10.

Credo enim, quod Angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos. *Tob.* 5. 27.

(Angeli hortatu Tobias invadentem piscem apprehendit, et exenterat cor ejus, fel et jecur ad medicamenta reservans : et ad Raguelem divertunt, ut jussu Angeli petat in uxorem illius filiam Saram, cujus septem viros occiderat dæmonium, discens ab Angelo, quo fine suscipiendum ac servandum sit conjugium.) *Ibid. c.* 6.

(Raphael Tobiæ rogatu ad Gabellum pergit, quem recepta pecunia ad Tobiæ nuptias adducit; ille autem Tobiæ ac Saræ benedicit.) *Ibid. c.* 9.

(Tobias cum filio de mercede Raphaelis consultans, auditis quæ sibi ac filio præstiterat beneficiis, medietatem offert omnium, quæ attulerant; at ille se Dei Angelum declarat, et post multa alia revelata mysteria in cœlum sublevatur : quo facto, illi in terram proni ruentes, Deum benedicunt, etc.) *Ibid. c.* 12.

Vivit autem Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem : et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra. *Judith* 13. 20.

Si fuerit pro eo Angelus loquens — miserebitur ejus. *Job* 33. 23. 24.

Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, et territi purgabuntur. *Ibid.* 41. 16.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. *Psal.* 33. 8.

Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos. Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos. *Psal.* 34. 5. 6.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. mi- *Psal.* 90. 11. *V. Matth.* 4. 6. *Luc.* 4. 10.

Adorate Deum omnes Angeli ejus. *Psal.* 96. 8.

Benedicite Domino, omnes Angeli ejus : potentes virtute, facientes verbum illius; ad audiendam vocem sermonum ejus. *Psal.* 102. 20.

Qui facis Angelos tuos, spiritus : et ministros tuos, ignem urentem. *Psal.* 103. 4.

Domine, in conspectu Angelorum psallam tibi. *Psal.* 137. 2.

Laudate eum, omnes Angeli ejus : laudate eum, omnes virtutes ejus. *Psal.* 148. 2.

Semper jurgia quærit malus : Angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Prov.* 17. 11.

Neque dicas coram Angelo : Non est providentia. *Ecclcs.* 5. 5.

Dejecit castra Assyriorum, et contrivit illos Angelus Domini. *Eccli.* 48. 24.

Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. *Isa.* 6. 6.

Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilaceratam etc. *Ibid.* 18. 2.

A voce Angeli fugerunt populi etc. *Ibid.* 33. 3.

Angeli pacis amare flebunt. *Ibid. v.* 7.

Egressus est autem Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum. *Ibid.* 37. 36.

In omni tribulatione eorum non est tribulatus : et Angelus faciei ejus salvavit eos etc. *Ibid.* 63. 9.

Angelus enim meus vobiscum est : ipse autem exquiram animas vestras. *Baruch* 6. 6.

Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis, quasi medium roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, neque quidquam molestiæ intulit. *Dan.* 3. 49. *V. et. v.* 58. et 59.

Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi : quia coram eo justitia inventa est in me; sed et coram te, rex, delictum non feci. *Ibid.* 6. 22.

Et audivi vocem viri inter Ulai : et clamavit, et ait : Gabriel, fac intelligere istam visionem. Et venit, et stetit juxta, ubi ego stabam, etc. *Ibid.* 8. 16.

Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, etc. *Ibid.* 9. 21.

Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo : et corpus ejus quasi chrysolithus, etc. *Ibid.* 10. 5. *V. et. v.* 10 et 16.

In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, et veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. *Ibid.* 12. 1.

Ecce enim Angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium. *Dan.* 13. 55.

Manet enim Angelus Dei gladium habens, ut secet te medium, et interficiat vos. *Ibid. v.* 59.

Dixitque Angelus ad Habacuc : Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. *Ibid.* 14. 33. *V. et. v.* 35 et 38. (Sic etiam Angeli multa et magna mysteria Danieli revelaverunt.) *V. cap.* 9. et 10. et 11.

Et in fortitudine sua directus est cum Angelo etc. *Oseæ* 12. 3.

Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi, quid sint hæc. *Zach.* 1. 9. *V. et.* 11. et *v.* 19.

Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et Angelus alius egrediebatur in occursum ejus. *Ibid.* 2. 3.

Et contestabatur Angelus Domini Jesum, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris; tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea etc. *Ibid.* 3. 6.

Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo. *Ibid.* 4. 1.

Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me : Leva oculos tuos, et vide, quid est hoc, quod egreditur, etc. *Ibid.* 5. 5. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me : Quo istæ deferunt amphoram? et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam. *v.* 10.

Et respondi, et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me : Quid sunt hæc, Domine mi? et respondit Angelus, et ait ad me : Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terræ. *Ibid.* 6.4.

Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. *Ibid.* 3. 1.

Exiit Angelus, et percussit ex eis (in castris Sennacherib) centum octoginta quinque millia. 1. *Mach.* 7. 4. *V. et.* 2. *Mach.* 15. 22.

Cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. 2. *Mach.* 11. *V. et* 2. *Mach.* 15. 23.

Apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. *Ibid. v.* 8.

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, etc. *Matth.* 1. 20. *usque ad v.* 25.

Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *Ibid* 2. 13. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel, etc. *v.* 19.

Tunc reliquit eum diabolus : et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. *Ibid.* 4. 11. *V. et. Marc.* 1. 13.

Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui, etc. *Ibid.* 11. 10. *V. et. Marc.* 1. 2. *Luc.* 7. 27.

Messores autem, Angeli sunt. *Ibid.* 13. 39.

Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem : et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium. *Ibid.* 13. 41.

Sic erit in consummatione sæculi : exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum. *Ibid.* 13. 49. *V. et. Marc.* 13. 27.

Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *Ibid.* 16. 27.

Videre, ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. *Ibid.* 18. 10.

In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Ibid.* 22. 30. *V. et. Marc.* 12. 25. *Item Luc* 20. 36.

Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna : et congregabunt electos ejus a quator ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. *Ibid.* 24. 31.

(Diem judicii neque Angeli sciunt). *Ibid.* 24. 36. *V. et. Marc.* 13. 32.

(Angeli cum Filio Dei in Majestate sua venient). *Ibid.* 25. 31. *V. et. Luc.* 9. 26. *Item.* 2. *Thessal.* 1. 7.

An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? *Ibid.* 26. 53.

Et ecce terræmotus factus est magnus : Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. *Ibid.* 28. 2.

De die autem illo vel hora, nemo scit, neque Angelni in cœlo, neque Pater. *Marc.* 13. 32.

Ait autem ad illum Angelus. Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est depreca-

tio tua : et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joanem. *Luc.* 1. 13. Et respondens Angelus, dixit ei : Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, etc. *v.* 19. Et ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave gratia plena, Dominus tecum, etc. *v.* 28.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus : Nolite timere : Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. *Ibid.* 2. 9. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum : pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, etc. *v.* 15. *V. v.*21.

Dico autem vobis : Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. *Ibid.* 12. 8.

Gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore pænitentiam agente. *Ibid.* 15. 10.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ : mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. *Ibid.* 16. 22.

Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. *Ibid.* 22. 43.

Et dicit ei : Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis. *Joan.* 1. 51.

Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam : et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. *Ibid.* 5. 4.

Turba ergo, quæ stabat et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant : Angelus ei locutus est. *Ibid.* 12. 29.

Et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. *Joan.* 20. 12

Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis, etc. *Act.* 1 10.

Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos, dixit : Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. *Ibid.* 5. 19.

Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli. *Ibid.* 6. 15.

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. *Ibid.* 7. 30. *V. et. v.* 35. 38.

Qui accepistis legem in dispositione Angelorum. *Ibid.* 7. 53.

Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens: Surge, et vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam : hæc est deserta. *Ibid.* 8. 26.

Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi : Corneli. *Ibid.* 10. 3.

Narravit autem nobis, quomodo vidisAngelum in domo sua, stantem, et dicentem sibi : Mitte in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, etc. *Ibid.* 11. 13.

Et ecce Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo : percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus, etc. *Ibid.* 12. 7.

Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. *Ibid.* 23. 8. *V. et. v.* 9.

Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, et cui deservio. *Ibid.* 27. 23.

Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, etc. neque alia creatura poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom.* 8. 38.

(Apostoli Angelos judicabunt). 1. *Cor.* 6. 3.

Mulier ideo debet potestatem habere supra caput, propter Angelos. *Ibid.* 11. 10.

Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. 2. *Cor.* 11. 14.

(Angelus Satanæ colaphizat Paulum). *Ibid.* 12. 7.

Sed licet nos, aut Angelus de cœlo aliud evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Galat.* 1. 8.

Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. *Ibid.* 3. 19.

Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ. *Coloss.* 2. 18.

Et manifeste magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. 1. *Tim.* 3. 16.

Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, mihil faciens in alteram partem declinando. *Ibid.* 5. 21.

(De differentia inter Christum et Angelos). *Hebr* 1. 4. *usque ad* 14.

(Sermo per Angelus dictus, factus est firmus). *Ibid.* 2. 2. *V. et. v.* 5. 7. 9. 16. (differentiam inter Christum, Angelos, et homines).

Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam. *Hebr.* 12. 22.

Et hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. *Ibid.* 13. 2.

(In Christum) desiderant Angeli prospicere. *Petr.* 1. 12.

(Christo homini subjecti sunt Angeli). *Ibid.* 3. 22.

(Deus Angelis peccantibus non pepercit) 2. *Petr.* 2. 4. *V. et. Judæ* 6.

Ubi Angeli fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversus se execrabile judicium. *Ibid.* 2. 11.

Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus. *Judæ* 9.

(Significavit Deus, quæ oportet fieri cito), mittens per Angelum suum servo suo Joanni. *Apoc.* 1. 1. — *NB*. (Totus liber hic est plenus revelationibus angelicis). *V. c.* 5. *v.* 2. *et* 11. *c.* 6. 7. *c.* 7. 1. *c.* 8. 2. 3. *c.* 9. 1. 11. 13. *c.* 10. 1. 5. 7. 8. 9. *c.* 11. 15. *c.* 12. 1. *c.* 14. 6. 8. 9. 10. 15.

(Angeli septem Ecclesiarum). *Ibid. v.* 20. nempe *Ephesi.* 2. 1, *Smyrnæ.* 2. 8, *Pergami.* 2. 12, *Thyatiræ.* 2. 18, *Sardis.* 3. 1, *Philadelphiæ.* 3. 7, *Laodiciæ.* 3. 14.

Confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. *Ibid.* 3. 5. *V. et. c* 15. 1. 6. 7. 8. *c.* 16. 1. 3. 5. 8. 10. 12. *c.* 17. 1. 7. *c.* 18. 1. 21. *c.* 19. 17. *c.* 20. 1. *c.* 21. 9. 12. 17. *c* 22. 6. 8.

ANGELI *boni confortant deficientes.*

(Unde Angelus ancillæ Saræ in deserto fontem ostendit). *Gen.* 21. 19.

(Sic Eliæ aquam et panem). 3 *Reg.* 19. 5.

(Daniel prandium Habacuc in lacum leonum in Babylone et Judæ apportavit). *Dan.* 30.

ANGELI *flagellant prævaricantes.*

(Deus per Angelos populum pestilentia percussit ob peccatum David, septuaginta millium virorum.) 2. *Reg.* 24. 15.

Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit de castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. 4. *Reg* 19. 35.

(Heliodorum templum spoliare volentem graviter cæciderunt). 2. *Mach.* 3. 25.

Confestim autem percussit eum (Herodem) Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo : et consumptus a vermibus expiravit. *Act.* 12. 23.

ANGELI *gratificant orantes.*

Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob.* 12. 12.

Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem : miserebitur ejus et dicet : Libera eum, ut non descendat in corruptionem : inveni, in quo ei propitier. *Job* 33. 23.

Et alius angelus venit, et stetit ante altare — et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum. *Apoc.* 8. 3.

ANGELI *honorant decedentes.*

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.* 16. 23.

ANGELI *juvant certantes.*

(Uti Angelus sub nube se inter castra Ægyptiorum et Israel posuit.) *Josue* 5. 13.

Tollensque se Angelus Domini. *Exod.* 14. 19. (Sic Josue Angelum in agro evaginatum tenentem gladium vidit). Cum autem esset Josue in agro : *Josue* 5. 13. (Sic precibus Elisei puer ejus montem plenum equorum et curruum igneorum, in

circuitu vidit Elisei). Cumque orasset Eliseus. 4. *Reg.* 6. 17.

Deus meus, misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi : quia coram eo justitia inventa est in me. *Dan.* 6. 22. (Sic Machabæo apparuit præcedens eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans). 2. *Mach.* 11. 8. Ut autem Machabæus. *v.* 6. (Liberavit Apostolos e carcere). *Act.* 5. 22. (Sic Petrum). *Act.* 12. 7.

ANGELI *mali hominibus moliuntur fraudulenter.*

(Unde Evam natura et sexu infirmiorem callide solam, et simplici agressus est quæstione diabolus). *Gen.* 3.

Ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus. 1. *Cor.* 2. 11.

Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis *Ibid.* 12. 14.

ANGELI *mali omnes quantumcumque sanctos tentant.*

Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. *Joan.* 14. 50.

Tunc Jesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. *Matth.* 4. 1.

Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. *Luc.* 4. 13.

Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes. *Joan.* 13. 2.

Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, etc. 2. *Petr.* 5. 8.

ANGELI *mali horribiliter aggrediuntur.*

(Sic Job nedum in substantia, prole, et corpore, sed quam maxime in anima per blasphemiam lædere studuit). *Job.* 1.

Sed extende paullulum manum tuam, et tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. *Ibid.* 1. 11.

Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem; et tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi. *Ibid.* 2. 4.

Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret. Omne sublime videt : ipse est rex super omnes filios superbiæ. *Ibid.* 41. 24.

Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua : in tempore consummationis effundent virtutem : et furorem ejus, qui fecit illos, placabunt. *Eccli.* 39. 33. (Unde reddit hominem cæcum et mutum). *Matth.* 12. 22. *Luc.* 9. 39.

ANGELI *mali a Deo reprimuntur, ne quantum volunt, possint.*

Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt : tantum in eum ne extendas manum tuam. *Job* 1. 12.

Ecce in manu tua est : verumtamen animam illius serva. *Ibid.* 2. 6.

(Unde nec in porcos quidem, nisi permissi, intrare potuerunt). *Matth.* 8. 31.

Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum ; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. *Luc.* 22. 31.

ANGELI *mali ab homine repelluntur per gratiæ assistentiam.*

Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. *Rom.* 16. 20.

Nolite locum dare diabolo. *Ephes.* 4. 27.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. *Ibid.* 6. 11.

Subditi estote Deo, resistite autem diabolo et fugiet a vobis. *Jacob.* 4. 7.

Cui resistite fortes in fide. 1. *Petr.* 5. 9.

Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. 1. *Joan.* 2. 14.

ANGELI *mali per Deum expelluntur.*

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes : et ejiciebat spiritus verbo. *Matth.* 8. 16.

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus : et miratæ sunt turbæ. *Ibid.* 9. 32.

Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus : et curavit eum, ita ut loqueretur, et videret. *Ibid.* 12. 22. *Item.* c. 17. 14. *V. Marc.* 5. 2. c. 7. 32. c. 9. 16. *Luc.* 4. 33. c. 8. 27. c. 11. 17. 18.

ANGELI *mali per homines expelluntur.*

Et convocatis duodecim discipulis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos. *Matth.* 10. 1. *V. et. Marc.* 3. 15. *Luc.* 9. 1.

Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes : Domine, etiam dæ-

monia subjiciuntur nobis in nomine tuo. *Luc.* 10. 17.

Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia : filii vestri in quo ejiciunt? *Ibid.* 11. 19.

Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu. *Act.* 19. 13.

ANGELI. — *Angelorum ruina.*

Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles: et in Angelis suis reperit pravitatem. *Job.* 4. 18.

Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. *Ibid.* 15. 15.

Ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherub. — Et elevatum est cor tuum in decore tuo. *Ezech.* 28. 16. 17.

Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus. *Joan.* 8. 44.

Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. 2. *Petr.* 2. 4.

Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. *Judæ* 6.

ANGELI. — *Angelorum nomine appellantur Doctores et Prædicatores.*

Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt. *Isa.* 33. 7.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. *Ibid.* 3. 1.

Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. *Matth.* 11. 10.

Sicut scriptum est in Isaia Propheta (*Malach.* 3) : Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit, etc. *Marc.* 1. 2. *Idem Luc.* 7. 17. (habetur).

Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos : quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. 1. *Cor.* 4. 9.

Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. *Apoc.* 2. 1. *V. et. v.* 8. *Item v.* 12. et *v.* 18.

Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, et septem stellas : Scio opera tua, quia nomen habes, quod vias, et mortuus es, etc. *Ibid.* 3. 1. *Item v.* 7. et 14.

ANIMA.

Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. *Ezech.* 18. 4.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. *Matth.* 10. 28.

Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat? aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? *Marc.* 8. 36.

ANIMA. — *Animæ quorumdam piorum statim post mortem sunt cum Christo; contra eos, qui dicunt illas usque in diem judicii quiescere.*

Audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. 2. *Cor.* 5. 8. *V. et. Philip.* 1. 24.

Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam, dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

ANIMA. — *Animæ immortalitas.*

Congregatusque est (Abraham) ad populum suum. (Ex quo patet, quod in alio sæculo habeat populum, per consequens quod immortalis). *Gen.* 25. 8. *V. et.* (simile dictum de Isaac) *Gen.* 35. 29. (et de Jacob). *Gen.* 49. 29.

Descendam ad filium meum lugens in infernum. (Unde credebat, eum ibi esse secundum spiritum). *Gen.* 37. 35.

Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. (Atqui non mortuorum, sed viventium Deus). *Exod* 3. 6. *Confer Matth.* 22. 32. *Marc.* 12. 26. *Luc.* 20. 37.

Descenderuntque vivi in infernum. *Num.* 16. 33. *V. et. v.* 30.

(Si Saul credidisset Samuelem penitus, non quantum ad animam fuisse extinctum, petivisset ipsum suscitari). 1. *Reg.* 28. 11.

Ege vadam magis ad eum (scilicet in æternitate) : ille vero non revertetur ad me. 2. *Reg.* 12. 23.

Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. 3. *Reg.* 17. 21.

Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum : et præcipe in pace recipi spiritum meum. *Tob.* 3. 6.

Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Eccles.* 12. 7.

(Ex verbis illis, quæ dicunt damnati in inferno, ostendunt vivere tam bonos, quam malos in alio sæculo). *Sap.* 5.

Si in præsenti tempore suppliciis hominum eripiat, sed manum omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 2. *Mach.* 6. 26. *V. et.* 2. *Mach.* 7. (ubi ex verbis matris generosæ et ejusdem filiorum patet, quod quantum ad animam non credebant se perire).

(Razias complexus intestina sua, projecit super turbas, invocans Dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet, et sic obiit). 2. *Mach.* 14. 46.

Nolite timere illos, qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere, etc. *Matth.* 10. 28.

Domine Jesu, accipe spiritum meum : *Act.* 7. 58.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. *Cor.* 5. 1.

Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. *Philip.* 1. 23.

ANTICHRISTUS, *et ejus regnum,*

(Habitantibus post reductam captivitatem secure filiis Israel in oppidis suis, adducet Dominus in novissimis diebus contra eos Gog cum exercitu grandi : sed et hunc cum suo exercitu multis cladibus postea consumet). *Ezech.* 38. (Gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur). *v.* 21. *V. et. c.* 39.

Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis : dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans : dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, et habebat cornua decem, etc. *Dan.* 7. 7. Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus et terribilis nimis : dentes et ungues ejus ferrei : comedebat, et comminuebat, et reliqua pedibus suis conculcabat. *v.* 19. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt : et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit. *v.* 24.

De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum, et factum est grande contra Meridiem, et contra Orientem, et contra fortitudinem. *Ibid* 8. 9. Et post regnum eorum cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones : et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis : et supra quam credi potest, universa vastabit : et prosperabitur et faciet. Et interficiet robustos, et populum sanctorum secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu ejus : et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos, et contra principem principum consurget, et sine manu conteretur. *Ibid. v.* 23. 24. 25.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. *Ibid.* 9. 27. *V. et. Zach.* 11. 15.

In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui : et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. *Ibid.* 12. 1.

Surgent enim pseudo-Christi, et pseudo-Prophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. *Matth.* 24. 24.

Multi enim venient in nōmine meo, dicentes, quia ego sum : et multos seducent. *Marc.* 13. 6.

Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. *Joan.* 5. 43.

Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. *Act.* 20. 29.

Ne quis vos seducat ullo modo : quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur : ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus. 2. *Thess.* 2. 3. *V. Ephes.* 5 6.

Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et ii, qui cognoverunt veritatem. 1. *Tim.* 4. 1.

Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores, magis quam Dei : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. *Tim.* 3. 2.

(Pseudo-prophetæ multos seducent; verum acriter punientur, sicut de malis actum est tempore diluvii, etc.). 2. *Petr.* 2. *V. et. Ibid.* 3. 3.

Filioli, novissima hora est : et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt : unde scimus, quia hora novissima est. 1. *Joan.* 2. 18. Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. *v.* 22.

Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est : et hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, et nunc jam in mundo est. *Ibid.* 4. 3.

Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qni non confitentur, Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor et Antichristus 2. *Joan.* 7.

Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem, et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. *Judæ.* 4 et 10.

Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. *Apoc.* 11. 7. *V. et. Ibid. c.* 13.

Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna : Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua : et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum et ante conspectum Agni. *Ibid.* 14. 9. *V. c.* 17. et *c.* 19. 20. et *c.* 20. 2. 10.

ANTIQUÆ VIÆ *inquirendæ et observandæ, et a novis declinandum.*

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. *Prov.* 22. 28.

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Eccli.* 39. 1. *V. et. Ibid.* 8. 11.

Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea : et invenietis refrigerium animabus vestris. *Jerem.* 6. 16.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones, et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. *Rom.* 16. 17.

Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium : quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Gal.* 1. 6.

O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. 1. *Tim.* 6. 20.

Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 2. *Tim.* 4. 3.

Vos igitur, fratres, præscientes, custodite : ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate. 2. *Petr.* 3. 17.

Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat : si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. I. *Joan.* 2. 24.

Omnis qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet. 2. *Joan.* 9.

Vos autem, carissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. *Judæ.* 17.

ANTIQUÆ VIÆ. — *De traditionibus.*

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio — morietur homo ille. *Deut.* 17. 12.

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Matth.* 18. 17.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite : secundum opera vero eorum nolite facere. *Ibid.* 22. 2.

Qui vos audit, me audit : qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10. 16.

(Cum Paulus et Timotheus pertransirent civitatem Siriæ, et Ciliciæ, confortabant Ecclesias, et præcipibant eis custodire præcepta Apostolorum, et decreta seniorum). *Act.* 16. 4.

Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Ibid.* 20. 28.

Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis : et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 1. *Cor.* 11. 2.

Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. 1. *Thess.* 4. 2. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum Sanctum suum in nobis. *v.* 8.

State, et tenere traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite : et Deus pacis erit vobiscum. *Philip.* 4. 9.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc enim non expedit vobis. *Hebr.* 13. 27.

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum : spero enim, me futurum apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit. 2. *Joan.* 12.

Multa habui tibi scribere : sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. 3. *Joan.* 13.

APOSTATÆ

Salva animam tuam : noli respicere post tergum : nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. *Gen.* 19. 17. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. *v.* 26.

Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi. *Ibid.* 26. 2.

Non egrediat, sed hic moriar, (dixit Joab) 3. *Reg.* 2. 30.

Quare dereliquimus domum Dei ? 2. *Esdr.* 13. 11.

Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. *Prov.* 6. 12.

Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. *Ibid.* 27. 8.

Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. *Eccles.* 10. 4.

Ne manseris in operibus peccatorum : confide autem in Deo, et mane in loco tuo : facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. *Eccli.* 11. 22.

Sic conflabitur indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Ægyptum. *Jerem.* 42. 18. Nolite intrare Ægyptum. *v.* 19.

Reversi sunt, ut essent absque jugo : facti sunt quasi arcus dolosus. *Oseæ.* 7. 16.

Visitabo — super omnes, qui induti sunt veste peregrina. *Soph.* 1. 3.

Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. *Luc.* 9. 4. Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. *v.* 62.

Nolite transire de domo in domum. *Ibid.* 10. 7.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho (de claustro ad sæculum), et incidit in latrones. *Luc.* 10. 30.

Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi. *Galat.* 1. 6.

Memor esto itaque, unde excideris : et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi. *Apoc.* 2. 5.

APOSTOLI *habuerunt libros.*

Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas. 2. *Tim.* 4. 13.

APOSTOLI *hortantur ad studium legendi.*

Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 1. *Tim.* 4. 13.

APOSTOLI *et Prophetæ habuerunt Spiritum Dei.*

Perge igitur, et ego ero in ore tuo : doceboque te quid loquaris. At ille : Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. *Exod.* 4. 12. *V. et. Matth.* 10. 20.

Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. 2. *Reg.* 23. 2.

Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini : et docuit me, et locutus est mihi, dixitque : Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres, etc. *Dan.* 9. 21.

Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu Prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur? *Zach.* 7. 7 Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Judicium verum judicare, et misericordiam, et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. *v.* 8.

Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Matth.* 10. 20.

Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. *Marc.* 13. 11. *V. et. Luc.* 12. 12. *c.* 21. 15.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum : Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, etc. *Joan.* 14. 16.

Et repleti sunt omnes (Apostsli) Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linquis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. *Act.* 2. 4.

Et cum orassent, motus est locus, in in quo erant congregati : et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Ibid.* 4. 31.

Et abiit Ananias, et introivit in domum : et imponens ei manus, dixit. Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu Sancto. *Ibid.* 9. 17. *V. et.* 2. *Cor.* 13. 3.

Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. *Ibid.* 19. 6.

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, etc. 1. *Cor.* 2. 12.

Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum ; qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis, etc. 1. *Thess.* 4. 8,

Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 2. *Petr.* 1. 21. *V. et.* 2. *Corinth.* 3. 16. *et.* 1. *Petr.* 1. 11.

APOSTOLIS *contulit Christus potestatem Ordinis.*

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum : et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth.* 26. 26.

Et, accepto pane, gratias egit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19. *Item Marc.* 14. 22.

Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit et dixit : Accipite et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. 1. *Cor.* 11. 23,

APOSTOLIS *contulit potestatem jurisdictionis in foro interiori.*

Accipite Spiritum Sanctum : quorum

remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan* 20. 23. *V. et. Matth.* 18. 18.

APOSTOLIS *contulit potestatem jurisdictionis in foro exteriori. V.* **Excommunicatio.**

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Matth.* 18. 18. *et Joan.* 20. 23. *idem habetur.*

(Apostoli eliguntur ex discipulis). *Luc.* 6. 13. (Mittuntur ad annuntiandum regnum Dei in Judæam). *Matth.* 28. 19. *Marc.* 16. 15. *Act.* 1. 8. *c*, 13. 46.

APPARITIONES *Dei, Angelorum, et hominum.*

(Apparuit Deus Adam ante peccatum : Adamo, Evæ, et serpenti post peccatum). *Gen. c. et.* 3.

(Apparuit Deus Cain, et monuit ipsum ante fratricidium : post hoc vero dure arguit eum). *Ibid. c.* 4.

(Apparuit Deus Noe, et præcepit ipsi structuram Arcæ, et alia cum ipso locutus). *Ibid. c.* 6 *et* 9. *V. per totum Caput.*

(Apparuit Deus Abraham, et dixit ad eum) : Egredere de terra tua, etc. *Ibid. c.* 12.

(Apparuit iterum Deus Abraham). *Ibid. v.* 7.

Factus est sermo Domini ad Abraham : (qui dedit ei præceptum circumcisionis). *Ibid. c.* 15. *et.* 17.

Apparuit autem ei (Abraham) Dominus in convalle Mambre — cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes ante eum. *Ibid. c.* 18. *v.* 1. *et* 2.

(Apparuerunt Lot duo Angeli, sedentes in foribus civitatis). *Ibid.* 19. 1.

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte. *Ibid.* 20. 3.

(Apparuit Angelus in deserto Agar et filio ejus). *Ibid.* 21. 17.

Tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum — Tolle filium, etc. *Ibid. c.* 22. *v.* 1. *et.* 2.

(Apparuit Angelus de cœlo. etc). *Ibid. v.* 15.

(Apparuit Dominus Isaac, et ait) : Ne descendas in Ægyptum. *Ibid.* 26. 2.

(Apparuit Deus multoties Jacob). *Ibid. c.* 28. *V. et Gen* 31. 3.

(Vidit Laban Deum in somnis sibi loquentem). *Ibid.* 31. 24.

Mansit solus : et ecce vir luctabatur cum eo usque mane : qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit ervum femoris ejus, et statim emarcuit. *Ibid.* 32. 24.

Apparuitque ei (Moysi) Dominus in flamma ignis de medio rubi : et videbat, quod rubus arderet, et non combureretur. *Exod.* 3. 2.

(Apparitio Angeli ad Balaam). *Num.* 22. 21.

Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum ? etc. *Josue* 5. 13.

Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium. *Judic.* 2. 1.

(Venit Angelus Domini, et apparuit Gedeoni). *Ibid. c.* 6.

(Apparuit Angelus Domini uxori Manue). *Ibid. c.* 13. *V. et. v.* 20.

Addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo. 1. *Reg.* 3. 20.

Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte. 3. *Reg.* 3. 5. *V. et.* 3. *Reg.* 9. 1. 2. *Item.* 2. *Reg.* 11. 9.

(Angelus Domini apparuit Eliæ fugienti). *Ibid.* 19. 5. (Eidem etiam apparuit Deus). *v.* 11.

Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit : et ecce mons plenus equorum, et curruum igneorum. 4. *Reg.* 6. 17.

(Multa leguntur de apparitione Angeli Raphaelis). *In Lib. Tob.*

Apparuit enim illis quidam eques, terribilem habens sessorem. 2. *Mach.* 3. 25.

(Cum vehemens pugna esset inter Timot eum et Judam Machabæum), apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque etc. *Ibid.* 10. 29.

(Ter legitur apparuisse Angelum Domini Joseph : semel cum esset Maria adhucg ravida : deinde cum esset Salvator natus : et tertio in Ægypto). *Matth. c.* 1. et 2. *V. et Marc.* 1. 10. *Joan.* 1. 32.

(Apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ super Christum baptizatum). *Ibid.* 3. 16. *Luc.* 3. 22.

Et ecce apparuerunt eis Moyses et Elias, etc. *Ibid.* 17. 3.

Et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis —

venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. *Ibid.* 27. 52.

Et ecce terræ motus factus est magnus : Angelus enim Domini descendit de cœlo : et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. *Ibid.* 28. 2. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens : Averte. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. *v.* 9.

Et vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida nimis, velut nix ; qualia fullo non potest super terram candida facere, etc. *Marc.* 9. 2.

Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. *Marc.* 16. 5. Surgens autem mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia, etc. *c.* 9. *Item v.* 12 et 14.

(Surgens Christus mane), apparuit primo Mariæ Magdalenæ. *Ibid.* 16. 9.

Et ecce duo viri loquebantur cum illo ; erant autem Moyses et Elias visi in majestate. *Luc.* 9. 30.

Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. *Ibid.* 24. 4. *Item. v.* 15. et 16.

(Christus apparet discipulis suis Emmaus euntibus : et tandem discipulis suis omnibus, et exprobravit eis incredulitatem eorum). *Ibid.* 24. *v.* 13. 36.

Et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. *Joan.* 20. 12. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem : et non sciebat quia Jesus est. *v.* 14. *V. et. c.* 21. 1.

Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis. *Act.* 1. 10.

(Apparet Christus Saulo et Ananiæ). *Ibid. c.* 9.

(Cornelio apparet Angelus). *Ibid.* 10. 3. ut et *Petr. v.* 9.

(Apparet Angelus Petro in carcere, et educit eum). *Ibid. c.* 12.

Et visio per noctem Paulo ostensa est : vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. *Ibid.* 16. 9.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : Noli timere, sed loquere, et ne taceas : propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi, ut noceat te. *Ibid.* 18. 9. *V. et. Act. c.* 23. *et in Apocal. per totum.*

AQUA *nominatur persecutio.*

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. *Psal.* 68. 16.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum. *Psal.* 143. 7.

Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum : et antequam patiatur contumeliam, judicium deserit. *Prov.* 17. 14.

Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super firmam petram. *Matth.* 7. 25.

Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram : inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat super petram. *Luc.* 6. 48.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. *Apoc.* 12. 15.

AQUA *nihil nocumenti affert electis Dei.*

Et egressi sunt filii Israel per medium sicci maris : erat enim aqua quasi murus, a dextra eorum, et læva. *Exod.* 14. 22.

Qui convertit mare in aridam : in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso. *Ps.* 65. 6,

Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. *Isa.* 43. 2.

Et ego dixi : Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum : verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. *Jonæ.* 2 5.

AQUA. — *Aquæ assimilantur cognitio Dei et dona Spiritus Sancti.*

Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo : quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. *Isa.* 11. 9.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Ibid.* 12. 3.

Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum ; quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. *Ibid.* 35. 6.

Glorificabit me bestia agri, dracones,

et struthiones : quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. *Ibid.* 43. 20.

Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam, etc. *Ibid.* 44. 3.

Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet : et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, et sanabuntur, et vivent omnia, ad quæ venerit torrens. *Ezech.* 47. 9.

Et erit in die illa : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum : in æstate et in hieme erunt. *Zach.* 14. 8.

Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. *Joan.* 4. 10.

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura (*Deut.* 18. 15.), flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Ibid.* 7. 38.

AQUA *benedicta. V.* **Benedictio.**

ARBITRIUM. *V.* **Liberum arbitrium.**

ARBOR *bona ex fructu probatur.*

Non potest arbor bona malos fructus facere : neque arbor mala bonos fructus facere. *Matth.* 7. 38.

Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum : siquidem ex fructu arbor agnoscitur. *Ibid.* 12. 33.

Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos : neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligitur ficus : neque de rubo vindemiant uvam. *Luc.* 6. 43.

ARBOR *bona commendatur.*

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo : et folium ejus non defluet. *Psal.* 1. 3.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei. *Psal.* 51. 10.

Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur. *Psal.* 91. 13. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. *v.* 14.

Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit, cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. *Jerem.* 17. 8.

Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum : non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus. *Ezech.* 47. 12.

Omnis arbor bona bonos fructus facit : mala autem arbor malos fructus facit. *Matth.* 7. 17.

ARBOR *mala reprobatur.*

Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, et folia tua comedat, et fructus tuos perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo. *Eccli.* 6. 2.

Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile, et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, et feci. *Ezech.* 17. 24.

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *Matth.* 1. 3. 10.

Mala arbor, malos fructus facit. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. *Ibid.* 7. 17.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio. Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat ? At ille respondens dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora : et siquidem fecerit fructum : sin autem in futurum succides eam. *Luc.* 13. 6. 7. 8. 9.

ARCA *Noe.*

Fac tibi arcam de lignis lævigatis : mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. *Gen.* 6. 14.

(Ingresso Noe cum suis in arcam, statim aqua omnium montium cacumina 15 cubitis superavit, reliquaque animantia submersit). *Ibid. c.* 7.

(Imminutis paululum aquis diluvii, post columbæ emissionem, Noe cum universis qui in arca continebantur egreditur et, altari extructo, offert holocausta). *Ibid. c* 8.

Propter quem, cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans. *Sap.* 10. 4.

Sed et ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata. *Sap.* 14. 6. *V. et. Gen.* 6. 4. *c.* 7. 7.

Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis. *Matth*, 24. 38. *V. et. Gen.* 7. 7.

Edebant et bibebant, uxores ducebant, dabantur ad nuptias usque in diem, quo intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Lot : edebant et bibebant : emebant et vendebant : plantabant et ædificabant. Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit : secundum hæc erit, qua die Filius hominis revelabitur. *Luc.* 17. 27. *et seq.*

Fide Noe, responso accepto de his quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum : et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. *Hebr.* 11. 7.

Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur arca : in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. 1. *Petr.* 3. 20.

ARCA *fœderis Domino paratur.*

Arcam de lignis Setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos : latitudo cubitum et dimidium : altitudo cubitum similiter et semissem. Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris, faciesque supra coronam auream per circuitum, etc. *Exod.* 25. 10. In qua pones testimonium, quod dabo tibi. *v.* 21.

ARCA *assumitur in castra contra Philistæos.*

Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra. 1. *Reg.* 4. 5. (Capitur arca). Et arca Dei capta est : duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees. *v.* 11.

ARCA, *quid in se continebat.*

Et scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque eas in arca. *Deut.* 10. 2.

Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium. *Ibid.* 31. 26.

In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel cum egrederentur de de terra Ægyti. 3. *Reg.* 8. 9. V. 2. *Paral.* 5. 10. (ubi idem verbatim habetur).

Aureum habens thuribulum et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti, etc. *Hebr.* 9. 4.

ARMA *spiritualia congrua.*

Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate, judicio meo. *Job* 29. 14.

Accipit armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem. *Sap.* 5. 18.

Indutus est justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus. Indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. *Isa.* 59. 17.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis Deo : sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes : et membra vestra arma justitiæ Deo. *Rom.* 6. 13.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus. *Ibid.* 13. 12.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis : in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. *Eph.* 6. 14.

Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei, et caritatis, et galeam spem salutis : quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum. 1. *Thess.* 5. 8.

ARMA *spiritualia sunt utilia.*

Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 2. *Cor*. 10. 4.

De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli : quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus rectores mundi tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Ephes*. 6. 10. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. *v*. 13.

Nam et qui certat in agone non coronatur, nisi qui legitime certaverit. 2. *Tim*. 2. 5.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex : non solum autem mihi, sed et his, qui diligunt adventum ejus. *Ibid*. 4. 7.

ARIOLI. *V. et*. **Incantationes.**

ARROGANTIA. *V. et*. **Gloria vana.**

Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel. *Jos*. 7. 19.

Regemque sæculorum exaltate in cordibus vestris. *Tob*. 13. 6.

Omnem arrogantem humilia. Job. 40. 6.

Afferte Deo gloriam et honorem. *Psal*. 28. 2. Date gloriam laudi ejus. *Psal*. 65. 2.

Arrogantiam et superbiam — detestor. *Prov*. 8. 13.

Abominatio Domini est omnis arrogans. *Ibid*. 16 5.

Noli extollere te in faciendo opere tuo. *Eccli*. 10. 29.

Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. *Isa*. 2. 12.

Arrogantiam fortium humiliabo. *Ibid*. 13. 11.

Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri, etc. *Ibid*. 40. 7.

Gloriam meam alteri non dabo. *Ibid*. 42. 8.

Non glorietur sapiens in sapientia sua. *Jerem*. 9. 23. *V. et*. 1. *Cor*. 1. 31. 2. *Cor*. 10. 17.

Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui. *Ibid*. 49. 16.

Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus. *Oseæ*. 5. 5.

Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen, in die illa. *Soph*. 1. 9.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus . quod debuimus facere, fecimus. *Luc*. 17. 10.

Non potest homo accipere quidquam, nisi ei fuerit datum de cœlo. *Joan*. 3. 27.

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? *Ibid*. 5. 44.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. *Ibid*. 12. 43.

Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, etc. 1 *Cor*. 4. 7.

Non est bona gloriatio vestra. *Ibid*. 5. 6

Nam si evangelizavero, non est mihi gloria. *Ibid*. 9. 16.

Qui gloriatur, in Domino glorietur : non enim qui seipsum commendat, ille probatus est. 2. *Cor*. 10. 17, *Item* 1. *Cor*. 1. 31.

Si gloriari oportet, non expedit quidem. *Ibid*. 12. 1.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. *Gal*. 5. 26.

Hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Ephes*. 2. 8.

Confestim autem percussit eum (Herodem) Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: et consumptus a vermibus expiravit. *Act*. 12. 23.

Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. *Jac*. 2. 16.

ARTIFEX. — *Artifices, qui dies noctesque aliis occupantur, jubentur non immiscere se ecclesiasticis rebus.*

Qui tenet aratrum, et qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, et conversatur in operibus eorum, enarratio ejus in filiis taurorum. Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in sagina vaccarum. Sic omnis faber et architectus, qui

noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, et assiduitas ejus variat picturam : cor suum dabit in similitudinem picturæ, et vigilia sua perficiet opus. Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, et considerans opus ferri : vapor ignis uret carnes ejus, et in calore fornacis concertatur : vox mallei innovat aurem ejus, et contra similitudinem vasis oculus ejus. *Eccli.* 38. 26. *usque ad* 30. etc. Omnes hi in manibus suis speraverunt, et unusquisque in arte sua sapiens est. Sine his omnibus non ædificatur civitas, et non habitabunt nec inambulabunt, et in ecclesiam non transilient : super sellam judicis non sedebunt, et testamentum judicii non intelligent, neque palam facient disciplinam et judicium, et in parabolis non invenientur : sed creaturam ævi confirmabunt, et deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, et conquirentes in lege Altissimi *v.* 35. *usque ad fin.*

ASPECTUS *incautus. V.* **Oculorum custodia.**

ASPERITAS *vestium.*

Indutus est Jacob cilicio, lugens filium suum multo tempore. *Gen.* 37. 34.

Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum, qui erat cum eo : Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite exequias Abner. 2. *Reg.* 3. 31.

Ponamus itaque saccos in lumbis nostris. 3. *Reg.* 20. 31. Accinxerunt saccis lumbos suos (Servi Benadad). *v.* 32.

Operuit (Achab) cilicio carnem suam. *Ibid.* 21. 27.

Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. 4. *Reg.* 6. 30.

Et induerunt se sacerdotes ciliciis. *Judith.* 4. 9. Præcincti (ciliciis offerebant sacrificium). *v.* 16.

Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. *Job.* 16. 16.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. *Psal.* 34. 13.

Posui vestimentum meum cilicium. *Psal.* 68. 12.

Et erit — pro fascia pectorali cilicium. *Isa.* 3. 24.

Accingite vos ciliciis, plangite et ululate. *Jerem.* 4. 8.

Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere. *Ibid.* 6. 26.

Plange, quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. *Joel.* 1. 8. Ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei. *v.* 13.

Prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis. *Jonæ* 3. 5. Et indutus est (Rex) sacco, et sedit in cinere. *v* 6.

(Mathathias et filii ejus) operuerunt se ciliciis. 1. *Mach.* 2. 14.

(Jejunaverunt : Judas Machabæus et sui, induerunt se ciliciis et cinere). *Ibid* 3. 47.

Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, etc. *Matth.* 4. 4.

Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Ibid.* 11. 8. Olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. *v.* 21.

ASTROLOGIA *quædam humana.*

Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies, et annos : ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. *Gen.* 1. 14.

Cunctis diebus terræ sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiescent. *Ibid.* 8. 22.

Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. *Deut.* 4. 19.

Qui fecit luminaria magna — solem in potestatem diei, — lunam et stellas in potestatem noctis. *Psal.* 135. 7. et 8.

Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole? A Domini scientia separati sunt, facto sole, et præceptum custodiente. (Per Dei sapientiam dividuntur). *Eccli.* 33. 7.

Dicebat autem ad turbas : Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit ; et ita fit. Et cum austrum flantem, dicitis : Quia æstus erit ; et fit. *Luc.* 12. 54. *V. et. Matth.* 16. 2.

ASTROLOGIA *quædam vana.*

Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. Irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. *Isa.* 44. 24.

ST. BASIL'S SEMI LIBRARY

Convertens sapientes retrorsum, et scientiam eorum stultam faciens. *Ibid.* 47. 13.

Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos. Non liberabunt animam suam de manu flammæ. *Ibid.* 47. 13.

Juxta vias Gentium nolite discere, et a signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes : quia leges populorum vanæ sunt. *Jerem.* 10. 2.

ASTUTIA *et calliditas mala.*

(Primum astutiæ exemplum habemus in diabolo, qui non virum, sed mulierem in serpente, qui erat astutior cunctis animantibus, aggressus est et seduxit). *Gen.* c. 3. *V.* 2. *Cor.* 11. 3.

(Vide astutiam Laban, qui voluit seducere Jacob, primo in uxore, secundo in mercede). *Ibid.* c. 29. et 30.

(Astutia Rachelis). *Ibid.* c. 31.

Nec agas quidquam callide — ut benedicat tibi Dominus Deus. *Deut.* 15. 10.

(Astutia Gabaonitorum). *Josue.* 9. 4.

Qui apprehendit sapientes in astutia eorum. *Job.* 5. 13. *V.* 1. *Cor.* 3. 19.

(Simulator es et callidi provocant iram Dei). *Ibid.* 36. 13.

Ut detur parvulis astutia. *Prov.* 1. 4.

Intelligite, parvuli, astutiam. *Ibid.* 8. 5.

Qui autem dissimulat injuriam, callidus est. *Ibid.* 12. 16.

Astutus omnia agit cum consilio. *Ibid.* 13. 16.

Astutus considerat gressus suos. *Ibid.* 14. 15. *V. et. v.* 18.

Stultus irridet disciplinam patris sui : qui autem custodit increpationes, astutior fiet. *Ibid.* 15. 5.

Callidus vidit malum, et abscondit se. *Ibid.* 22. 3. *V. et. cap.* 27. 12.

Radix sapientiæ cui revelata est? et astutias illius quis agnovit? *Eccli.* 1. 6.

Omnis astutus agnoscit sapientiam. *Ibid* 18. 28.

Est vir astutus multorum eruditor, et animæ suæ inutilis est. *Ibid.* 37. 21.

Comprehendam sapientes in astutia eorum. 1 *Cor* 3. 19. *V. Job.* 5. 13.

Non ambulantes in astutia. 2. *Cor.* 4. 2.

Cum essem astutus, dolo vos cepi. 2. *Cor* 12. 16.

AVARITIA.

Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam. *Exod.* 18. 21.

Responditque Achan Josue, et dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israel ; et sic et sic feci. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum ; et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. *Josue.* 7. 20.

Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus : sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3.

(De avaritia Giezi). 4. *Reg.* 5. 20. (usque ad finem).

Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. *Psal.* 36. 16. Mutuabitur peccator et non solvet ; justus autem miseretur et tribuet. *v.* 21.

Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt. *Prov.* 1. 19.

Qui confidit in divitiis suis corruet : justi autem quasi virens folium germinabunt. *Ibid.* 11. 28.

Non inveniet fraudulentus lucrum : et substantia hominis erit auri pretium. *Ibid.* 12. 27.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. *Ibid.* 15. 16. Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam : qui autem odit munera, vivet. *v.* 27.

Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam : qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Ibid.* 28. 16. Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. *v* 22.

Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : affer, affer. *Ibid.* 30. 15.

Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis : et hoc ergo vanitas. *Eccles.* 5. 9.

Unus est, et secundum non habet — et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis. *Ibid.* 4. 8. *V. et. cap.* 5. 9.

Væ, qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci : numquid habitabitis vos soli in medio terræ? *Isa.* 5. 8.

Qui projicit avaritiam — in excelsis habitabit. *Ibid.* 33. 15.

Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. *Ibid.* 56. 11.

Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum. *Ibid.* 57. 17. *V. et. Amos* 9. 1. *Marc.* 7. 22. *Act.* 5. (de Anania et Saphira). *Act.* 16. 19. (de Quæstuariis). *Item. c.* 19. 24. (de Demetrio). *Item c.* 24. 26. *Rom.* 1. 29. 2. *Cor.* 9. 5. *Ephes.* 4. 19. 2 *Petr.* 2. *v.* 3. et 14.

A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student : a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Jerem.* 6. 13.

Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus : quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur : a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium. *Ibid.* 8. 10.

Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti, et super sanguinem, qui effusus est in medio tui. *Ezech.* 22. 13.

Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. *Habac.* 2. 9.

Menelaus autem propter eorum qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium. 2. *Mach.* 4. 50. et *cap.* 10. 20.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur, etc. *Matth.* 6. 19.

Quid vultis mihi dare? et ego eum vobis tradam. *Ibid.* 26. 15. *V. Joan.* 12. 4.

Tunc videns qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum et Senioribus etc. et laqueo se suspendit. *Ibid.* 27. 3.

Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat? *Marc.* 8. 36.

Dixitque ad illos : Videte et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet. *Luc.* 12. 15.

Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua vendidit agrum, et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua : et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit, etc. *Act.* 5. 1.

(Petrus ait Simoni Mago) : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Ibid.* 8. 20.

Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10.

Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ephes.* 5. 3.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. *Coloss.* 3. 5.

Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, etc. 1. *Tim.* 6. 9.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum. *Tit.* 1. 7. Quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. *v.* 11.

Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam. *Hebr.* 13. 5. *V. Jos.* 1. 5.

AUDIENDUM *verbum Dei. V.* **Verbum Dei.**

AVERSIO *a Deo perversitate humana peragitur.*

Dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo. *Deut.* 33. 15. Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. *v.* 18.

Quæ est ista transgressio? cur reliquistis Dominum Deum Israel? *Jos.* 22. 16. Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus. *v.* 29.

Absit a nobis, ut relinquamus Dominum, et serviamus diis alienis. *Ibid.* 24. 16. Si dimiseritis Dominum, et servieritis diis alienis, convertet se, et affliget vos atque subvertet. *v.* 20.

Clamastis ad me, erui vos de manu eorum : et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos. *Judic.* 10. 12.

Vos reliquistis me (dicit Dominus), et

ego reliqui vos in manu Sesac. 2. *Paral.* 12. 5.

Longe a peccatoribus salus. *Psal.* 118. 155.

Et reliquit ducem pubertatis suæ, et pacti Dei sui oblita est. *Prov.* 2. 17.

Longe est Dominus ab impiis. *Ibid.* 15. 29.

Perversæ enim cogitationes separant a Deo. *Sap.* 1. 3.

Ingratus sensu derelinquet liberantem se. *Eccli.* 29. 22.

Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi. *Ibid.* 41. 11.

Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. *Isa.* 1. 4. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. *v.* 2.

Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. *Ibid.* 59. 2. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis : quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus, peccare et mentiri contra Dominum. Et aversi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam, et transgressionem : concepimus, et locuti sumus de corde verba mendacii — Et veritas, et æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem : et qui recessit a malo, prædæ patuit. *v.* 12. *usq. ad* 15.

Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? Ubi est Dominus? *Jerem.* 2. 5. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *v.* 13. Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. *v.* 29.

Omnes, qui te derelinquunt, confundentur : recedentes a te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. *Ibid.* 17. 13.

Dereliquisti fontem sapientiæ. *Baruch.* 3. 12.

Peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te, et deliquimus in omnibus : et præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus, sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset. *Dan.* 3. 29.

Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. *Oseæ.* 8. 3.

Et abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. *Matth.* 22. 5.

Quædam conversæ sunt retro Satanam. 1. *Tim.* 5. 15.

Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo. 2. *Petr.* 2. 21.

Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. *Apoc.* 2. 4.

AVIDITAS *mulierum. V.* **Mulierum aviditas.**

B

BABYLONICA CAPTIVITAS. — *Prædicitur septuaginta annorum.*

Disperdamque terram vestram, et stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in Gentes, et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates vestræ dirutæ. *Levit.* 26. 32.

Testes invoco hodie cœlum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis : non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus, atque disperget in omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus. *Deut.* 4. 26.

Ducet te Dominus, et regem, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu et patres tui : et servies ibi diis alienis, ligno et lapidi etc. *Ibid.* 28. 36. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis. *v.* 49.

Et ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, et quæ condiderunt patres tui, usque in diem hanc, in Babylonem : non remanebit quidquam, ait Dominus. 4. *Reg.* 20. 17.

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam : et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. *Isa.* 5. 13

Civitates Austri clausæ sunt, et non est qui aperiat : translata est omnis Juda transmigratione perfecta. *Jerem.* 13. 19. Et disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto. *v.* 24.

(Dixit Dominus) : Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, et in diebus vestris, vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ. *Ibid.* 16. 9. *V. et. cap.* 25. 10.

Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo te in pavorem, te et omnes amicos tuos : et corruent gladio inimicorum suorum, et oculi tui videbunt : et omnem Judam dabo in manum regis Babylonis : et traducet eos in Babylonem, et percutiet eos gladio. *Ibid.* 20. 4. Tu autem, Phassur, et omnes habitatores domus tuæ ibitis in captivitatem : et in Babylonem venies, et ibi morieris : ibidem sepelieris tu, et omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium. *v.* 6.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego do coram vobis viam vitæ et viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste, etc. *Ibid.* 21. 8. Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, et in bonum, ait Dominus : et in manu regis Babylonis dabitur, et exuret eam igni. *v.* 10.

Propterea hæc dicit Dominus exercituum : Pro eo, quod non audistis verba mea, ecce ego mittam, et assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum : et adducam eos super terram istam, et super habitatores ejus, et super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt : et interficiam eos ; et ponam eos in stuporem, et in sibilum, et in solitudines sempiternas. *Ibid.* 25. 8. Et erit universa terra hæc in solitudinem et in stuporem : et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. *v.* 11.

(Denuntiat Propheta totius terræ extremam et inevitabilem vastationem proxime imminere propter eorum scelera). *Ezech. c.* 7.

Ezechiel suis factis portendit futuram Jerusalem, et regis ipsius captivitatem, reliquis gladio, et fame, et peste in Jerusalem consumptis : ostendit etiam visionem Prophetarum non cassam futuram, nec in longum differendam). *Ibid. c.* 12.

Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum. *Mich.* 3. 12.

Dole, et satage, filia Sion, quasi parturiens ; quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. *Ibid.* 4. 10.

Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. *Habac.* 1. 6.

Propter peccata, quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babylonem captivi, a Nabuchodonosor rege Babyloniorum, etc. *Baruch.* 6. 1.

BABYLONICA CAPTIVITAS *adimpletur.*

(Joakim triennio servit regi Babyloniæ, deinde varios patitur latrunculos ; quo mortuo, succedit filius Joakim, quem cum thesauris templi ac domus regiæ, universoque robore habitatorum Jerusalem ducit Nabuchodonosor in Babylonem, suffecto in regem illius patruo Mathania, quem vocant Sedeciam). 4. *Reg.* 24. *V. et. cap.* 25.

Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui : non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem ; sed omnes tradidit in manibus ejus, universaque vasa domus Domini, tam majora quam minora, et thesauros templi et regis, et principum transtulit in Babylonem. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerusalem, universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. 2. *Paral.* 36. 17.

Post hunc autem ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et alligans eum in æreo vinculo, perduxit in Babyloniam, etc. *Esdr.* 1. 40.

BABYLONICA CAPTIVITAS. — *Finis captivitatis promittitur et prophetatur.*

Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, Isaac, et Abraham : terræ quoque memor ero. *Levit.* 26. 42.

Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si

tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 28.

Cum reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, et in toto corde tuo, et in tota anima tua : reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. *Ibid.* 30. 2.

Exaudi in cœlo, et dimitte peccata populi tui Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. 3. *Reg.* 8. 34.

Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi), et conversi egerint pœnitentiam, et obsecraverint nomen tuum, et fuerint deprecati in loco isto ; tu exaudies de cœlo, et propitiare peccato populi tui Israel, et reduc eos in terram, quam dedisti eis, et patribus eorum, etc. 2. *Paral.* 6. 24. *V. et. v.* 37. (usq. ad finem).

Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam : adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob. *Isa.* 14. 1.

Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam : quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. *Ibid.* 40. 1.

Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exultationis annuntiate : auditum facite hoc, et efferte illud usque ad extrema terræ. *Ibid.* 48. 20.

Et cum evulsero eos, convertar, et miserebor eorum : et reducam eos, virum ad hæreditatem suam, et virum in terram suam. *Jerem.* 12. 15.

Sed vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, et de universis terris, ad quas ejeci eos : et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum. *Ibid.* 16. 15. *V. c.* 24. 5.

Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, et super terram Chaldæorum : et ponam illam in solitudines sempiternas. *Ibid.* 25. 12.

Quia hæc dicit Dominus : cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo eos : et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. *Ibid.* 29. 10.

Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas Israel : quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, et semen tuum de terra captivitatis eorum, et revertetur Jacob, et quiescet, et cunctis affluet bonis, et non erit quem formidet. *Ibid.* 30. 10.

In fletu venient, et in misericordia reducam eos : et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, et non impingent in ea, quia factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est, etc. *Ibid.* 31. 9.

Ecce ego congrebabo eos de universis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, et in ira mea, et in indignatione grandi : et reducam eos ad locum istum, et habitare eos faciam confidenter. *Ibid.* 32. 37.

Propterea loquere : Hæc dicit Dominus Deus : Congregabo vos de populis, et adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel. Et ingredientur illuc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illa. *Ezech.* 11. 17.

Anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. *Dan.* 9. 2. Scito ergo et animadverte : Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt : et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum. *v.* 25.

Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, et temporibus longis, usque ad generationes septem : post hoc autem educam vos inde cum pace. *Baruch.* 6. 2.

BABYLONICA CAPTIVITAS. — *Liberatio adimpletur.*

(Cyrus, completis septuaginta captivitatis Babylonicæ annis, divinitus inspiratus, redditis vasis templi Salomonis 5400, captivitatem Israelitis relaxat, concedens templi reædificationem). 1 *Esdr.* 1.

(Numerus revertentium, duce Zorobabel, e captivitate Babylonica, in Jerusalem, ac donorum in reædificationem templi oblatorum). *Ibid. c.* 2.

Suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, et prædicavit in toto regno suo simul per scripturam, dicens : Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Me constituit regem orbi terrarum Dominus Israel, Dominus excelsus, et significavit mihi ædificare domum sibi in Jerusalem, quæ est in Judæa. Si quis est ex genere vestro, Dominus ipsius ascendat cum eo in Jerusalem. 3. *Esdr*. 2. 2.

BABYLONICA CAPTIVITAS. — *Babylonicæ captivitatis causa.*

Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos. 4. *Reg*. 17. 7. Et ambulaverunt juxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, et regum Israel, quia similiter fecerant. *v*. 8. Et testificatus est Dominus in Israel et in Juda per manum omnium Prophetarum et videntium, dicens : Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea, et cæremonias, juxta omnem legem, quam præcepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. *v*. 13. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo. *v*. 8. Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui : verum ambulavit in erroribus Israel, quos operatus fuerat, etc. *v*. 19.

BABYLONICA CAPTIVITAS. — *Propheticæ contra Babylonem.*

Filia Babylonis misera : beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. *Psal*. 136. 8.

(Ingens et truculenta Babyloniorum vastatio a Medis, prædicitur. *Isa*. 13.

Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum : et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas : et erunt capientes eos, qui se ceperant, et subjicient exactores suos. *Ibid*. 14. 2. *V. et. v*. 4.

Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram, etc. *Ibid*. 21. 9.

(Babylonis humiliatio ac contritio prædicitur, propter ipsius superbiam, arrogantiam, et crudelitatem in Judæos suos captivos, et quia maleficis, auguribus atque incantatoribus spem posuit. *Isa*. 47.

Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatum eorum, et super terram Chaldæorum, et ponam illam in solitudines sempiternas. *Jerem*. 25. 12. *V. et. c*. 51. 8.

(Babylon, quæ in captivitate affligit filios Israel, his in suam terram feliciter reductis, penitus vastabitur a regibus Aquilonis). *Ibid. c*. 50.

Acuite sagittas, implete pharetras : suscitavit Dominus spiritum regum Medorum : et contra Babylonem mens ejus est, ut perdat eam ; quoniam ultio Domini est, ultio templi sui. *Ibid*. 51. 11.

Et alius Angelus secutus est dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes. *Apoc*. 14. 8.

Et facta est civitas magna in tres partes : et civitates gentium ceciderunt : et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. *Ibid*. 16. 19. *V. c*. 17. *et* 18.

BACCHANALIA.

Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram. *Gen*. 6. 12. (Propter quod iratus Dominus diluvio cuncta delevit).

(Tenebræ Ægyptiæ, quæ per tres dies durarunt, imago sunt tenebrarum et cæcitatis, qua homines laborant, tribus diebus antecineralibus). *Exod*. 10. 22.

(Sedit populus circa vitulum aureum manducantes et ludentes etc.). *Ibid*. 52. 6.

BAPTISMUS *a Christo præceptus.*

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Matth*. 28. 19.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc*. 16. 16.

Amen dico tibi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. *Joann*. 3. 5.

BAPTISMUS. — *Baptismum docuerunt Apostoli et administrarunt.*

Petrus vero ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite : et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act*. 2. 38. Qui ergo receperunt sermonem ejus, ba-

ptizati sunt : et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. *v.* 41.

Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres. *Ibid.* 8. 12. Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. *v.* 38.

Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit, et surgens baptizatus est, etc. *Ibid.* 9. 18.

Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? *Ibid.* 10. 47.

Cum autem baptizata esset (Lydia) et domus ejus, deprecata est, dicens : Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete. Et coegit nos. *Ibid.* 16. 15. *V. et. v.* 33. *Item. c.* 19. 4.

Et nunc quid moraris? Exurge et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius. *Ibid.* 22. 16.

An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? *Rom.* 6. 3.

Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Cajum. 1. *Cor.* 14. *V. et. Act.* 18. 8.

BAPTISMUS *salvat, et est lavacrum regenerationis.*

Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma : non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurectionem Jesu Christi. 1. *Petr.* 3. 21.

Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. *Tit.* 3. 5.

BAPTISMUS *tollit omnia peccata.*

Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. *Gen.* 17. 14.

Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam : effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. *Isa.* 44. 3.

Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. *Ezech.* 36. 25.

In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. *Zach.* 13. 1.

Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Marc.* 1. 4.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. *Ibid.* 16. 16.

Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto : non potest introire in regnum Dei. *Joan.* 3 5. *V. et ibid.* 1. 33.

Petrus vero ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. *Act.* 2. 38. *c.* 8. 12. 38. *c.* 16. 33. *c.* 18. 8.

An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. *Rom.* 6. 3. *V. Gal.* 3. 27.

Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11.

Ut illam (Ecclesiam) sanctificaret; mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. *Ephes.* 5. 26.

Et vos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta : delens quod adversum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, etc. *Coloss.* 2. 13.

Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericodiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justifi-

cati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. *Tit.* 3. 5.

Accedamus cum vero corde — aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, etc. *Hebr.* 10. 22. *V.* 1. *Petr.* 3. 21.

BAPTISMUS *non est iterandus.*

Unus Dominus, uua Fides, unum Baptisma. *Ephes.* 4. 5.

Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Hebr.* 6. 4.

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, etc. *Ibid.* 10. 26.

BAPTISMUS. — *Idem declarat ejus figura.*

Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. *Gen.* 17. 14.

Et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari. 1. *Cor.* 10. 1. 2.

BAPTISMUS *Joannis.*

Et baptizabantur ab eo (a Joanne Baptista) in Jordane, confitentes peccata sua. *Math.* 3. 6. *V. et. v.* 11

Baptismus Joannis unde erat, e cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes: Si dixerimus e cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? etc. *Ibid.* 21. 25. *V. Marc.* 11. 30.

Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Marc.* 1. 4. *V. et. v.* 8.

Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Luc.* 3. 3. Respondit Joannes — Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. *v.* 16.

Et omnis populus audiens, et publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. *Ibid.* 7. 29.

Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua, etc. *Joan.* 1. 25. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. *v.* 33.

Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, et veniebant, et baptizabantur. *Ibid.* 3. 23.

Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies. *Act.* 1. 5.

Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum *Ibid.* 19. 4.

BAPTISMUS *pœnitentiæ prædicatur.*

Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Marc.* 1. 4. *V. et. Matth.* 3. 1.

Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Luc.* 3. 3.

Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* 2. 38.

Prædicante Joanne ante faciem adventus ejus, baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. *Ibid.* 13. 24.

Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, etc. *Ibid.* 19. 4. *V. et. c.* 11. 16. *Item. Rom.* 6. 3. *Coloss.* 2. 12.

BAPTISMI. — *Baptismi nomine significatur passio.*

Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. *Matth.* 20. 22.

Jesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: Potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. *Marc.* 10. 38.

Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor, usquedum perficiatur? *Luc.* 12. 50.

BAPTISMUS *in Spiritu Sancto et igne.*

Ego quidem baptizo vos in aqua in

pœnitentiam : qui autem post me venturus est etc. ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. *Matth.* 3. 11.

Ego baptizavi vos aqua : ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto. *Marc.* 1. 8.

Respondit Joannes — Ego quidem aqua baptizo vos, etc. ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. *Luc.* 3. 16.

Et ego nesciebam eum : sed qui misit me, baptizare in aqua, etc. Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. *Joan.* 1. 33.

Quia Joannes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. *Act.* 1. 5. *V. c.* 2. 4. *et c.* 11. 15.

BAPTISMUS. — *Baptizandi sunt parvuli. V. et.* **Baptizatæ integræ domus.**

Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. *Gen.* 17. 14.

Cumque esset (Moyses) in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : Sponsus sanguinum tu mihi es : et dimisit eum postquam dixerat : Sponsus sanguinum, ob circumsionem. *Exod.* 4. 24.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. *Matth.* 11. 22.

Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. *Ibid.* 18. 14.

Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret : discipuli autem increpabant eos : Jesus vero ait eis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum cœlorum. *Ibid.* 19. 13. Et *Marc.* 10. 14. (idem omnino habetur).

Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret : quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos : talium est enim regnum Dei. *Luc.* 18. 15.

Amen, amen dico tibi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest, etc. *Joan.* 3. 5.

Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. *Act.* 2. 39.

Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua : et multi Corinthiorum audientes credebant, et baptizabantur. *Ibid.* 18. 8. *V. et. cap.* 16. 15. et *v.* 33.

Baptizavi autem et Stephanæ domum : cæterum nescio, si quem alium baptizaverim. 1. *Cor.* 1. 16.

Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. *Ibid.* 15. 22.

BAPTISMUS. — *Baptizari, in Scripturis aliquando exprimitur et pro illuminari et renovari.*

Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt : rursus renovari ad pœnitentiam, etc. *Hebr.* 6. 4.

BAPTISMUS. — *Baptizatus est Christus, et descendit super baptizatum Spiritus Sanctus.*

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua : et ecce aperti sunt cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. *Matth.* 3. 16.

Et factum est in diebus illis : venit Jesus a Nazareth Galilææ, et baptizatus est a Joanne in Jordane, etc. *Marc.* 1. 9.

Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante apertum est cœlum, et descendit Spiritus Sanctus, etc. *Luc.* 3. 21. *V. Joan.* 1. 33.

BAPTISMUS. — *In Baptismo descendit Spiritus Sanctus.*

(Supra patet). *Matth.* 3. 16. Ego baptizavi vos aqua, ille vero vos baptizabit Spiritu Sancto. *Marc.* 1. 8. *V. Luc.* 3. 21.

Et ego nesciebam eum : sed qui misit me, baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. *Joan.* 1. 33.

BAPTISMUS. — *Baptizat Christus per Discipulos.*

Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam : et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. *Joan.* 3. 22.

Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus) ; reliquit Judæam, et iterum abiit in Galilæam. *Ibid.* 4. 1.

BAPTISMUS. — *Baptizatæ integræ domus.*

Baptizavi — Stephanæ domum. 1. *Cor.* 1. 16.

Cum baptizata esset (Lydia) et domus ejus. *Act.* 16. 15. Baptizatus est ipse (Custos carceris), et omnis domus ejus continuo. *v.* 33. *V. et. c.* 18. 8.

BAPTISMUS. — *Baptizati accipiunt Spiritum Sanctum.*

Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* 2. 38.

His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. *Ibid.* 19. 5. 6.

BAPTISMUS. — *Baptizati induunt Christum.*

Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Galat.* 3. 27.

BAPTISMUS. — *Baptizati in morte Christi baptizantur.*

An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? *Rom.* 6. 3.

BAPTISMUS. — *Baptizati in unum corpus baptizantur.*

Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus. 1. *Cor.* 12. 13. Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. *v.* 27.

BEATITUDO, *seu Beatorum gaudium, et vita æterna.*

Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent : judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. *Sap.* 3. 7.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est et apud homines. *Ibid.* 4. 1. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longam vitam injusti. *v.* 16.

Et dicet in die illa : Ecce Deus noster iste : exspectavimus eum, et salvabit nos: iste Dominus : sustinuimus eum, et exultabimus, et lætabimur in salutari ejus. *Isa.* 25. 9.

Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad Fortem Israel. *Ibid.* 30. 29.

Non esurient neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos *Ibid.* 49. 10. *V. cap.* 60.

Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes et senes simul : et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo a dolore suo. *Jerem.* 31. 13.

Tu autem vade ad præfinitum, et requiesces : et stabis in sorte tua in finem dierum. *Dan.* 12. 13.

Tunc justi fulgebuut sicut sol in regno Patris eorum. *Matth.* 13. 43. *V. et. Dan.* 12. 3.

Amen dico vobis : quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. *Ibid.* 19. 28. *V. et c.* 25. *per totum.*

Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent. neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cœlis. *Marc.* 12. 25.

Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super tronos, judicantes duodecim tribus Israel. *Luc.* 22. 29.

Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi. *Joan.* 17. 24. *V. et. c.* 12. 26.

Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit. *Rom.* 8. 30.

Sed sicut scriptum est : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum. 1. *Cor.* 2. 9. *V. et. Isa.* 64. 4.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et his, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 4. 8.

(Deus) regeneravit nos in spem vivam — in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem, conser-

vatam in cœlis in vobis. 1. *Petr.* 1. 3. Exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, etc. *v.* 7.

Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. 1. *Petr.* 5. 4.

Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jacob.* 1. 12.

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei etc. *Apoc.* 2. 7. *et Cap.* 3. *per totum.*

Post hæc vidi turbam — amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. *Ibid.* 7. 9.

Ideo sunt ante tronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus : et qui sedet in throno, habitabit super illos, etc. *Ibid. v.* 15.

Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. *Ibid.* 21. 5. *V. et cap.* 22. *per totum. Item. c.* 14. 1.

BEATITUDO *quomodo comparetur.*

Calicem quidem meum bibetis : sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. *Matth.* 20. 23. *Item. Marc.* 10. 40.

Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, etc. *Ibid.* 25. 34.

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 16. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. etc. *v.* 36. *V. et. c.* 5, 24. *c.* 20. 29. *et Act.* 16. 31.

Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. *Act.* 15. 11. *V. et. c.* 2. 21. *et. Rom.* 1. 16.

Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, et considere fecit in cœlestibus, in Christo Jesu. *Ephes.* 2. 5. *V. et.* 1. *Thess.* 5. 9.

Qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia. 2. *Tim.* 1. 9.

(Justificati gratia ipsius, hæredes sumus vitæ æternæ). *Tit.* 3. 7. *V. et. v* 5.

BEL, *et draconis historia. Dan.* 14. *per totum.*

BELLUM *est pœna peccati.*

Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, etc. ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemini his, qui oderunt vos. *Lev.* 26. 14. *V. totum Caput.*

Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi : ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies propter peccata vestra. *Ibid.* 26. 23.

Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie; venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in in agro; maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ, etc. *Deut.* 28. 15. *V. et. v.* 36. *usq. ad finem.*

Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium : qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum : nec potuerunt resistere adversariis suis. *Judic.* 2. 14. *V. c.* 3. *et. c.* 4.

Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis, et oppressi sunt valde ab eis. *Ibid.* 6. 1.

Filii autem Israel peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis etc. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim, et filiorum Ammon. Afflictique sunt et vehementer oppressi per annos decem et octo, omnes, qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi etc. *Ibid.* 10. 6. 7. 8.

Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis. *Ibid.* 13. 1.

Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum : et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. *Isa.* 5. 25. *V. et Jerem.* 5. 16.

O mucro Domini, usquequo non quiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei? *Jerem.* 47. 6.

Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricæ in deserto. Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, et in thesauris tuis, tu quoque capieris. *Ibid.* 48. 6. Et cessabit Moab esse populus, quoniam contra Dominum gloriatus est. *v.* 42. Quid gloriaris in vallibus? — Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum. *Ibid.* 49. 4. 5.

Arrogantia tua decepit te — Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. *v.* 16.

BELLUM. — *Quomodo se quisque habere debeat in belli necessitate.*

(Patet in Abrahamo, quod in bello liceat insidias adhibere). *Genes.* 14. *V. et. Josue* 8. *et* 10. (Item Historiam Gedeonis). *Judic.* 6. *etc.*

Cumque levaret Moyses manus suas, vincebat Israel : sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. *Exod.* 17. 11. *V. et.* 2. *Paralip.* 12. 6.

Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israel in Raphidim. Dixitque Moyses ad Josue : Elige viros : et egressus, pugna contra Amalec; cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Josue, ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec : Moyses autem, et Aaron, et Hur ascenderunt super verticem collis, etc. *Ibid.* 17. 8. 9. 10.

Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta, et hastas de Juda trecenta millia. De Benjamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia : omnes isti viri fortissimi. Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, et curribus trecentis : et venit usque Maresa. Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est juxta Maresa, et invocavit Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster, in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda : fugeruntque Æthiopes. Et persecutus est eos Asa et populus, qui cum eo erat, etc. 2. *Paral.* 14. 8. *usq. ad* 13. *V. et.* 1. *Reg.* 14. 6.

(Josaphat impio Achab affinitate junctus, ascendit cum eo contra Ramoth Galaad, 400 Pseudoprophetis victoriam promittentibus : Michæas autem contrarium prophetans, incarceratur : sed Achab juxta Michææ prophetiam in bello occiditur). 2. *Paral. c.* 18.

(Sennacherib Judæam invadente, Ezechias populum hortatur fidere in Deum, a quo ille minis, et blasphemiis nititur eum avertere. Orantibus autem Ezechia cum Isaia, Angelus dissipat exercitum Sennacherib, qui fugiens a filiis occiditur. Porro Ezechias nimia felicitate elatus, Deum offendit, cui impius Manasses succedit). *Ibid. c.* 32.

(Judas Machabæus dux eximius prædicatur, qui perambulans civitates Judææ, trucidabat omnes impios : et occiso duce Apollonio, ejusque exercitu disperso, vicit cum paucis Syriæ exercitum, una cum duce Serone. Iratus autem ob hoc rex Antiochus, profectus in Persidem, constituit Lysiam viceregem dato belli in Judæos apparatu, qui misit contra terram Juda Gorgiam cum exercitu : Judas autem et sui ad bellum parant, maxime operibus pœnitentiæ et oratione ad Deum). 1. *Mach.* 3.

Et ait Judas viris, qui secum erant (adveniente Gorgia) : Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum ne formidetis : mementote, qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo : et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri Dominus etc. *Ibid.* 4. 8. 9. 10.

(Judas Machabæus, invocato Dei auxilio, post aliquot victorias, Nicanorem, qui certam sibi de Judæis pollicebatur victoriam, suos primum ad constantiam exhortatus, profligavit, interfectis de ejus exercitu, una cum Timotheo et Bacchide plusquam 29000, ita ut Nicanor solus effugiens, prædicaret, Judæos Deum habere protectorem). 2. *Mach.* 8.

BELLUM. — *Deus pugnat pro suis.*

Et ait Moyses ad populum (Pharaone Israelem persequente) : Nolite timere : state, et videte magnalia Domini, quæ

facturus est hodie : Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. *Exod.* 14. 13.

(Bellum contra Amalec, contra Amalecitas, et contra Madianitas, contra præceptum Dei). *Exod.* 17. *Item. Num.* 14. *Item Josue* 6. *Item* 7. *et.* 8. *et* 10. *V. et. alibi, præcipue in Libris Machabæorum.*

Nolite metuere, nec timeatis eos : Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto, cunctis videntibus. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. *Deut.* 1. 30.

Ne timeas eos (loquitur de Og rege Basan) : Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. *Ibid.* 3. 22.

Dixit autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te, etc. 1. *Reg.* 17. 45.

Attendite, omnis Juda, et qui habitatis Jerusalem, et tu, rex Josaphat : Hæc dicit Dominus vobis : Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem (loquitur de Ammonitis, Moabitis ac Syriis contra Josaphat insurgentibus) : non est enim vestra pugna, sed Dei, etc. 2. *Paral.* 20. 15.

Qui docet manus meas ad prælium, et posuisti, ut arcum æreum brachia mea. *Psal.* 17. 35.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. *Psal.* 143. 1.

Si revertimini, et quiescatis, salvi eritis : in silentio et in spe erit fortitudo vestra : et noluistis et dixistis : Nequaquam, sed ad equos fugiemus. *Isa.* 30 15.

BELLUM. — *Bellandum armis quoque spiritualibus.*

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. *Rom.* 13. 12.

Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum, etc. 2. *Cor.* 10. 4.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli : quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare; etc. *Ephes.* 6. 11.

BELLUM *fiat cum consilio et sapientia.*

Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. *Deut.* 20. 10. Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus debes per circuitum vastare regionem, quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum. *v.* 19.

Gubernaculis tractanda sunt bella. *Prov.* 20. 18.

Vir sapiens fortis est, et vir doctus robustus, et validus : quia cum dispositione initur bellum : et erit salus ubi multa consilia sunt. *Ibid.* 24. 5.

Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam. Civitas parva, et pauci in ea viri. Venit contra eam Rex magnus, et vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. *Eccles.* 9. 13. *usq. ad.* 16. Melior est sapientia, quam arma bellica. *v.* 18.

Neminem concutiaris, neque calumniam faciatis : et contenti estote stipendiis vestris. *Luc.* 3. 14.

BELLUM *utiliter vitatur.*

Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. *Deut.* 23. 9.

Varius enim eventus est belli : nunc hunc, et nunc illum consumit gladius. 2. *Reg.* 11. 25.

Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. *Eccli.* 8. 1.

Abstine te a lite, et minues peccata. *Ibid.* 28. 10.

Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo. *Matth.* 5. 25. *V. et. Luc.* 12. 58.

BELLUM *quibus de causis susceperint olim fideles.*

Quod cum audisset Abraham, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos, trecentos decem et octo, et persecutus est usque Dan, etc. *Gen.* 14. 14.

(Ob hoc scelus scilicet uxoris Levitici viri raptæ et mortuæ pugnantes reliquæ tribus adversus Benjamin, semel atque iterum bello inferiores, tertio committentes jussu Domini prælium, tribum illam, præter sexcentos, qui in solitudinem fugerant, penitus deleverunt). *Judic. c.* 20.

(Quinque reges oppugnantes Gabaon immoto sole unius diei spatio vincuntur, et ex spelunca extracti suspenduntur, pluresque aliæ civitates capiuntur). *Josue. c.* 10.

(Absente David, Amalecitœ Siceleg incenderant, ablata præda. Quos David persequens occidit, recepta præda, quam singulis sociis ex æquo divisit, etiam iis qui ad sarcinas lassi remanserant). 1. *Reg. c.* 30.

BENEDICTIO *Dei in justos.*

Creavit Deus hominem ad imaginem suam — benedixitque illis. *Gen.* 1. 27.

Benedixitque Deus Noe et filiis ejus. *Ibid.* 9. 1.

(Dixit Deus ad Abraham) : Egredere de terra tua — et benedicam tibi. *Ibid.* 12 1.

Benedicam ei (Sarai), et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum. *Ibid.* 17. 16. *V. et. v.* 20.

Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi. *Ibid.* 22. 16.

(Apparuit Isaac Dominus, et ait illi) : Benedicam tibi : tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has. *Ibid.* 26. 3.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ : et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit. *Ibid.* 26. 4. 5. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, propter servum meum Abraham. *v.* 24.

Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. *Num.* 6, 27.

(Benedixit Dominus Job in novissimis, magis quam in principio). Job. 42. 12.

Quoniam tu benedices justo. *Psal.* 5. 13.

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animan suam — Hic accipiet benedictionem a Domino. *Psal.* 23. 4. 5.

Benedictio Domini super caput justi : os autem impiorum operit iniquitas. *Prov.* 10. 6.

Qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. *Eccli.* 32. 18.

(Ascensurus in cœlum Salvator, eduxit discipulos suos in Bethaniam), et, elevatis manibus suis, benedixit eis. *Luc.* 24. 50.

BENEDICTIO. — *Justos in finali benedicet judicio.*

Habitacula autem justorum benedicentur. *Prov.* 3. 33.

Benedictio Dei in mercedem justi festinat. *Eccli.* 11. 24.

Benedictio illius quasi fluvius inundavit. *Ibid.* 39. 27.

Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *Matth.* 25. 34.

Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. *Galat.* 3. 9.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. *Ephes.* 1. 3.

BENEDICTIO. — *Benedicere debet homo Deum.*

Benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. *Genes.* 14. 20.

Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. *Judic.* 5. 2.

Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum. 3. *Reg.* 5. 7. *V.* 3. *Reg.* 8. 15.

Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum, et dicat omnis populus : Amen. 1. *Paralip.* 16. 36. *V. et.* 1. *Esdr.* 7. 27. 2. *Esdr.* 8. 6. *c.* 9. 5. *Tob.* 3. 13. *c.* 8. 7. *c* 12. 6. *Judith* 13. 24. *Psal.* 17. 47. *Dan.* 2. 20.

Et nunc in omni corde, et ore collaudate et benedicite nomen Domini. *Eccli* 39. 41.

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Psal.* 102. 1.

(Zacharias repletus Spiritu Sancto prophetavit, dicens) : Benedictus Dominus Deus Israel, etc. *Luc.* 1. 67. *V. et. Luc.* 2. 28. *c.* 24. 53. *Item.* 2. *Cor.* 1. 3. *et.* 1. *Petr.* 1. 3.

BENEDICTIO. — — *humiliter.*

Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misecordiam suam. *Tob.* 12. 6.

Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. *Job.* 1. 21.

Benedicta gloria Domini de loco suo. *Ezech.* 3. 12.

— — *perseveranter.*

Omni tempore benedic Deum. *Tob.* 4. 20.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Psal.* 33. 2.

Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis : major enim est omni laude. Exaltantes eum replebimini virtute. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum, sicut est ab initio? *Eccli.* 43. 33.

BENEDICTIO *qua homo homini benedicit.*

Benedixit ei (Melchisedech), et ait : Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram, etc. *Gen.* 14. 19.

(Jacob matris consilio benedicitur : loco Esau benedictionem accepit : ad cujus odium fugiendum monetur a matre, ut in Zaram ad Laban concedat). *Ibid.* *c.* 27. Cumque (Esau) ejulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum : In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua. *v.* 39.

Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet, ut sis in turbas populorum : et det tibi benedictiones Abrahæ et semini tuo post te : ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo. *Ibid.* 28. 3. Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit eum, etc. *v.* 1.

Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem — qui benedicens illi, etc. *Ibid.* 47. 7.

(Benedixit Jacob filio suo Joseph, et postea etiam filiis ejus, et ait) : Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei — benedicat pueris istis — (Manasse et Ephraim. Postea etiam benedixit eis singulis benedictionibus propriis). *Ibid.* *c.* 48. 15. *et. c.* 49. 1.

Oves vestras et armenta assumite, ut petieratis (ait Pharao Moysi et Aaròn), et abeuntes benedicite mihi. *Exod.* 12. 32.

Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis. *Ibid.* 39. 43.

Et extendens (Aaron) manum ad populum, benedixit ei : sicque completis hostiis pro peccato et holocaustis et pacificis, descendit. *Levit.* 9. 22.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere Aaron et filiis ejus : sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus et custodiat te : ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui : convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. *Num.* 6. 23.

Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. *Ibid.* 23. 20.

Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus. *Num.* 24. 9.

(Balaam tertio benedicit, et prospera vaticinatur de Israel et de Christo. Item de Amalecitis, Cinæis, et Romanis). *Ibid.* *c.* 24.

Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret Arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem. *Deut.* 10. 6.

Non pernoctabit apud te pignus (pauperis) : sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi. *Ibid.* 24. 12.

Benedicit Moyses moriturus duodecim tribubus Israel. *Ibid.* *c.* 33.

Et primum quidem benedixit populo Israel : post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine. *Josue* 8. 33.

Cui Caleb : Quid habes, inquit ? At illa (illius filia Axa) respondit : Da mihi benedictionem : terram australem et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. 15. 18.

Benedixitque eis Josue, et dimisit eos (scilicet Rubenitas et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse). *Ibid.* 22. 6.

Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo. *Judic.* 5. 24.

Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. *Ruth* 2. 12. (Noemi videns Ruth nurum suam a Booz fuisse honoratam, dixit) : Benedictus sit a Domino, quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. *v.* 20.

Benedicta, inquit, es a Domino, filia ; et priorem misericordiam posteriore superasti. *Ibid.* 3. 10.

Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus : dixitque ei : Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino. 1. *Reg.* 2. 20. *V. et. Josue.* 14. 13.

(Nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul), dixitque ad eos : Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum. 2. *Reg.* 2. 5. *V. et.* 2 *Reg.* 14. 22. *Item* 3. *Reg.* 1. 47.

Cumque complesset (David) offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. 2. *Reg.* 6. 18.

Convertitque Rex (Salomon) faciem suam, et benedixit omni ecclesiæ Israel, etc. 3. *Reg. c.* 8. *V. et.* 2 *Paral.* 6. 3.

Cumque complesset David, offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini. 1. *Paral.* 1. 62.

(Raguel cum lacrymis osculatus est Tobiam), et plorans supra collum ejus, dixit : Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. *Tob.* 7. 6. Et apprehendens (Raguel) dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens : Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. *v.* 15. *V. et. c.* 9. *v.* 9.

Porro Ozias Princeps populi Israel, dixit ad eam (Judith) : Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. *Judith* 13. 23.

Quæ cum exisset (Judith) ad illum (Holofernem), benedixerunt eam omnes, una voce dicentes : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, etc. *Ibid.* 15. 10. *V. et* 1. *Mach.* 2. 69.

Et non dixerunt, qui præteribant : Benedictio Domini super vos : benediximus vobis in nomine Domini. *Psal.* 128. 8 *V. Psal.* 117. 26.

Benedictio patris firmat domos filiorum. *Eccli.* 3. 11.

(Sic virgo Maria ob fidei munditiam, benedicta dicitur ad Angelo). *Luc.* 1. 28. Exclamavit voce magna (Elisabeth) et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventri tui. *v.* 42. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. *v.* 45.

Benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus, etc. *Ibid.* 2. 34.

Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos. *Ibid.* 6. 28.

Benedicite persequentibus vos ; benedicite, et nolite maledicere. *Rom.* 12. 14.

BENEDICTIO, *qua creaturæ et consecrantur, et sanctificantur.*

Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. *Exod.* 28. 2.

Et pones tiaram in capite ejus, et laminam sanctam super tiaram, et oleum unctionis fundes super caput ejus : atque hoc ritu consecrabitur. *Ibid* 29. 6. Sanctificabisque et pectusculum consecratum, et armum, quem de ariete separasti. *v.* 27.

Pontifex, id est sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, etc. *Levit.* 21. 10.

Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit : quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. *Ibid.* 27. 28.

Assumetque aquam sanctam in vase fictili, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. *Num.* 5. 17.

Urbem autem, et omnia, quæ erant in ea, succenderunt, absque auro et argento, et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt. *Josue.* 6. 24.

Consecravi et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile, et nunc trado illud tibi. *Judic.* 17. 3.

Sed et omnia vasa aurea et argentea, et ænea consecravit David rex Domino, cum argento et auro, quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa et Moab, et filiis Amon, quam de Philisthiim et Amalec. 1. *Paral.* 18. 11.

Et sacra vasa Domini accepit Nabucho-

donosor rex Babylonis, et tulit, et consecravit in templo suo in Babylonia. 3. *Esdr*. 1. 41.

Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. 1. *Tim*. 4. 4.

Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur Sancta, etc. *Hebr*. 9. 2. (Hinc consecratio sacerdotum, vestium, altarium, templorum, cereorum, aquæ lustralis, etc.)

BESTIÆ *et bruta animalia non sunt crudeliter tractanda.*

Dixitque Jacob : Nosti, Domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves fœtas mecum : quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. *Gen*. 33. 13.

Sex diebus operaberis : septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus: et refrigeretur filius ancillæ tuæ et advena. *Exod*. 23. 12. *Item*. *Deut*. 5. 14.

Qui iratus vehementius cædebat fuste latera (asinæ ejus), aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est : Quid feci tibi? cur percutis me, ecce jam tertio, etc. *Num*. 22. 27.

Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. *Deut*. 25. 4.

Novit justus jumentorum suorum animas : viscera autem impiorum crudelia. *Prov*. 12. 10.

Pecora tibi sunt? attende illis, et si sunt utilia tibi, perseverent apud te. *Eccli*. 7. 24.

BESTIÆ. — *Fructus bonus eorum.*

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Non enim habebis jugiter potestatem. *Prov*. 27. 23. Agni (sunt) ad vestimentum tuum, et hœdi ad agri pretium : Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, et in necessaria domus tuæ, et ad victum ancillis tuis. *v*. 26.

BLASPHEMIA.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. (Quanto minus ad blasphemandum)? *Exod*. 20. 7.

Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus. *Lev*. 24. 14. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, *v*. 16.

Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. *Reg*. 2. 25.

Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc; filius, qui natus est tibi, morte morietur. 2. *Reg*. 12. 14.

Quia dixerunt Syri : Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium; dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua. 3. *Reg*. 20. 28.

(Blasphemia Rabsacis Assyrii. Et prohibuit quidem Ezechias ne populus imperitus responderet istis blasphemiis). 4. *Reg*. 18. 29.

Multum displicuerunt Deo blasphemiæ, quas dixerunt servi Sennacherib; unde percussit Angelus Domini centum octoginta millia de exercitu ejus). *Ibid*. *cap*. 19. *V*. *et*. *Isa*. 36. 4. *Item*. 2. *Mach*. 10. 35.

Cui exprobrasti, et quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? contra Sanctum Israel. *Ibid*. 19. 22. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. *v*. 35.

(Indignatus Holofernes, eo quod Achior potentiam Dei cœli commendaverat, dixit ad eum) : Quoniam prophetasti nobis, dicens : quod gens Israel defendatur a Deo suo : ut ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor : cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum. *Judith*. 6. 2.

Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium : condemnabit te os tuum, et non ego. *Job*. 15. 5.

Ne desinas ab homine iniquitatis : quia addit super peccata sua blasphemiam. *Ibid*. 34. 36.

Opprobria exprobrantium tibi (Pater) ceciderunt super me. *Psal*. 68. 10.

Quousque irruitis in hominem? (Christum) (blasphemando). *Psal*. 61. 4.

Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. *Psal*. 68. 27.

Vir multum jurans, implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. *Eccli*. 23. 12.

Omnia enim, quæ loquitur populus iste, conjuratio est (ut videtur). *Isa.* 8. 12.

Et jugiter tota die nomen meum blasphematur. *Ibid.* 52. 5.

Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva : dedit contra me vocem, ideo odivi eam. *Jerem.* 12. 8.

Omnes maledicunt mihi (dicit Dominus). *Jerem.* 15. 10.

Numquid redditur pro bono (Incarnationis et Passionis) malum ? *Ibid.* 18. 20.

Et insurrexistis super me ore vestro, et derogastis adversum me verba vestra. *Ezech.* 35. 13.

Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur : et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. *Zach.* 5. 3.

Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? *Malach.* 3. 8.

Ideo dico vobis : Omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus : spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Matth.* 12. 31. 32.

Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiæ, quibus blasphemaverint. Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum. *Marc.* 3. 28.

Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi : ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. *Luc.* 12. 10.

Nomen enim Dei per vos blaphematur inter Gentes. *Rom.* 2. 24.

Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. 1. *Cor.* 12. 3.

Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. *Coloss.* 3. 8.

Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Hebr.* 6. 6.

Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non (non per Dominum aut alia membra sua). *Jacob.* 5. 12. *V. et. Matth.* 5. 34.

Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus. *Judæ.* 9.

Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos, qui in cœlo habitant. *Apoc.* 13. 6.

Et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. *Ibid.* 16. 11. *V. et. v.* 9. *et.* 21.

BONA OPERA *pietasque vera in Deum commendantur. V. et. infra.* **Opera.**

Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum ; eritis mihi in peculium de cunctis populis. *Exod.* 19. 5.

Custodiasque mandata Domini et cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi. *Deut.* 10. 13. *V. et. Exod.* 23. 24. *Deut* 5. 6. *et.* 11. *et.* 16.

Facere misericordiam et judicium, magis placet Domino, quam victimæ. *Prov.* 21. 3. *V. èt.* 1. *Reg.* 15. 22.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis : quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, etc. *Isa.* 1. 19. *V. Psal.* 49. 14.

Qui in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem, hic justus est : vita vivet, ait Dominus, etc. *Ezech.* 18. 9. *V. Jos.* 22. 5.

Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6. 8.

Hæc ait Dominus exercituum : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. *Zach.* 7. 9.

Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum : quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi. *Eccli.* 35. 12.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, etc. *Matth.* 5. 16.

Non omnis, qui dicit mihi : Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Ibid.* 7. 21.

Si autem vis ad vitam ingredi, serva

mandata. *Ibid.* 19. 17. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *v.* 29. *V. et. Matth.* 7. 24.

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis. *Ibid.* 20. 2. 4. *Item :* Voca operarios, et redde illis mercedem. *v.* 8.

Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis, quæ dico? *Luc.* 6. 46. *V. et. Matth.* 7. 24.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Qui habet mandata mea, et servat ea : ille est, qui me diligit. *Ibid.* 14. 21.

Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis, etc. *Ibid.* 15. 14.

(Reddet Deus unicuique secundum opera ejus). *Rom.* 2. 6. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. *v.* 13. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum. *v.* 10.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. *Gal.* 6. 10.

Venit nox, quando nemo potest operari. *Joan.* 9. 4.

Ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. *Coloss.* 1. 10.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri (laboris scilicet ex caritate suscepti). *Hebr.* 10. 6.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? (Fides enim per se, si non habet opera, mortua est : quemadmodum corpus sine anima mortuum est). *Jacob.* 2. 14. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? *v.* 20.

Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. 10.

Qui dicit se nosse eum (Deum scilicet per fidem), et mandata ejus non custodit; mendax est, et in hoc veritas non est. 1. *Joan.* 2. 4.

Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est. *Ibid.* 2. 5.

Opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

Et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. *Ibid.* 20. 12.

BONA OPERA. — *Bonis operibus ex caritate factis debetur meritum.*

Ego — merces tua magna nimis (dixit Dominus Abrahæ fideli). *Genes.* 15. 1.

Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi. Quia custodivi vias Domini, et non egi impie a Deo meo. 2. *Reg.* 22. 21.

(De tribu Juda reperitur, quod non tota deletur, quia in ea sunt inventa bona opera. 2. *Paral.* 12. 12.

Iram quidem Domini merebaris (ait Jehu Propheta); sed bona opera inventa sunt in te. *Ibid.* 19. 2. et 3.

Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. *Psal* 17. 21.

Et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua. *Psal.* 61. 13.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas — propter retributionem. *Psal.* 119. 112.

Juxta opera manuum suarum retribuetur ei. *Prov.* 12. 14.

Justi — in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum. *Sap.* 5. 16.

Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus : scientes quod a Domino recipietis retributionem (quæ ob meritum dari solet) hæreditatis. *Coloss.* 5. 23.

Omnis misericordia facit locum unicuique secundum meritum operum suorum. *Eccli.* 16. 15.

Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5. 12.

Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (in propatulo). *Ibid.* 6. 6.

Quicumque potum dederit — calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli : amen, dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ibid.* 10. 42.

Qui parce seminat, parce et metet. 2. *Cor.* 9 6.

(Ostendit Christus, quod in extremo ju-

dicio judicaturus sit secundum opera miseri ordiæ : et his, qui opera misericordiæ fecerunt, daturus est vitam æternam). *Matth. c.* 25.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua : et proximum tuum sicut te ipsum. (In his enim duobus præceptis tota lex pendet et Prophetæ). *Luc.* 10. 78.

Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28.

Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis etc. *Ibid.* 13. 34. 35.

Ego elegi vos de mundo, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. *Ibid.* 15. 16.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Rom.* 8. 28.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. *Ibid.* 13. 8.

Si linguis hominum loquar, et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13. 1. 2. 3.

Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper; scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. *Ibid.* 15. 58.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet : quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. *Galat.* 6. 8.

Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sit, sive liber. *Ephes.* 6. 8.

Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit. 2. *Tim.* 2. 5.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, etc. *Ibid.* 4. 7.

Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. *Hebr.* 13. 16.

Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. *Apoc.* 22. 12.

Benefac justo, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe a Domino. *Eccli.* 12. 2.

BONITAS *et benignitas Dei erga suos.*

Dixitque Dominus ad eum (Abraham) : Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos, etc. *Gen.* 18. 26.

(Consolatur Dominus Israelitas per Moysen terræ Chanaan promissione, etc.) *Exod. c.* 6.

Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum : cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. *Ibid.* 9. 25.

Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus : ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israel. *Ibid* 11. 7.

Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. *Ibid.* 20. 6.

Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. *Ibid.* 33. 11.

Quo transeunte (scilicet Moyse) coram eo (Domino scilicet), ait : Dominator Domine Deus, misericors, et clemens, etc. *Ibid.* 34. 6.

Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus : et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cum eduxeris aquam de petra, bibat omnis multitudo et jumenta ejus. *Num.* 20. 8.

Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Et faciens misericordiam in multa mil-

lia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. *Ibid.* 5. 10.

Et scies, quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his, qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes : et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens, quod merentur. *Ibid.* 7. 9.

(Recensentur varia Dei beneficia, multaque bona promittuntur servantibus ejus præcepta; mala autem non servantibus; hoc est, benedictio, et maledictio). *Ibid. c.* 11.

Facit (Dominus) judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum : et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti. *Ibid.* 10. 18.

(Multiplex promittitur servantibus legem benedictio, et transgredientibus maledictio). *Ibid. c.* 28.

(Vera pœnitentia Deum placat : præceptum nobis datum non longe a nobis separatur : proponitur bonum et malum, ut ultro bonum eligentes vivamus, et non peccemus malo adhærentes). *Ibid. c.* 30.

Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis : circumduxit eum, et docuit : et custodivit quasi pupillam oculi sui. *Ibid.* 32. 10.

Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. 2. *Reg.* 7. 12.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris. *Ibid.* 12. 13.

Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur : non vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans ne penitus pereat qui abjectus est. *Ibid.* 14. 14.

Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo desuper, et super terram deorsum : qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. 3. *Reg.* 8. 23.

(Ex præcepto Domini corvi deferebant panem et carnes Eliæ : et postea Angelus Domini panem et aquam eidem ostendit). *Ibid. c.* 17 *et.* 19. *V. simile de Daniele in ejus Libro c.* 14.

Revertere, et dic Ezechiæ duci populi mei : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas, et ecce sanavi te : die tertio ascendes templum Domini. 4. *Reg.* 20. 5.

(Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum). 2. *Paralip.* 30. 9.

Et invenisti cor ejus (Abraham) fidele coram te : et percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terram Chananæi, Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Gergesæi, et dares semini ejus : et implesti verba tua, quoniam justus es. 2. *Esdr.* 9. 8.

Sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24.

Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum et despexit illum? *Eccli.* 2. 12. *Et cap.* 18. (misericordia Dei ostenditur).

Dixi : confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal.* 31. 5.

Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa. Homines et jumenta salvabis, Domine : quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. *Psal.* 35. 7. 8.

Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. *Psal.* 36. 25.

Quoniam tu, Domine, suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. *Psal.* 85. 5. *V. et Psal.* 102. *per totum, et* 135.

Miserator, et misericors, Dominus : patiens, et multum misericors. *Psal.* 144. 8.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus : beati omnes, qui expectant eum. *Isa.* 30. 18.

Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. *Ibid.* 54. 7.

Derelinquat impius viam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum : quoniam multus est ad ignoscendum. *Ibid.* 55. 7.

Et cum evulsero eos, convertar et miserebor eorum, et reducam eos virum ad

hæreditatem suam, et virum in terram suam. *Jerem* 12. 15.

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. *Ibid.* 18. 8.

Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium, et justitiam : ipse animam suam vivificabit. *Ezech.* 18. 27. *Idem verbatim* 33. 14.

(Exaudivit Dominus vocem Susannæ, et quia per impudicos senes presbyteros injuste fuerat condemnata, per continentem puerum fuit justo judicio liberata). *Dan. c.* 13.

Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum nostrum; quia benignus, et misericors est, patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. *Joel.* 2. 13.

Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. *Matth.* 11. 28.

Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum *Luc.* 1. 50.

Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. *Ibid.* 6. 36.

Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso, *Ibid.* 23. 43.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. 2. *Cor.* 1. 3.

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos etc. *Ephes.* 2. 4.

BONI *latentes inter malos.*

(Quamvis scriptum sit) : Omnis caro corruperat viam suam : *tamen Dominus dixit ad Noe :* Te vidi justum coram me in generatione hac. *Gen.* 7. 1.

(Lot justus habitavit in medio Sodomorum). *Ibid.* 13. 12.

(Joseph in Ægypto castam et fidelem vitam duxit). *Ibid. c.* 39.

(Samuel inter filios Heli pessimos, sanctus et innocens fuit). 1. *Reg. c.* 2.

(Sub Achab et Jezabel Elias omnes, se solo excepto, reputabat idololatras : sed dixit ei per responsum Dominus) : Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. 3. *Reg.* 19. 18. *V. de hoc etiam Rom.* 11. 3. 4.

(Tobias solus inter plurimos alios, probus et pius). *Tob.* 1. 5.

(Mardochæus erat in aula Assueri, ubi quasi omnes adorabant Aman superbissimum; ipse vero Mardochæus genua non flectebat). Esther *c.* 3. *et.* 5.

(Sanctus Job Gentilis fuit, et de Esau dicitur descendisse; quem tamen constat fide et moribus mirabiliter claruisse. Et de se ipso dicebat) : Frater fui draconum, et socius struthionum. *Job* 2. 3. *et.* 30. 29.

(Dixit Dominus Ezechieli) : Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas : quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. *Ezech.* 2. 6. *V. totum Caput.*

(Daniel et socii ejus habitaverunt cum Chaldæis idololatris, qui eos ad idololatriam inducere, et a cultu veri Dei retrahere quidem laboraverunt; sed tamen boni perstiterunt). *Dan. c.* 6. *et.* 14.

(Susanna fuit castissima in Babylone, ubi senes presbyteri erant impudici, et judices iniqui). *Ibid. cap.* 13.

(Videbatur tempore Antiochi Epiphanis, quod Judæi essent ferme omnes ad ritum Gentilium translati, sed inventi sunt Mathathias, et filii ejus, Eleazarus, et multi alii, qui in lege Dei valde stabiles fuerunt et firmi). *In Libris Machabæorum V. præcipue* 2. *Mach. c.* 3.

(Commendans Dominus fidem et devotionem Centurionis de Capharnaum, dixit) : Non inveni tantam fidem in Israel. *Matth.* 8. 10.

(Joseph ab Arimathæa occultus erat Discipulus Jesu : deposito tamen metu), audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. *Marc.* 15. 42. *V. et. Matth.* 27. 57. *Luc.* 23. 50. *Joan* 19. 38.

(Nicodemus princeps Judæorum venit ad Jesum nocte, et plane confitetur) : Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister. *Joan.* 3. 2.

Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius (inter alios improbos), religiosus, et timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. *Act.* 10. 1.

BONI. — *Bonorum oppressio. V.* **Oppressio bonorum.**

BONI. — *Bonorum societas. V.* **Societas bonorum.**

C

CÆCITAS *cum corporalis, tum spiritualis.*

Et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate, a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. *Gen.* 19. 11.

Percutiat te Dominus amentia, et cæcitate ac furore mentis, et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. *Deut.* 28. 28.

Hostes vero descenderunt ad eum : porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens : Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate : percussitque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Elisei. 4. *Reg.* 6. 18.

(Vide, uti Tobias casu cæcus factus est). *Tob.* 2. 11.

Obscurentur oculi eorum, ne videant : et dorsum eorum semper incurva, *Psal.* 68. 24.

Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos. *Psal.* 145. 8.

Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. *Isa.* 6. 10. *V. et. Matth.* 13. 14. *Marc.* 4. 12. *Luc.* 8. 10. *Joan.* 12. 40. *Act.* 28. 26. *Rom.* 11. 8. *et* 10.

Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. *Ibid.* 29. 18.

Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt, etc. *Ibid.* 35. 5. *V. et. Matth.* 11. 5.

Ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris, sedentes in tenebris. *Isa.* 42. 7. Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt, et in semitis, quæ ignoraverunt, ambulare eos faciam : ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta : Hæc verba feci eis, et non dereliqui eos. *v.* 16. Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. *v.* 18.

Educ foras populum cæcum, et oculos habentem : surdum, et aures ei sunt. *Ibid.* 43. 8.

Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia. *Ibid.* 56. 10.

Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus : impegimus meridie, quasi in tenebris : in caliginosis, quasi mortui. *Ibid.* 59. 10.

Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum. *Sap.* 2. 21.

Sinite illos : Cæci sunt et duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. *Matth.* 15. 14.

Oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? *Marc.* 8. 18.

Prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. *Luc.* 4. 19. *V. et. Joan.* 9. 1.

Et statim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit, et surgens baptizatus est. *Act.* 9. 18. *V. et. v.* 9.

Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus. et non videbis solem usque ad tempus. *Ibid.* 13. 11.

Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. *Rom.* 1. 21.

In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei, per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis (ipsorum). *Ephes.* 4. 18. *V. et. Apoc.* 3. 17.

Qui (autem) odit fratrem (suum), in tenebris est, — quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 1. *Joan.* 2. 11.

Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. 2. *Petr.* 1. 9.

CÆCITAS. — *Cæci illuminantur.*

Quam (albuginem) apprehendens Tobias, traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit (Pater ejus). *Tob.* 11. 15.

Et aperti sunt oculi eorum (duorum

cæcorum) : et comminatus est illis Jesus, dicens : Videte, ne quis sciat, etc. *Matth.* 9. 30.

Misertus autem eorum Jesus (duorum cæcorum), tetigit oculos eorum, et confestim viderunt, et secuti sunt eum *Ibid.* 20. 34.

Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus (cæci) : et cœpit videre, et restitutus est, ita ut clare videret omnia. *Marc.* 8. 25.

Et veniunt Jericho : et proficiscente eo (Jesu) Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans, etc *Ibid.* 10. 46. Cœpit clamare, et dicere : Jesu fili David, miserere mei, etc. *v.* 47. Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit : et confestim vidit, et sequebatur eum in via. *v.* 52. *Idem habetur Luc.* 18. 35.

Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est : venit nox quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus (cæci nati). Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus : Abiit ergo, et lavit, et venit videns. *Joan.* 9. 4.

CEREI. *V. infra* **Cereorum et lampadum usus.**

CÆREMONIÆ *ecclesiasticæ, seu cultus externus.*

Ædificavit autem Noe altare Domino : et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. *Gen.* 8. 20. *V. et. Gen.* 33. 20.

At vero Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi), benedixit ei, et ait : Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram. *Ibid.* 14. 18. *V. Hebr.* 7. 13.

Hoc est meum pactum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum. *Ibid.* 17. 10. *V. et. Exod. cap.* 12. *de agno Paschali.*

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit. *Ibid.* 26. 4. 5.

Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum : ostendasque populo cæremonias et ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant, et opus, quod facere debeant. *Exod.* 18. 19. *V. totum Librum Levitici, et Numer.*

(Præcepit Dominus fieri sibi tabernaculum cum variis utensilibus, et ministros ad ministeria ordinari ad cultum ipsius). *Exod. c.* 25. *et patet in multis capitibus Exodi.*

De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem, quo complebitur tempus consecrationis vestræ ; septem enim diebus finitur consecratio : sicut et impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificii compleretur. *Lev.* 8. 33. *V. et cap.* 10. 19.

Sed constitue eos (Levitas) super tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cæremonias pertinet, etc. *Num.* 1. 50.

(Ritus et officia Levitarum juxta cujusque familiam distribuuntur). *Ibid. c.* 4. *Item cap.* 6. 7. 8. *et* 9. *et* 15. *etc.*

(David senex, Salomone rege designato, numeratorum Levitarum officia designat, Moysique filii Levitis annumerantur). 1. *Paral. c.* 23.

(Templum plurimis victimis dedicatur, ac Pascha septem diebus celebratur. 1. *Esdr. c.* 6.

CÆREMONIÆ, *seu ritus certi in orando.*

Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel, et expandit manus suas in cœlum, et ait : Dominus Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo desuper, et super terram deorsum, etc. 3. *Reg.* 8. 22. Factum est autem cum complesset Salomon, orans Dominum, omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini : utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum. *v.* 54.

Et expandit se (Elias) atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait : Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ. *Ibid.* 17. 21.

Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, etc. *Ibid.* 18. 42.

Tam Levitæ, quam cantores, id est et qui sub Asaph erant, et qui sub Heman, et qui sub Idithun, filii, et fratres eorum vestiti byssinis, cymbalis, et psalteriis, et cytharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, et cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis. 2. *Paral.* 5. 12.

(Magi procidentes adoraverunt Christum), *etc. Matth.* 2. 11.

Et progressus pusillum, procedit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, etc. *Ibid.* 26. 39. *Idem habetur Marc.* 14. 35.

(Jesus) positis genibus orabat. *Luc.* 22. 41.

Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. 1. *Cor.* 11. 4.

Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, et disceptatione. 1. *Tim.* 2. 8.

CÆREMONIÆ. — *V.* Oratio.

CALIX *iræ et furoris.*

Consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus. *Isa.* 51. 17.

Calix in manu Domini — (ex quo) bibent omnes peccatores terræ. *Psal.* 74. 8.

Quia sic dicit Dominus exercituum Deus Israel : Sume calicem vini furoris hujus de manu mea : et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. *Jer.* 25. 15.

Ostendisti populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis. *Psal.* 59. 5.

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. *Apoc.* 16. 19.

CALIX *passionis.*

Nescitis, quid petatis : Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Matth.* 20. 22. *Item Marc.* 10. 38.

Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. *Ibid.* 26. 38.

Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. *Luc.* 22. 42.

Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum? *Joan.* 18. 11.

CALLIDITAS. *V.* Astutia.

CALUMNIA.

Introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti. *Gen.* 43. 18.

Non facias calumniam proximo tuo. *Levit.* 19. 13.

Omnique tempore calumniam sustineas — nec habeas, qui liberet te. *Deut.* 28. 29.

Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi : et contemnam illud hodie, restituamque vobis. 1. *Reg.* 12. 3.

(Deus) humiliabit calumniatorem. *Psal.* 71. 4.

Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me. *Psal.* 118. 121. *V. et. v.* 122. 134.

Qui calumniatur egēntem, exprobrat factori ejus. *Prov.* 14. 31. *V. et. c.* 22. 16.

Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. *Ibid.* 28. 3.

Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam. Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet. *Prov.* 28. 16. 17.

Et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem. *Eccles.* 4. 1.

Si videris calumnias egenorum et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia; non mireris super hoc negotio. *Ibid.* 5. 7.

Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. *Ibid.* 7. 8.

A tribus timuit cor meum, et in quarto facies mea metuit : delaturam civitatis, et collectionem populi, calumniam mendacem, etc. *Eccli.* 26. 5.

Qui projicit avaritiam ex calumnia — iste in excelsis habitabit. *Isa.* 33. 15.

Recede procul a calumnia. *Ibid.* 54. 14.

Hæc est civitas visitationis : omnis calumnia in medio ejus. *Jerem.* 6. 6.

Advenæ et pupillo, et viduæ non feceritis calumniam — et habitabo vobiscum. *Ibid.* 7. 6.

Et eruite vi oppressum de manu calumniantis. *Ibid* 21. 12.

Pater ejus quia calumniatus est, et vim fecit fratri — ecce mortuus est in iniquitate sua. *Ezech.* 18. 18.

Populi terræ calumniabantur calum-

niam, et rapiebant violenter : egenum et pauperem affligebant, et opprimebant advenam calumnia absque judicio. *Ibid.* 22. 29. *V. et. v.* 7. *et.* 12.

Congregamini super montes Samariæ, et videte insanias multas in medio ejus, et calumniam patientes in penetralibus ejus. *Amos.* 3. 9.

Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis. *Ibid.* 4. 1.

Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari. *Zach.* 7. 10.

Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maledicis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii. *Malach.* 3. 5.

Orate pro persequentibus et calumniantibus vos. *Matth.* 5. 44. *V. et. Luc.* 6. 28.

Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; et contenti estote stipendiis vestris. *Luc.* 3. 14.

Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. 1. *Cor.* 6. 7.

CAPTIVITAS *Ægyptiaca. V.* **Ægyptiaca captivitas.**

CAPTIVOS *invisere.*

Pergebat ergo (Tobias) ad omnes, qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis. *Tob.* 1. 15.

Tunc respondebunt ei justi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus, sitientem, et dedimus tibi potum? *Matth.* 25. 37.

Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. *Act.* 12. 5.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui : quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit. 2. *Tim.* 1. 16.

Mementote vinctorum, tanquam simul vincti : et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes. *Hebr.* 13. 3.

CAPTIVOS *non deserit Deus.*

Fuit autem Deus cum Joseph, et misertus illius, dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. *Gen.* 39. 21.

Hæc venditum justum non dereliquit — descenditque cum illo in foveam. *Sap.* 10. 13. *V. Gen.* 37. 28.

Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos (Apostolos), dixit : Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. *Act.* 5. 19.

Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque : Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. *Ibid.* 12. 17.

Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno. Media autem nocte Paulus et Silas orantes, laudabant Deum. *Ibid.* 16. 24.

CARITAS. *V. et.* **Dilectio.**

Videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine. *Gen.* 29. 20.

Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. *Judic.* 5. 31.

Et universa delicta operit caritas. *Prov.* 10. 12.

Qui despicit proximum suum, peccat. *Ibib.* 14. 21.

Ordinavit in me caritatem. *Cantic* 2. 4.

Fortis est ut mors dilectio : dura sicut infernus æmulatio. — Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem : nec flumina obruent illam. *Ibid.* 8. 6. 7.

In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis. *Eccli.* 22. 29.

Ne avertas faciem a proximo tuo. *Ibid.* 41. 26.

In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ. *Matth.* 22. 40.

Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. *Ibid.* 24. 12.

Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde — Et diligere proximum tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. *Marc.* 12. 32. 33.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15. 13. Qui manet in me (per caritatem), et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. *v.* 5.

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Rom.* 5. 5.

Caritate fraternitatis invicem diligen-

tes. *Ibid.* 12. 10. Necessitatibus sanctorum communicantes. *v.* 13.

Per caritatem Spiritus servite invicem. *Gal.* 5. 13.

Caritas patiens est, benigna est : Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati : omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 1. *Cor.* 13. 4.

Si linguis hominum loquar, et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans — Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. *Ibid. v.* 1. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *v.* 3. Caritas nunquam excidit. *v.* 8. Nunc autem manent, fides, spes, caritas, tria hæc : major autem horum est caritas. *v.* 13.

Sectamini caritatem, æmulamini spiritualia. *Ibid.* 14. 1.

Omnia (opera) vestra in caritate fiant. *Ibid.* 16. 14.

Fructus autem Spiritus est caritas, etc. *Galat.* 5. 22.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Ibid.* 6. 2.

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. *Ibid. v.* 1.

Suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 1. *Thess.* 5. 14.

In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, et sublimitas, et profundum, etc. *Eph.* 3. 17.

Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia. *Ibid.* 4. 15.

Et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. *Ibid.* 5. 2.

Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet. *Philipp.* 1. 9.

Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. *Coloss.* 3. 24.

Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. 1. *Tim.* 1. 5.

Consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum. *Hebr.* 10. 24.

Caritas fraternitatis maneat in vobis. *Ibid.* 13. 1.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum. 1. *Petr.* 4. 8.

Deus caritas est : et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. 1. *Joan.* 4. 16.

In hoc apparuit caritas Dei in nobis, (quoniam ille pro nobis animam suam posuit : et nos debemus pro fratribus animam ponere). *Ibid. v.* 9. *V. totum Caput, et. ibid. c.* 3. *v.* 16.

Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est. *Ibid. v.* 7.

Timor non est in caritate : sed perfecta caritas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet. *Ibid.* 18.

Hæc est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus. *Ibid.* 5. 3.

Et hæc est caritas, ut ambulemus secundum mandata ejus. 2. *Joan.* 6.

CARITAS *est virtus fide præstantior.*

Odium suscitat rixas : et universa delicta operit caritas. *Prov.* 10. 12.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, etc. Hoc est maximum et primum mandatum. *Matth.* 22. 37. *Et cap.* 25. (excluduntur a nuptiis non habentes oleum caritatis).

Diligere proximum tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus, et sacrificiis. *Marc.* 12. 33.

Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, etc. 1. *Cor.* 13. 1. Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc : major autem horum est caritas. *v.* 13.

Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. *Coloss.* 3. 14.

Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. 1. *Tim.* 1. 5.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes : quia caritas operit multitudinem peccatorum. 1. *Petr.* 4. 8.

Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. 1. *Joan.* 4. 16.

CARITAS *fraterna. V. et.* **Dilectio proximi.**

Dixit ergo Abraham ad Lot : Ne, quæso, sit jurgum inter me, et te, et inter pastores meos, et pastores tuos : fratres enim sumus. *Gen.* 13. 8.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo. *Lev.* 19. 17. *V. et.* 1. *Joan.* 2. 11. *c.* 1. 15.

Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis : sed reduces fratri tuo. *Deut.* 22. 1.

In tribus placitum est spiritu meo, quæ sunt probata coram Deo, et hominibus : Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. *Eccli.* 25. 1. *V. et.* 1. *Reg.* 18. 1.

Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum. *Psal.* 132. 1.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ? *Matth.* 7. 5.

Honora patrem tuum et matrem tuam; et diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Ibid.* 19. 19.

Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. *Joan.* 13. 14. Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et diligatis invicem. *v.* 34.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Ibid.* 15. 12. *V. et* 1. *Joan.* 3. 23.

Caritate fraternitatis invicem diligentes. *Rom.* 12. 10.

(Ostendit Paulus caritatis necessitatem, ipsius officia, perpetuitatem, et præexcellentiam supra fidem et spem, reliquaque Dei dona). 1. *Cor. c.* 13.

Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Gal.* 5. 14.

Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes. *Philipp.* 2. 2.

Supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. *Coloss.* 3. 13.

De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis. Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. 1. *Thess.* 4. 9.

Caritas fraternitatis maneat in vobis. *Hebr.* 13. 1. *V. et Prov.* 10. 12.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes. 1. *Petr.* 4. 8.

Carissimi, diligamus nos invicem ; quia caritas ex Deo. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. 1. *Joan.* 4. 7.

CARO. — *Carnem suam crucifigere quomodo oporteat.*

Operarius ebriosus non locupletabitur : et qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. *Eccli.* 19. 1.

Cibaria et virga, et onus asino : panis et disciplina, et opus servo. *Ibid.* 33. 25.

Ultionem accipite de ea (scilicet carne) : sicut fecit, facite ei. *Jerem.* 50. 15.

Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. *Dan.* 10. 12.

Sicut fecisti, fiet tibi : retributionem tuam convertet in caput tuum. *Abdiæv.* 15.

Intra in lutum et calca, subigens tene laterem. *Nahum* 3. 14.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat : ut requiescam in die tribulationis. *Habac.* 3. 16.

Homo agricola ego sum (proprii corporis); quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. *Zachar.* 13. 5.

Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. *Rom.* 6. 6. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *v.* 12. *V. et cap.* 8. 12.

Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis : quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. *Ibid.* 8, 13.

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. *Ibid.* 12. 1.

Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 27.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 2. *Cor.* 4. 10.

Christo confixus sum Cruci. Vivo autem jam non ego : vivit vero in me Christus. *Galat.* 2. 19.

Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Ibid.* 5. 16. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. *v.* 24.

De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. *Ibid.* 6. 17.

Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. *Ephes.* 4. 22.

Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ibid.* 5. 3.

Configuratus morti ejus (Christi) : si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. *Philipp.* 3. 10.

Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus sum ego minister. *Coloss.* 1. 11.

Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. *Tit.* 2. 12.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, etc. 1. *Petr.* 2. 1.

Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est : ut judicentur quidem secundum homines in carne : vivant autem secundum Deum in spiritu. *Ibid.* 4. 6.

Reddite illi, sicut et ipsa reddidit vobis (scilicet caro) : et duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo, quo miscuit vobis, miscete illi duplum. Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. *Apoc.* 18. 6.

CARO *pro necesitate curanda.*

Fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus. *Rom.* 8. 12.

Et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Ibid.* 13. 14.

Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. 1. *Cor.* 15. 50.

Carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timorem Dei. 2. *Cor.* 7. 1.

In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. *Ibid.* 10. 3.

CARO *a voluptate refrenanda, quia bonum impedit.*

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. *Rom.* 8. 8. 9.

Cum enim sit inter vos zelus, et contentio : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ? 1. *Cor.* 3. 3.

Caro enim concupiscit adversus spiritum : spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. *Galat.* 5. 17.

Carissimi, obsecro vos, tanquam advenas, et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. 1. *Petr.* 2. 11.

CARO *spiritum interimit.*

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. *Gen.* 6. 3.

Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. *Rom.* 8. 1. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. *v.* 5. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, *v.* 13.

Dico autem : spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Galat.* 5. 16. Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia : quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *v.* 19.

Nolite errare : Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet : quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. *Ibid.* 6. 7.

CASTITAS *cœlibum præfertur castitati conjugali.*

(Quamdiu primi nostri parentes in paradiso fuerunt, virgines extiterunt, sed ipsis ejectis, dicitur) : Adam vero cognovit uxorem suam Hevam. *Gen.* 4. 1.

(Post rebellationem Madianitarum factam per Phinees, et alios pugnatores

Moyses mulieres corruptas jugulari, et virgines reservari jussit). *Num.* 31. 18.

(Mundi esse debebant, maxime a mulieribus, qui panes sacerdotales comedebant). 1. *Reg.* 21. 4.

(Quando mulier Sunamitis, hospita Elisei, volebat ei loqui, mittebat ad eam Eliseus puerum suum, quasi vitans colloquia mulierum). 4. *Reg.* 4. 12.

Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. *Tob.* 3. 16.

Incorruptio autem facit esse proximum Deo. *Sap.* 6. 20.

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi — qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. *Matth.* 19. 12.

In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Ibid.* 22. 30. *V. et. Luc.* 20. 34.

(Beata Virgo Maria ab Angelo venerabiliter salutata, nec est oblita voti et propositæ castitatis, licet Angelus dixerit, quod ex ea Filius Altissimi nasceretur). *Luc.* 1. 26.

(Castitatis argumentum fuit in beato Stephano, quia ipse ab Apostolis fuit deputatus ad ministerium vel custodiam mulierum). *Act.* 6. 3.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo : Consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. 1. *Cor.* 7. 25. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo : qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. *v.* 32. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu : quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. *v.* 34. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit. *v.* 38.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt; hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno. *Apoc.* 14. 4.

CASTITAS *consulitur ut perfectio evangelica. Mach.* 19. 12. *Item* 1. *Cor.* 7. 25. *ut supra. V. et.* **Votum castitatis.**

CASTITAS. — *Castitatis laus.*

Tu gloria Jerusalem (Judith), tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri : quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris : ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. *Judith* 15. 10.

Erat etiam virtuti castitas adjuncta ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. *Ibid.* 16. 26.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. *Prov.* 22. 11.

Maledicta creatura eorum (impiorum); quoniam felix est sterilis : et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Sap.* 3. 13.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines. Cum præsens est, imitantur illam : et desiderant eam, cum se eduxerit : et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens. *Ibid.* 4. 1.

Incorruptio autem facit esse proximum Deum. *Ibid.* 6. 20.

Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. *Eccli.* 26. 20.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Isa.* 7. 14.

Et non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis — Dabo eis — nomen melius a filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. *Isa.* 56. 3. 4. 5.

Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? *Zach.* 9. 17.

Hic (Razias) multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Judaismo, corpusque et animam tradere contentus pro perseverantia. 2. *Mach.* 14. 38.

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt : et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. *Matth.* 19. 12.

Et ait illi Jesus : Filii hujus sæculi nu-

bunt, et traduntur ad nuptias. Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores : neque enim ultra mori poterunt : æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis *Luc.* 20. 34. *V. et Matth.* 22. 30.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. 1. *Cor.* 7. 25.

Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 2. *Cor.* 11. 1.

Fructus autem spiritus est : Caritas — continentia, castitas, etc. *Gal.* 5. 22.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, etc. *Apoc.* 14. 4.

CAVENDUM *a Pseudoprophetis. V. et.* **Pseudoprophetæ.**

Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos, etc. *Matth.* 7. 15.

Et præcipiebat eis (Jesus) dicens : Videte, cavete a fermento Pharisæorum, et fermento Herodis. *Marc.* 8. 15.

Multi enim venient in nomine meo, dicentes : quia ego sum : et multos seducent. *Ibid.* 13. 6.

Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. *Luc.* 17. 23.

CENSUS. *V.* **Exactio.**

CEREI. — *Cereorum et lampadum usus in templo.*

Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, et altare aureum, et mensas, et super eas panes propositionis. Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum, ex auro purissimo: et florentia quædam, et lucernas, et forcipes aureos : omnia de auro mundissimo facta sunt. 2. *Paral.* 4. 19. 20. 21.

Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, etc. *Levit.* 6. 12.

CERTI *non sumus de accepta peccatorum remissione, vel vita æterna consequenda. V. et.* **Peccatum. Remissio peccatorum.** *Item* **Vita æterna.**

Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem. Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, etc. *Eccles.* 9. 1.

De propitiato peccato noli esse sine metu : neque adjicias peccatum super peccatum. *Eccli.* 5. 5. *V. Rom.* 8. 17.

Propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20. *V. Philipp.* 3. 11. 1. *Tim.* 1. 19. *Hebr.* 3. 14. *c.* 4. 1.

Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. 1. *Cor.* 4. 4. *c.* 9. 27.

Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat. *Ibid.* 10. 12.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12. *V.* 2. *Petr.* 3. 17.

CHOREÆ. — *Choreas ducere.*

Surgentesque mane (Israelitæ), obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare et bibere. *Exod.* 32. 6. Cumque appropinquasset (Moyses) ad castra, vidit vitulum et choros : iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis. *v.* 19. (Vide in sequentibus terribilem pœnam, quam sibi per choreas istas attulerint). *V. et. Judic.* 11. 21.

Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua, cum tympanis et choris : non enim habebat alios liberos : (et male ipsi successit res). *Judic.* 11. 34.

(Filii Benjamin rapiunt virgines, ducentes choreas in solemnitate Domini). *Ibid.* 21. 21.

Cumque transcendissent, qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem, et arietem : et David saltabat totis viribus ante Dominum : porro David erat accinctus ephod lineo. 2. *Reg.* 6. 13.

(Sara uxor Tobiæ junioris aiebat) : Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. *Tob.* 3. 17.

Cum saltatrice ne assiduus sis — ne forte pereas. *Eccli.* 9. 4.

Pro eo quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu — idcirco ecce ego extendam manum meam super te, etc. *Ezech.* 25. 6.

(Saltus filiæ Herodis caput et vitam abstulit Joanni Baptistæ). *Matth.* 14. 6.

CHRISTUS *Jesus. V. et.* **David.**

CHRISTUS, — *Promittitur verus Deus et verus homo.*

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. *Gen.* 3. 15.

Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi (Abraham); atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. *Ibid.* 12. 3,

Et ait Deus ad Abraham : Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eum. *Ibid.* 17. 19. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. *v.* 21.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Ibid.* 22. 18. *Idem habetur c.* 26. 4. *et c.* 28. 14.

Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. *Ibid.* 49. 10.

Videbo eum, sed non modo : intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes illios Seth, etc. *Num.* 24. 17.

Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui : et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. *Deut.* 18. 18.

Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit : Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 1. *Reg.* 2. 10. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet, ædificabo ei domum fidelem, etc. *v.* 35.

Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium : qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. 2. *Reg.* 7. 13.

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversum Christum ejus. *Psal.* 2. 2. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te, etc. *v.* 7. *per totum. V. item totum Psal.* 21.

Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Psal.* 109. 1.

Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel : butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. *Isa.* 7. 14. *V. c.* 40. 9. *et. c.* 46. 13.

Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. *Ibid.* 9. 6.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, etc. *Ibid.* 11. 1. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur : et erit sepulcrum ejus gloriosum. *v.* 10.

Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum : qui crediderit, non festinet. *Ibid.* 28. 16. *V. Dan.* 7. 13. *et. c.* 9. 24.

Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum : judicium gentibus proferet. *Ibid.* 42. 1. *V. et. c.* 45. 8.

Et dixit (Deus) : Parum est, ut sis mihi servus, ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. *Ibid.* 49.

Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. *v.* 10. *V. c.* 50. 5. *et c.* 52. 10.

(Prophetatur de Christi nativitate et ignominiosa passione ac morte ipsius, propter peccata nostra : contemptui habitus est, qui salutem nobis peperit etc.). *Ibid. c.* 53.

(Christi Salvatoris officium, et humani generis reparationem pulchre explicat; prædicatione quoque ministrorum Christi, gentes ad fidem convertendas, etc.) *Ibid. c.* 61.

Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion : Ecce Sal-

vator tuus venit : ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. *Ibid.* 62. 11.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et suscitabo David germen justum : et regnabit Rex, et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam in terra. *Jerem.* 23. 5. *V. c.* 30. 9. *Item verbatim habetur c.* 33. 15.

Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David : ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. *Ezech.* 34. 23. *et. v.* 11. 15. *V. et. c.* 37. 24.

Nunc vastaberis, filia latronis : obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel. Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel. *Mich.* 5. 2. *V. Matth.* 2. 6. *et. Joan.* 7. 42.

Et veniet desideratus cunctis gentibus : et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. *Agg.* 2. 8. *V. et. Malach.* 3. 1.

Lauda et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. *Zach.* 2. 10.

Audi, Jesu sacerdos magne, tu et amici mei, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt : ecce enim ego adducam servum meum orientem, etc. *Ibid.* 3. 8.

Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator : ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ, etc. *Ibid.* 9. 9. *V. Isa.* 62. 11. *Matth.* 21. 5. *Joan.* 1. 18. *Joan.* 3. 16.

CHRISTUS *secundum promissum Dei Patris, primum in tempore propter nos verus homo factus, et nobiscum conversatus est.*

Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. *Joan.* 1. 14.

CHRISTUS. — *Deus in carne manifestatus est.*

Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo. assumptum est in gloria. 1. *Tim* 3. 16.

In hoc cognoscitur Spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est, etc. 1. *Joan.* 4. 2.

CHRISTUS. — *Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati.*

Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus Filium suum mittens in similtudinem carnis peccati et de peccato daconavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. *Rom.* 8. 3.

CHRISTUS *est verus Dei Filius.*

Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth.* 3. 17. *Idem habetur Marc.* 1. 11. *Item. cap.* 5. 7. *Luc.* 3. 22. 2. *Petr.* 1. 17. *Luc.* 17. 5. *Matth.* 17. 5.

Qui autem in navicula erant, venerunt. et adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei es. *Ibid.* 14. 33. *V. et. Marc.* 5. 7.

Videns autem Jesum a longe (qui a dæmonio vexabatur), cucurrit, et adoravit eum : et clamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei altissimi : adjuro te per Deum, ne me torqueas. *Marc.* 5. 6. *V. Joan.* 1. 34. 49. *c.* 6. 69. *c.* 9. 35. *Matth.* 8. 29.

Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat. *Ibid.* 15. 39. *V. et. Matth.* 1. 2. *c.* 5. 8. *c.* 6. 6. *c.* 7. 3.

Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum : Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1. 30. *V. Rom.* 1. 4. *Hebr.* 10. 20.

Ait illi (Martha) : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Joan.* 11. 27. *V. et. c.* 7. 41.

Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne. *Rom.* 8. 3.

Qui facit peccatum, ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. 1. *Joan.* 3. 8.

In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. *Ibid.* 4. 9. *V. et. c.* 5. 20.

CHRISTUS *conceptus de Spiritu Sancto.*

Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph fili David, noli ti-

mere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. *Matth.* 1. 20.

Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1. 35.

CHRISTUS *natus ex Maria Virgine.*

Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Isa.* 7. 14.

Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum : et vocavit nomen ejus Jesum *Matth.* 1. 25.

Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria ; invenisti enim gratiam apud Deum : ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1. 30.

Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit. *Luc.* 2. 6. Ecce enim (ait Angelus Domini) evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. *v.* 10. *V. Galat.* 4. 4.

CHRISTUS. — *Natus in Bethleem.*

Et tu, Bethlehem Ephrata, parvula es in millibus Juda : ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel. *Mich.* 5. 2.

Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam. *Matth.* 2. 1. *V. Luc.* 2. 6. 11.

Nonne Scriptura dicit : Quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? *Joan.* 7. 42.

CHRISTUS *est sine peccato.*

Et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. *Isa.* 53. 12. *totum caput. Item Joan.* 8. 46. *Hebr.* 4. 15. *et. c.* 7. 26.

Eum (Christum), qui noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 2. *Cor.* 5. 21.

Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. 1. *Petr.* 2. 22.

Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret : et peccatum in eo non est. 1. *Joan.* 3. 5.

CHRISTUS. — *Circumciditur.*

Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. *Luc.* 2. 21.

CHRISTUS. — *Baptizatur in Jordane.*

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. *Matth.* 3. 16.

Et factum est in diebus illis, venit Jesus a Nazareth Galilææ, et baptizatus est a Joanne in Jordane, etc. *Marc.* 1. 9. *V. Luc.* 3. 21.

CHRISTUS *manifestatur et demonstratur certis testimoniis.*

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. *Matth.* 1, 1. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. *v.* 16. Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. *v.* 23.

Ego quidem (ait Joannes) baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare : ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni. *Ibid.* 3. 11.

Et ecce clamaverunt (duo dæmonia habentes) dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? *Ibid.* 8. 29.

Et respondens Jesus, ait illis (discipulis suis) : Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, etc. *Ibid.* 11. 4.

Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi. *Ibid.* 16. 16.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite. *Ibid.* 17. 5.

Dicit illi (principi sacerdotum) Jesus : Tu dixisti : verumtamen dico vobis : amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. *Ibid.* 26. 64.

Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam ci-

vitatem, et apparuerunt multis. *Ibid.* 27. 53.

Vocavit duodecim, et cœpit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum. *Marc.* 6. 7.

Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat. *Ibid.* 15. 39.

Et dixit illis Angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, etc. *Luc.* 2. 10. *V. et. c.* 22. 68.

Et facta est, dum oraret, species vultus ejus, altera : et vestitus ejus albus et refulgens. *Ibid.* 9. 29.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. *Joan.* 1. 14. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se : et ait : Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi. *v.* 29. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. *v.* 32. Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. *v.* 49. *V. c.* 2. 11. *et. c.* 3. 2.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. 7. *Ibid.* 5. 39.

Ait illi (Martha) : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Ibid.* 11. 17. Tulerunt ergo lapidem (Martha et soror ejus) : Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. *V.* 41. *et. Rom.* 1. 2.

Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. *Ibid.* 12. 17. *V. et. c.* 14.

Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est (Psal. 24. 19.) : Quia odio habuerunt me gratis. *Ibid.* 15. 25. *V. c.* 17. 1. *c.* 20. 28.

Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne. *Rom.* 8. 3. *V. c.* 9. 5. *Item.* 2. *Cor.* 5. 9.

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, etc. *Galat.* 4. 4. *V. et. Coloss.* 2. 9. *Hebr.* 1. 5.

Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens : in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. *Philipp.* 2. 5. *V. et. Tim.* 3. 13.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus. *Tit.* 2. 11.

Et scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. 1. *Joan.* 5. 20.

CHRISTUS *est Agnus Dei.*

Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi Agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. *Isa.* 53. 7. *V. Act.* 8. 31.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Joan.* 1. 29.

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. 1. *Cor.* 5. 7. *V. Apoc.* 5. 6. *c.* 7. 9. *c.* 14. 1.

Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. *Apoc.* 5. 12. *et. c.* 13. 8.

Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. *Ibid.* 7. 17.

Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles. *Ibid.* 17. 14.

CHRISTUS *est Dominus dominantium et Rex regum.*

Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum ; in judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea — Et David servus meus princeps eorum in perpetuum. *Ezech.* 37. 24. 25. *V. et. Apoc.* 1. 5.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædi-

cans præceptum ejus. *Psal.* 2. 6. *V. et Coloss.* 2. 10.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. *Psal.* 23. 7.

Quem suis temporibus ostendet beatus, et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium : qui solus habet immortalitatem, et lucem habitans inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor et imperium sempiternum. Amen. 1. *Tim.* 6. 15.

Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles. *Apoc.* 17. 14.

Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium. *Ibid.* 19. 16.

CHRISTUS *est imago Dei.*

Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. *Sap.* 7. 26.

Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in his qui pereunt est opertum : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2 *Cor.* 4. 3. *V. et. Hebr.* 1. 3.

CHRISTUS *est lux gentium et totius mundi.*

Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini. *Isa.* 1. 5.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. *Ibid.* 9. 2.

Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. *Ibid.* 42. 6.

Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. *Ibid.* 49. 6. *Idem reperitur Act.* 13. 47.

Surge, illuminare, Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. *Ibid.* 60. 1. Non erit ibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. *v.* 19.

Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. *Matth.* 4. 16.

Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. *Luc.* 2. 32. *V. Joan.* 3. 19. *Item* 1. *Joan.* 1. 5.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominnm. *Joan.* 1. 4.

Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens : Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Ibid.* 8. 12. *V. et. c.* 12. 35.

Quamdiu sum in mundo lux sum mundi. *Ibid.* 9. 5.

Ego lux in mundum veni : ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. *Ibid.* 12. 46.

Et civitas (Jerusalem cœlestis) non eget sole, neque luna, ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. *Apoc.* 22. 23.

CHRISTUS *est verus pastor.*

Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. *Isa.* 40. 11.

Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum, etc. *Ezech.* 37. 24.

Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui : et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. *Mich.* 5. 4.

Percute pastorem, et dispergentur oves : et convertam manum meam ad parvulos. *Zach.* 13. 7. *Idem reperitur Marc.* 14. 27.

Ego sum pastor bonus : bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. *Joan.* 10. 11.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum. *Hebr.* 13. 20.

Eratis enim sicut oves errantes : sed conversi estis ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum. 1. *Petr.* 2. 25.

Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. *Ibid.* 5. 4.

CHRISTUS *docuit et prædicavit.*

Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 4. 17. *V. et. c.* 5. 6. 7. *c.* 4. 23.

Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans

Evangelium regni Dei. *Marc.* 1. 14. *V. Luc.* 4. 5.

CHRISTUS *curavit omnem infirmitatem.*

Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni : et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. *Matth.* 4. 23. *V. c.* 8. *et. Luc.* 17. 12.

Ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ibid.* 9. 2. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus (et curata est). *v.* 20. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus : Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine. *v.* 28. *V. et. Marc.* 8. 23.

CHRISTUS *est transfiguratus.*

Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. *Matth.* 17. 2.

Et post dies sex, assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem : et duxit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. *Marc.* 9. 1.

Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera : et vestitus ejus albus et refulgens. *Luc.* 9. 29.

CHRISTUS *per proditorem traditus. V.* **Proditio Judæ,** sub finem Tituli **Proditio.**

CHRISTUS *passus est.*

Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum, etc. *Psal.* 21. 1. *per totum.*

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. *Isa.* 53. 4. *V. totum Caput.*

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus, cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. *Daniel.* 9. 26.

Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. *Matth.* 16. 21. *Item Marc.* 8. 31. *c.* 9. 30.

Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis. *Ibid.* 17. 12. Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum, et tertia die resurget. *v.* 21.

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, etc. *Ibid.* 20. 18. *V. c.* 26. 37. 66. *c.* 27. *Item. Luc.* 18. 31.

Primum autem oportet illum ibi multa pati, et reprobari a generatione hac. *Luc.* 17. 25. *V. Joan.* 18. 28. *c.* 19. *Luc.* 9. 22.

Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. *Act.* 3. 18.

Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic (*Isa.* 53. 7.) : Tanquam ovis ad occisionem ductus est ; et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. *Ibid.* 8. 32. *V. c.* 17. 3.

Qui etiam proprio Filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ? *Rom.* 8. 32.

In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. *Petr.* 2. 21.

Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit a peccatis. *Ibid.* 4. 1. *V. Hebr.* 2. 18.

Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. *Hebr.* 13. 12.

CHRISTUS *est crucifixus.*

Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes : ut impleretur quod dictum est per Prophetam (*Psal.* 2. 19). dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. *Matth.*

27. 35. *Idem Marc.* 15. 24. *repetitur. Item. Joan.* 19. 18. *Act.* 2. 23.

Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. *Luc.* 23. 32.

Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel : quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus, etc. *Act.* 4. 9.

Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2. 2. *V. et.* 2. *Cor.* 13. 4.

CHRISTUS. — *Christi passio prædicta et præfigurata est.*

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis : atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi. *Gen.* 22. 2.

Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. *Num.* 21. 7.

Foderunt manus meas, et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea. *Psal.* 21. 18.

Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. *Isa.* 53. 7.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, etc. *Dan.* 9. 26.

Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Matth.* 20. 22.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternum. *Joan.* 3. 14. *V. et. c.* 12. 32.

Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. *Ibid.* 8. 28.

CHRISTUS *mortuus est, et sepultus propter peccata nostra.*

Cæteri vero dicebant. Sine videamus, an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. *Matth.* 27. 49. Hic (Joseph ab Arimathæa) accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus : et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda : et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. *v.* 58.

Jesus autem, emissa voce magna, expiravit. *Marc.* 15. 37. *V. et. v.* 46. *Item. Luc.* 23. 46. 53. *Item Joan.* 19. 30. 40. *Rom.* 5. 6.

Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. *Act.* 13, 29.

Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. *Rom.* 6. 10. *V. et. c.* 8. 34.

In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. *Ibid.* 14. 9.

Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas — et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas. 1. *Cor.* 15. 3. *V.* 2. *Cor.* 5. 15. *Item* 1. *Thess.* 5. 10.

CHRISTUS....... *ut prædixerat futurum.*

Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. *Matth.* 16. 21.

Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Ibid.* 20. 22.

CHRISTUS *descendit ad inferos. V.* **Limbus Patrum.**

CHRISTUS *tertia die resurrexit a mortuis.*

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Psal.* 15. 10.

Non est hic : surrexit enim sicut dixit: Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus. *Matth.* 28. 6. *Idem habetur Marc.* 16. 6. *Item. Luc.* 24. 5.

Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere, etc. *Joan.* 20. 9.

Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo *Act.* 2. 24. Providens locutus

est de resurrectione Christi, quia — neque caro ejus vidit corruptionem. *v.* 31. *V. Rom.* 4. 25.

Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri. *Ibid.* 10. 40. *Idem habetur c.* 13. 30. *c.* 17. 31.

Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est : imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, etc. *Rom.* 8. 34.

In hoc autem Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. *Ibid.* 14. 9.

Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, etc. 1. *Cor.* 15 3.

Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi male non operans : sed verbum Dei non est alligatum. 2. *Tim.* 2. 8.

CHRISTUS....... *idque prædictum et præfiguratum est.*

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Psal.* 15. 10.

Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. *Jonæ* 2. 1. *Idem repetitur Matth.* 12. 40. *Item Luc.* 1. 30.

Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus ; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. *Matth.* 12. 40.

Et cœpit (Jesus) docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a senioribus et a summis sacerdotibus, et scribis, et occidi : et post tres dies resurgere. *Marc.* 8. 31. *Idem habetur Matth.* 16. 21.

Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis : Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget. *Ibid.* 9. 30. *V. et. v.* 10. 34.

Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. *Joan.* 2. 19. *V. et. alia loca quam plurima.*

CHRISTUS *ascendit in cœlum.*

Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. *Marc.* 16. 19.

Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. *Luc.* 24. 51.

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. *Joan.* 3 13.

Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius. *Ibid.* 6. 63. *V. et.* 1. *Petr.* 3. 12.

Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est : et nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Act.* 1. 9. *V. et. Ephes.* 1. 20.

Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus. *Ephes.* 4. 8. *Item Psal.* 61. 19.

Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem (scilicet spei nostræ). *Hebr.* 4. 14.

CHRISTUS *est Deus et Dei Filius ab æterno.*

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. *Prov.* 8. 22.

Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te enim egredietur qui sit Dominator in Israel : et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. *Mich.* 5. 2.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. *Joan.* 1. 1.

Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. *Ibid.* 8. 18.

Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te. *Ibid.* 17. 5. *V. et. v.* 24.

Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum et in ipso creata sunt. *Coloss.* 1. 16. *V. et. Hebr.* 1. 2.

CHRISTUS *mediator, reconciliator, et advocatus.*

Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum : et ego resuscitabo eum in novissimo die. *Joan.* 6. 44. *V. et. v.* 65.

Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. *Ibid.* 10. 7.

Dicit ei (Thomæ) Jesus : Ego sum via, et veritas, et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Ibid.* 14. 6.

Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Act.* 4. 12.

Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. *Rom.* 3. 24. *V. et. c.* 5. 2. *Item Coloss.* 1. 1. 9.

Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est; imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Ibid.* 8. 34.

Mediator autem unius non est : Deus autem unus est. *Gal.* 3. 20. *V. Ephes.* 2. 14. 17.

Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, *cujus* testimonium temporibus suis (confirmatum est). 1. *Tim.* 2. 5. *V. et. Hebr.* 7. 24. *c* 8. 6. *c.* 9. 15. *c.* 12. 24.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. *Joan.* 2. 1. *V. et. c.* 4. 10.

CHRISTUS *sedet ad dexteram Dei Patris.*

Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam, etc. *Psal.* 109. 1. *Idem repetitur Matth.* 22. 44. *Hebr.* 1. 13.

Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. *Marc.* 16. 19.

Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. *Luc.* 22. 69. *V. Hebr.* 10. 12. *c.* 12. 2.

Et ait (Stephanus) : Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. *Act.* 7. 55. *V. Ephes.* 1. 20.

Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est : imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, quietiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34.

Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Coloss.* 3. 1. *V.* 1. *Petr.* 3. 22.

CHRISTUS *venturus est judicare vivos et mortuos.*

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. *Psal.* 95. 12.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *Matth.* 16. 27. *V. et. c.* 25. 21.

Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo : et tunc plangent omnes tribus terræ : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. *Ibid.* 24. 30.

Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt, fulget; ita erit Filius hominis in die sua. *Luc.* 17. 24. *V. v.* 30. *Item* 2. *Thess.* 1. 7.

Et erunt signa in sole et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum : arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. *Ibid.* 21. 25.

Neque enim Pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio. *Joan.* 5. 22. *V. Rom.* 2. 16.

Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *Act.* 1. 11.

Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. *Ibid.* 10. 42. *V. et. c.* 7. 31.

Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus. 2. *Tim.* 4. 1. *V. Hebr.* 9. 28. *Judæ* 14.

Qui (blasphemantes) reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos. 1. *Petr.* 4. 5.

Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. *Apoc.* 1. 7. *V. c.* 20. 11.

CHRISTUS. — *Christo omnia tradita sunt a Patre, et subjecta.*

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque

Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. *Matth.* 11. 27. *Item. Luc.* 10. 22.

Et accedens Jesus, locutus est eis (discipulis) dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Ibid.* 28. 18.

Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. *Joan.* 3. 35.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. *Ibid.* 17. 2.

Et omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. *Ephes.* 1. 22. *V. Psal.* 8. 8.

CHRISTUS. — *Per Christum cuncta sunt creata.*

Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psal.* 32. 6.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. *Joan.* 1. 3. *Ephes.* 3. 9.

Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum et in ipso creata sunt. *Coloss.* 1. 16. *V. Hebr.* 1. 2.

CHRISTUS *manet in æternum.*

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. *Psal.* 109. 4.

Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis : super solium David, et super regnum ejus sedebit : ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum. *Isa.* 9. 7.

Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur. *Dan.* 7. 14.

Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege (Psal. 109. 4.), quia Christus manet in æternum : et quomodo tu dicis : Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? *Joan.* 12. 34.

CHRISTUS *est Leo.*

Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris : Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. *Apoc.* 5. 5.

CHRISTUS *est Stella matutina.*

Et habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. 2. *Petr.* 1. 19.

Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix, et genus David, stella splendida et matutina. *Apoc.* 12. 16.

CHRISTUS *est unum cum Patre.*

Ego et Pater unum sumus. *Joan.* 10. 30.

Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor : Pater autem in me manens, ipse facit opera. *Ibid.* 14. 10. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. *v.* 20.

Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus, quia tu me misisti. *Ibid.* 17 21.

CHRISTUS. — *Dicentibus, hic est Christus, aut ibi, non est credendum.*

Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic : nolite credere. Surgent enim Pseudochristi et Pseudoprophetæ, etc. *Matth.* 24. 23. *Idem Marc.* 13. 21. *ad verbum habetur.*

Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic ; nolite ire, neque sectemini. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua. *Luc.* 17. 23.

CHRISTUS *novit omnia.*

Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi. *Joan.* 16. 30.

Dicit ei tertio (scil Jesus Petro) . Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio : Amas me? Et dixit ei : Domine, tu omnia nosti : tu scis, quia amo te. *Ibid.* 22. 17. *V. Apoc.* 2. 23.

CHRISTUS *sibi reputat fieri quod Christianis fit.*

O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis : quia hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Zach.* 2. 27.

Qui calumniatur egentem, exprobrat

factori ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis. *Prov.* 14. 31.

Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus : et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Ibid.* 17. 5.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth.* 10. 42 *Item. c.* 18. 5.

Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Ibid.* 25. 35.

Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. *Marc.* 9. 39.

Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. *Luc.* 10. 16.

Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum : qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis. 1. *Thess.* 4. 8.

CHRISTIANI *appellantur fideles.*

Quem cum (scil. Barnabas Saulum) invenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia : et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. *Act.* 11. 25.

Agrippa autem ad Paulum : In modico suades me Christianum fieri. Et Paulus : Opto apud Deum et in modico et in magno non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his. *Ibid.* 26. 28.

Si quis confidit sibi, Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se : quia sicut ipse Christi est, ita et nos. 1. *Cor.* 10. 7.

CHRISTIANI *dicuntur sancti, quia sanctitatem profitentur.*

Et cum vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam (Tabitham). *Act.* 9. 41.

Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis (scilicet gratia et pax). *Rom.* 1. 7.

Necessitatibus sanctorum communicantes. *Ibid.* 12. 13.

Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. *Ibid.* 15. 25.

Salutate Philologum, et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes, qui cum eis sunt, sanctos. *Ibid.* 16. 15.

Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, etc. 1. *Cor.* 1. 2.

Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? *Ibid.* 6. 1.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo. *Ibid.* 14. 33.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia. 2. *Cor.* 1. 1.

Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. *Ibid.* 9. 1.

Salutate invicem in osculo sancto : salutant vos omnes sancti. *Ibid.* 13. 12.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu. *Ephes.* 1. 1. Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos. *v.* 15.

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, etc. *Ibid.* 3. 8. Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. *v.* 18.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. *Ibid.* 4. 11.

Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione, pro omnibus sanctis. *Ibid.* 6. 18.

Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis, in Christo Jesu, qui sunt Philippis, etc. *Philipp.* 1. 1.

Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. *Ibid.* 4. 21.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, iis, qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu. *Coloss.* 1. 1.

Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. 1. *Thess.* 5. 27.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam os-

tendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis. *Hebr.* 6. 10.

Salutate omnes præpositos vestros et omnes sanctos. *Ibid.* 13. 24.

CHRISTIANI *falsi.*

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Exod.* 20. 7.

Nec pollues nomen Dei tui. *Levit.* 19. 12.

Nec polluatis nomen meum sanctum. *Ibid.* 22. 32.

Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. *Isa.* 4. 1.

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo. *Matth.* 10. 33.

Domine, nonne bonum semen (fidei) seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania (perversorum operum et hæresum)? *Ibid.* 13. 27.

Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Tit.* 1. 16.

Tu credis, quoniam unus est Deus : Bene facis : et dæmones credunt, et contremiscunt. (In hoc te minus mali sunt, quia tu non times, et illi contremiscunt). *Jacob.* 2. 19.

Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis castitatem. 1. *Petr.* 1. 5.

Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum (per fidem), si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum (Deum), et mandata ejus non custodit, mendax est. 1. *Joan.* 2. 3.

CHRISTIANI. — *Christianis vivendum est, ut vixit Christus.*

Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam : Christo confixus sum cruci. *Gal.* 2. 19.

Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce : societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan.* 1. 7.

Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare *Ibid.* 2. 6.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. *Ibid.* 3. 3.

CHRISTIANI *erunt in Christo.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. *Joan.* 12. 26.

Quia vado parare vobis locum : et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. *Ibid.* 14. 2.

Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi. *Ibid.* 17. 24.

CIBUS, *qui Judæis inhibebatur.*

Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur : et non comedentur carnes ejus : dominus quoque bovis innocens erit. *Exod.* 21. 28.

Viri sancti eritis mihi : carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis : sed projicietis canibus. *Ibid.* 22. 31.

Jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis. *Levit.* 3. 17.

Loquere filiis Israel : Adipem ovis, et bovis, et capræ, non comedetis. *Ibid.* 7. 23

Quidquid autem ruminat quidem, et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus, et cœtera, non comedetis illud, et inter immunda reputabitis. *Ibid.* 11. 4.

Homo quilibet de domo Israel, et de advenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo. *Ibid.* 17. 10. *et. v.* 13.

Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia. *Ibid.* 19. 26. *V. Deut.* 12. 16.

Hoc solum cave, ne sanguinem comedas : sanguis enim eorum pro anima est; et idcirco non debes animam comedere cum carnibus : sed super terram fundes quasi aquam. *Deut.* 12. 23.

Quæ absque pinnulis et squamis sunt ne comedatis, quia immunda sunt. *Ibid.* 14. 10.

CIBUS. — *Ciborum et potus in conviviis Luxus. V. et.* **Ebrietas et Gula, et præcipue Convivia.**

Cithara et lyra et tympanum et tibia, et vinum in conviviis vestris; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. *Isa.* 5. 12.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16. 49.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et eplulabatur quotidie splendide. *Luc.* 1. 24.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa. *Ibid.* 16. 19.

Sicut in die honeste ambulemus ; non in comessationibus et ebrietatibus ; non in cubilibus, et impudicitiis ; non in contentione et æmulatione. *Rom.* 13. 13.

Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. 2. *Petr.* 4. 3.

CIBUS. — *Cibare esurientes, seu fame laborantes.*

Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in æternum : quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via quando egressi estis de Ægypto, etc. *Deut.* 23. 3.

Dixitque ad viros Soccoth : Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt, etc. *Judic.* 8. 5.

Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris. Et respondens sacerdos (Achimelech) ad David, ait illi : Non habeo laïcos panes ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, etc. 1. *Reg.* 21. 3.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7.

Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere, etc. *Matth.* 25. 35.

CIBUS *sumendus cum gratiarum actione.* *V.* **Gratia.**

CIBUS. — *Cibi delectus habendus.* *V.* **Abstinentia.**

CILICIUM. *V.* **Asperitas vestium.**

CIRCUMCISIO *carnalis et spiritualis.*

Et circumcidit (Abraham) eum (Isaac) octavo die, sicut præceperat ei Deus. *Gen.* 21. 4.

Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, etc. *Exod.* 4. 25.

Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. *Ibid.* 12. 44.

Et die octavo circumcidetur infantulus. *Levit.* 12. 3.

Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram, ne induretis amplius. *Deut.* 10. 16.

Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui : ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut vivere possis. *Ibid.* 30. 6.

Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel. *Josue* 5. 2.

Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel, relicto Gentilitatis ritu, credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel, etc. *Judith* 14. 6.

Hæc dicit Dominus Deus : Omnis alienigena incircumcisus corde et incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum : omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israel. *Ezech.* 44. 9.

Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem : ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum. *Jerem.* 4. 4.

Cui loquar? et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt : ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud. *Ibid.* 6. 10.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium. *Ibid.* 9. 25.

Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum (Joannem), et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. *Luc.* 1. 59.

Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. *Ibid.* 2. 21.

Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex

patribus : et in sabbato circumciditis hominem. *Joan.* 7. 22.

Et dedit illi testamentum circumcisionis : et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo. *Act.* 7. 8.

Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. *Ibid.* 15. 1.

Hunc (Timotheum) voluit Paulus secum proficisci : et assumens, circumcidit eum, propter Judæos, qui erant in illis locis. *Ibid.* 16. 3.

Sed qui in abscondito Judæus est : et circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. *Rom.* 2. 29.

Circumcisio nihil est, et præputium nihil est : sed observatio mandatorum Dei. 1. *Cor.* 7. 19. *V. Gal.* 6. 12.

Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes, etc. *Philipp.* 3. 3.

In quo et circumcisi estis, circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Jesu Christi : consepulti ei in baptismo. *Coloss.* 2. 11.

CIVITAS *superna.*

Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem (Abraham), cujus artifex et conditor Deus. *Hebr.* 11. 10.

Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem. *Ibid.* 12. 22.

Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Ibid.* 13. 14.

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim. *Apoc.* 21. 14. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata etc. Et templum non vidi in ea. *v.* 19. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. *v.* 22. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminat eam. *v.* 23.

CIVITAS *terrena pietate gubernatur.*

Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum, quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. *Levit.* 19. 33.

In bonis justorum exultabit civitas. *Prov.* 11. 10. Ubi non est gubernator, populus corruet. *v.* 14.

Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea — Civitates inhabitabuntur per sensum potentium (scilicet prudentium). *Eccli.* 10. 2. 3.

Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas, et ingrediatur gens justa custodiens veritatem. *Isa.* 26. 2.

CIVITAS *terrena impietate devastatur.*

Præcipita, Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus, et injustitia. Et non defecit de plateis ejus usura et dolus. *Psal.* 54. 10. 11. 12.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. *Psal.* 126. 1.

Benedictione justorum exaltabitur civitas : et ore impiorum subvertetur. *Prov.* 11. 11.

Homines pestilentes dissipant civitatem : sapientes vero avertunt furorem. *Ibid.* 29. 8.

Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. *Eccli.* 28. 15. 16. 17.

Et eris deserta : quia oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata. *Isa* 17. 9.

Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate. *Habac.* 2. 12.

CLAVIS *mortis.*

Et dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit, qui aperiat. *Isa.* 22. 22.

Ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferni. *Apoc.* 1. 18.

Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit : claudit, et nemo aperit. *Ibid.* 3. 7.

COGITATIO. — *Cogitationes pravas odit Deus.*

Et unusquisque malum contra amicum

suum ne cogitetis in cordibus vestris : et juramentum mendax ne diligatis : omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. *Zach.* 8. 17.

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. *Prov.* 6. 12.

De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. *Matth.* 15. 19.

Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, etc. *Marc.* 7. 21.

COGITATIO. — *Cogitationes cordis novit Deus.*

Tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus : quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. 3. *Reg.* 8. 39.

Tu exaudies de cœlo ; de sublimi scilicet habitaculo tuo : et propitiare, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo : tu enim solus nosti corda filiorum hominum. 2. *Paral.* 6. 30.

Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat, quid esset in homine. *Joan.* 2. 25.

COGITATIO. — *Nulla cogitatio latet Deum.*

Scio, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. *Job.* 42. 2.

Cognovit enim Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum ævi, annuntians quæ præterierunt, et quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum. *Eccli.* 40. 19.

Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos, et quis novit nos? *Isa.* 29. 15.

Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum. *Matth.* 9. 4. *V. et. Hebr.* 4. 12.

COGITATIO. — *Noverunt cogitationes et alii quibus Deus voluerit revelare.*

Ipse autem ingressus stetit coram domino suo, et dixit Eliseus : Unde venis, Giezi? Qui respondit : Non ivit servus tuus quoquam. At ille ait : Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui ? Nunc igitur accepisti argentum et — vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas, etc. 4. *Reg.* 5. 25.

Dixitque unus servorum ejus : Nequaquam, Domine mi rex, sed Eliseus Propheta qui est in Israel, indicat regi Israeli omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. *Ibid.* 6. 12.

Tu, rex, cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc : et qui revelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt, etc. *Dan.* 2. 29.

COGNITIO *Dei.*

Homo enim videt ea, quæ parent : Dominus autem intuetur cor. 1. *Reg.* 16. 7.

Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat? *Job* 31. 4.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Prov.* 15. 3. Infernus et perditio coram Domino : quanto magis corda filiorum hominum? *v.* 11.

Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus. *Ibid.* 16. 2.

Non præterit illum (Deum) omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo. *Eccli.* 42. 20.

COGNITIO. — *Deus cognoscit bonos singulariter.*

Et respexit Dominus filios Israel, et cognovit eos. *Exod.* 2. 25.

Quoniam novit Dominus viam justorum. *Psal.* 1. 6.

Priusquam te formarem in utero, novi te. *Jerem.* 1. 5.

Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus, qui sunt ejus. 2. *Tim.* 2. 19.

Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. *Hebr.* 4. 13.

COGNITIO. — ..... *malos non agnoscit.*

Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, etc. *Matth.* 7. 22. Et nunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. *v.* 23.

Amen dico vobis : nescio vos *Ibid.* 25. 12.

Si quis autem ignorat, ignorabitur. 1. *Cor.* 14. 38.

COGNITIO *Dei firmiter exigitur.*

Cognoscetur Dominus judicia faciens. *Psal.* 9. 17. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum. *v.* 18.

Vacate et videte, quoniam ego sum Deus. *Psal.* 45. 11.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum : ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. *Psal.* 52. 3.

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Sap.* 13. 1.

Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. *Isa.* 1. 3.

Quia stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt, et vecordes. *Jerem.* 4. 22.

Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. *Ibid.* 9. 3. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me : quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra. *v.* 23.

Misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei, plus quam holocausta. *Oseæ* 6. 6.

Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit. *Rom.* 1. 18.

COGNITIO..... *multipliciter acquiritur, scilicet divina illustratione.*

Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. *Job* 21. 14.

Multi dicunt : quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. *Ps.* 4. 5.

Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. *Isa.* 52. 6.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11. 25. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. *v.* 27.

Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est (me scilicet esse Christum Filium Dei vivi). *Ibid.* 16. 17.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum — Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. *Joan.* 6. 44. 46.

Neque me scitis, neque Patrem meum : si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. *Ibid.* 8. 19.

Et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. *Ibid.* 17. 8.

Et scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. 1. *Joan.* 5. 20.

COGNITIO..... *creaturarum consideratione.*

Nimirum interroga jumenta, et docebunt te : et volatilia cœli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et respondebit tibi : et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? *Job* 12. 7.

Cœli enarrant gloriam Dei. *Psal.* 18. 2.

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei : et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex. *Sap.* 13. 1. Quorum si specie delectati, Deos putaverunt : sciant, quanto his dominator eorum speciosior est : speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. *v.* 3. A magnitudine enim speciei, et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri. *v.* 5.

Creavit illis scientiam spiritus, et sensu implevit cor illorum. *Eccli.* 17. 6.

Multa abscondita sunt majora his : pauca enim vidimus operum ejus. *Ibid.* 43. 36.

Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea : ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. *Joan.* 5. 36.

Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Rom.* 1. 20.

Ex parte enim cognoscimus. 1. *Cor.* 13. 9.

COGNITIO..... *Scripturarum declaratione.*
Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. *Joan.* 5. 39. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. *v.* 46.

COGNITIO..... *salubriter perquiritur.*
Nosse enim te, consummata justitia est : et scire justitiam, et virtutem tuam, radix est immortalitatis. *Sap.* 15. 3.
Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo : quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. *Isa.* 11. 9.
Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum. *Oseæ* 6. 3.
Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. *Joan.* 17. 3.
Verumtamen existimo, omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei. *Philipp.* 3. 8.
Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali : ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes. *Coloss.* 1. 9.
Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum : quoniam Deus caritas est. 1. *Joan.* 4. 7.

COGNITIO *hominis, quæ sit.*
Homo enim videt ea, quæ parent. 1. *Reg.* 16. 7.
Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri : sed homo sapiens exhauriet illud. *Prov.* 20. 5.
Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile invenies, et cum labore. *Eccli.* 13. 32.
Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? 1. *Cor.* 2. 11.

COGNITIO. — *Cognoscitur homo frequenter ex visu.*
Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. *Gen.* 4. 5.
In facie prudentis lucet sapientia. *Prov.* 17. 24.
Sapientia hominis lucet in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit. *Eccles.* 8. 1.
Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. *Eccli.* 13. 31.
Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. *Ibid.* 19. 26.

COGNITIO. — ... *a statu.*
Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. *Prov.* 27. 19.
Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. *Eccli.* 27. 7.

COGNITIO. — ... *A gestu.*
Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sunt opera ejus. *Prov.* 20. 11.
Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. *Eccli.* 19. 27.

COGNITIO. — *Cognoscere subinde licet homines ex factis et verbis.*
Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. Est correptio mendax in ira contumeliosi : et est judicium, quod non probatur esse bonum : et est tacens, et ipse est prudens. *Eccli.* 19. 27.
A fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth.* 7. 16.
Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum : siquidem ex fructu arbor agnoscitur. *Ibid.* 12 33.
Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur : neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. *Luc.* 6. 44.

COGNITIO. — *Cognosci Deus humana sapientia non potest, nisi ipse revelet.*
Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11. 25. *Idem habetur Luc.* 10. 21.
Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. *Ibid.* 16. 17.
Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joan.* 15. 15.
Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scruta-

tur, etiam profunda Dei. 1 *Cor.* 2. 10. *V. Coloss.* 1. 26.

Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. 1. *Cor.* 3. 19.

COGNITIO. — *Cognitionem Dei nemo habet perfectam, nisi qui Spiritum Dei habet.*

Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. 1. *Cor.* 2. 14.

Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, et revelationis in agnitione ejus, etc. *Ephes.* 1. 16.

Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. 1. *Joan.* 2. 3.

COMMUNIO *sub una specie.* *V.* **Eucharistia.**

COMPASSIO *habenda ad proximum.*

(Audiens Abraham, captum esse Lot nepotem suum, celeriter et viriliter succurrit ei). *Gen.* 14. 14.

(Ruben et Judas resistebant cæteris fratribus volentibus occidere Joseph, et quamvis non reduxerint eum ad patrem, tamen minus male actum est ei). *Ibid.* 27. 21. *et seqq.*

(Gedeon compatiens sociis fugatis, petivit panes pro eis). *Judic.* 8. 5.

(Compatiens David lassis sociis, quia ad bellum ire non poterant, constituit, quod æqua pars esset descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas). *Ibid.* 30. 24.

(Cum Jezabel occidit Prophetas Domini, Abdias abscondit centum ex eis, et pavit eos diebus multis). 3. *Reg.* 18. 4.

(Pie compatiens Eliseus viduæ debitoribus obligatæ augmentavit ei modicum olei, quod habebat). 4. *Reg. c.* 4.

Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi : eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. *Job.* 29. 11. *V. et. Tob. c.* 1.

Omnia ergo, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et Prophetæ. *Matth.* 7. 12. *V. Luc.* 10. *de Samaritano.*

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. *Rom.* 12. 15.

COMPASSIO. — *Non solum pro præsentibus malis compatiendum est proximo, sed etiam futuris.*

(Eliseus videns Hazael, quia mala facturus esset filiis Israel, cœpit flere). 4. *Reg.* 8. 11.

COMPASSIO. — *Non solum justis in afflictione compatiendum est, sed etiam peccatoribus et injustis.*

(Licet filii Benjamin filios Israel gravissime offenderint ; propter illorum tamen excidium omnes, elevata voce, et magno ululatu fleverunt). *Judic.* 21. 1.

(Lugebat Samuel Saul, licet sciret eum a Deo projectum). 1. *Reg.* 15. 35.

(Doluit David de occisione Absalom satis acerbe, licet ille multum offendisset eum). 2 *Reg.* 18. 33.

(Elias benigne accepit verbum mulieris satis durum ; et pro filio ejus mortuo, dolori illius compatiens, efficaciter oravit). 3. *Reg.* 17. 18.

Propterea (propter destructionem Babylonis) repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis. *Isa.* 21. 3.

Recedite a me (dicebat Isaias, videns spiritualem calamitatem supervenientem in populo suo) : amare flebo : nolite incumbere, ut consolemini me, super vastitate filiæ populi mei. *Ibid.* 22. 4.

(Contra nolentes compati proximo, et ex corde remittere, inducit Dominus parabolam de servo nequam, cui mille talenta fuerunt remissa, et noluit conservo suo dimittere centum denarios). *Matth.* 18. 21

Quoniam tristitia mihi magna est (dicebat Paulus compatiens fratribus et cognatis suis pereuntibus), et continuus dolor cordi meo. *Rom.* 9. 2.

Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria. *Ibid.* 9. 3.

Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ? 2. *Cor.* 11. 29.

Filioli mei, quos iterum parturio. *Gal.* 4. 19.

Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. *Jacob.* 2. 13.

COMPASSIO *mulierum.* *V.* **Mulierum compassio et pietas.**

COMPUNCTIO *gaudio pensatur.*

Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. *Prov.* 14. 13.

Amen, amen dico vobis : Quia plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joan.* 16. 20. *V. Jac.* 4. 9.

Et qui flent, tanquam non flentes : et qui gaudent, tanquam non gaudentes. 1. *Cor.* 7. 30.

CONCIONATOR. — *Concionatorum et Pastorum officium. V. et.* **Episcoporum electio et officium.**

Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis : et docebo vos viam bonam et rectam. 1. *Reg.* 12. 23.

Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. *Isa.* 58. 1.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, etc. *Ibid.* 61. 1.

Et dixit ad me : Fili hominis, quodcumque inveneris, comede : Comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. *Ezech.* 3. 1.

Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos : Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem, etc. *Ibid.* 33. 2.

CONCORDIA *fratrum commendatur.*

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, etc. *Psal.* 132. 1.

Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes, (probatæ sunt coram Deo). *Eccli.* 25. 2. *et* 1.

Idipsum invicem sentientes : non alta sapientes, sed humilibus consentientes. *Rom* 12. 16.

CONCORDIA. — *Idem sapere, idemque sentire jubemur.*

Ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. *Rom.* 15. 6.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. 1. *Cor.* 1. 10. *V. et. Rom.* 12. 16.

Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes. *Philipp.* 2. 2. *V. et. Ephes.* 4. 3.

Imitatores mei estote, fratres, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. *Ibid.* 3. 17. *V. et. c.* 4. 2.

In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. 2. *Petr.* 3. 8.

CONCUPISCENTIA *prohibetur et punitur.*

Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. *Exod.* 20. 17. *V. Josue* 7. 21.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum — et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus : sepulchra concupiscentiæ : ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat (scilicet carnem). *Num.* 11. 33.

Super filiam luxuriosam confirma custodiam : ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate, et abjectione plebis, et confundat te in multitudine populi. *Eccli.* 42. 11.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Job* 31. 1.

Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius : pretium enim scorti vix est unius panis. *Prov.* 6. 25.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non mæchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 5. 27.

Et alii sunt, qui in spinis seminantur; hi sunt, qui verbum audiunt, et ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes, suffocant verbum, et sine fructu efficitur. *Marc.* 4. 18.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6. 12. *et. c.* 13. 14.

Non concupisces etc. *Rom.* 7. 7. *Deut.*

5. 21. *Rom.* 13. 14., 1. *Cor.* 10. 6., 1. *Petr.* 4. 3., 2. *Petr.* 1. 4.

Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Gal.* 5. 16.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. *Coloss.* 3. 5.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione : ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore. 1. *Thess.* 4. 3.

Juvenilia autem desideria fuge : sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. 2. *Tim.* 2. 22.

Carissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, etc. 1. *Petr.* 2. 11.

Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo : quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ : quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia ejus. *Joan.* 2. 15.

Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis et non habetis : occiditis et zelatis, et non potestis adipisci : litigatis, et belligeratis, et non habetis — Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Jacob.* 4. 1. 2. 3.

CONCUPISCENTIA *mala peccatum operatur.*

Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Gen.* 8. 21.

Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi; perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio : jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris. *Rom.* 7. 18. *usq. ad* 23.

Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. *Jacob.* 1. 13.

CONCUPISCENTIA. — *Carnis concupiscentias efrenare et mortificare jubemur.*

Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. *Gen.* 4. 7.

Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua : adolescentia enim et voluptas vana sunt. *Eccles.* 11. 10.

Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui. *Eccli.* 5. 2.

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. *Ibid.* 9. 5. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. *v.* 8. Propter speciem mulieris multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. *v.* 9.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. *Ibid.* 18. 30.

Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me. *Ibid.* 23. 6.

Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie. *Ibid.* 25. 28.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Matth.* 6. 21.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6. 12. *V. et. c.* 13. 14.

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. *Ibid.* 8. 8. *V. et. v.* 12.

Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Galat.* 5. 16.

Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. *Ephes.* 4. 22. *V.* 1 *Petr.* 4. 3.

Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ibid.* 5. 3.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, etc. *Coloss.* 3. 5.

Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. *Tit.* 2. 12.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, etc. 1. *Petr.* 2. 1.

CONDONANDUM *fratri in nos peccanti.*

Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. *Eccli.* 28. 8.

Ego autem dico vobis : quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *Matth.* 5. 22. *Item v.* 23.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis Pater vester cælestis delicta vestra. *Ibid.* 6. 14.

Dicit illi (Petro) Jesus : Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies. *Matth.* 18. 22.

Sic et Pater meus cælestis faeiet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. *v.* 35.

Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. *Luc.* 17. 3.

Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Ephes.* 4. 32.

CONFESSIO *peccatorum in Scripturis varia et multiplex.*

Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. *Gen.* 4. 13.

Peccavi etiam nunc : Dominus justus : ego et populus meus, impii. *Exod.* 9. 27.

Peccavi — apparet enim, quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis. 1. *Reg.* 26. 21.

Peccavi tradens sanguinem justum. *Matth.* 27. 4.

NB. (Nullus tamen horum hucusque veniam consecutus est, quia non recto corde dixerunt).

Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait : Confiteor peccatum meum. *Gen.* 41. 9.

Postquam emundaverit sanctuarium et tabernaculum et altare, tunc offerat hircum viventem : et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta, atque peccata eorum : quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum. *Levit.* 16. 20.

Donec confiteantur iniquitates suas, et majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, et ambulaverunt ex adverso mihi. *Ibid* 26. 40. *V. Josue* 7. 19.

Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum. *Num.* 5. 6.

(Afflicti filii Israel per ignitos serpentes, venerunt ad Moysen, atque confessi sunt) : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, et te. Ora, ut tollat a nobis serpentes. (Quod etiam factum est). *Ibid.* 21. 7. *V. v.* 7. 8. 9.

Peccavimus : redde tu nobis quidquid tibi placet : tantum nunc libera nos. *Judic.* 10. 15.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris. 2. *Reg.* 12. 13.

Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum : Ego sum, qui peccavi, ego inique egi : isti, qui oves sunt, quid fecerunt? *Ibid.* 24. 17. *Item* 1. *Psal.* 21. 17. *Item* 2. *Esdr.* 9. 6.

(Dixit Nehemias) : Confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi : ego et domus patris mei peccavimus, vanitate seducti sumus, etc. 2. *Esdr.* 1. 6 *V. et Tob.* 3. 3. *Dan.* 3. 29. *et c.* 9. 5.

Et consurrexerunt ad standum : et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. *Ibid.* 9. 3.

Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal.* 31. 5. *V. et. Psal.* 37. 19.

Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. *Psal.* 53. 8.

Non declines, cor meum, in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. *Psal.* 140. 4.

Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato. *Eccli.* 4. 31. *V. v.* 25.

Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est. *Ibid*. 7. 5.

Narra, si quid habes, ut justificeris. *Isa*. 43. 26. *V. Prov*. 16. 3. *et c*. 18. 17.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov*. 28. 13.

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Matth*. 18. 18. *V. c*. 16. 19. *et Joan*. 20 23.

Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. *Marc*. 1. 5. *V. et. Matth*. 3. 6.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus. *Luc*. 15. 18.

(In veteri lege figurabiliter instituebatur ab ipso Deo (Deut. 17.), quando leprosos (per quos mystice intelliguntur peccatores, qui spirituali lepra, id est peccato, infecti et immundi sunt) voluit manifestandos sacerdotibus, ut ipsi judicarent inter lepram et inter non lepram, etc. Id quod Christus duxit observandum, quoniam dixit eis, quos a lepra mundaturus erat, inquiens) :

Ite, ostendite vos sacerdotibus. *Luc*. 17. 14.

Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. *Jacob*. 5. 16. 1. Joan. 1. 9.

Multique credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos. *Act*. 19. 18.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus (Deus), ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1. *Joan*. 1. 9.

CONFESSIO *peccatorum et in novo Testamento confirmatur.*

Amen dico vobis : quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Matth*. 18. 18.

Vade, ostende te sacerdoti. *Ibid*. 8. 4. *V. et Joan*. 20. 22. *Confer Apoc*. 3. 7. *Item Matth*. 16. 18.

Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi : et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua, etc. *Marc*. 1. 5.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc*. 15. 18.

Multique credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos. *Act*. 19. 18.

Et dedit nobis ministerium reconciliationis, etc. 2. *Cor*. 5. 18.

Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem. *Jacob*. 5. 16. *V. et*. 1. *Joan*. 1. 9.

CONFESSIO *peccatorum in oratione.*

Et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, et dixi : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, etc. 1. *Esdr*. 9. 5.

Et separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena : et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. 2. *Esdr*. 9. 2.

Delictum meum cognitum tibi feci : et injustitiam meam non abscondi. *Psal*. 31. 5.

Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis, ac judiciis. *Dan*. 9. 5.

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Luc*. 11. 4. *V. et. Matth*. 6. 12.

Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. *Ibid*. 18. 13.

CONFIDENTIA *in Deum et magnanimitas.*

(Moyses stetit coram Pharaone multoties, et confidenter arguebat eum). *Exod*. 5 *et cap. seq*.

Dominus, qui eripuit me de manu leonis et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistæi hujus (Goliath). 1. *Reg*. 17. 37. Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini — qui dabit te in manu mea etc. *v*. 45.

(Confidenter, licet reverenter, arguit Nathan Propheta David). 2. *Reg*. 12. 1.

(Dixit Elias magnanimiter ad Achab :

Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini. 3. *Reg.* 18. 18. (Et post hæc fecit Prophetas quadringentos occidi). *v.* 40. *V. et.* 4. *Reg.* 1. 15.

(Eliseus in Deum confisus dicit) : Noli timere : plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. 4. *Reg.* 6. 16.

Ezechias locutus est ad cor eorum, dicens : Viriliter agite, et confortamini : nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum et universam multitudinem, quæ est cum eo : multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. 2. *Paral.* 32. 6. Cum illo enim est brachium carneum : nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus hujuscemodi verbis. *v.* 8.

(Miræ animi magnitudinis fuit Judith, quæ inermis ivit ad tentorium Holofernis, et eum ibi occidit). *Judith c.* 10. *et* 13.

In Domino confido. *Psal.* 10. 1.

In te confidit anima mea. *Psal.* 56. 2.

Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. *Psal.* 117. 28.

Qui confidunt in Dominum sicut mons Sion : non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. *Psal.* 124. 1.

Qui confidunt in illo (in Domino), intelligent veritatem : et fideles in dilectione acquiescent illi. *Sap.* 3. 9.

Qui confidit in illo (in Domino), non minorabitur. *Eccli.* 22. 28.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. *Prov.* 3. 5. Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. *v.* 25. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris. *v.* 26.

(Ananias et socii confidenter dixerunt) : Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis. *Dan.* 3. 17.

(Daniel edictum regis Darii non curans, Dominum suo more consueto adoravit), confitebaturque coram Deo suo. *Ibid.* 6. 10.

(Mathathias, et filii ejus magnanimiter rebellarunt, et restiterunt Antiocho). 1. *Mach.* 2. *V. et. c.* 6. 45. *Item* 1. *Mach.* 5. *Mach.* 11.

Facile est concludi multos in manus paucorum : et non est differentia in conspectu Dei cœli, liberare in multis et in paucis. *Ibid.* 3. 18. Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. *v.* 19.

(Machabæus, et qui cum eo erant, videntes auxilium de cœlo sibi missum), convaluerunt animis, et non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare. 2. *Mach.* 11. 9.

Confidite, ego sum : nolite timere. *Marc.* 6. 50.

(Vide ibi magnanimitatem cæci nati, a Domino illuminati, qui confidenter veritatem de Domino fatebatur). *Joan.* 9. *V. et. Act.* 2. 3. 4. 5. *et c.* (quanta fiducia et magnanimitate Apostoli coram populo, ac Pharisæorum et magistratuum collegio prædicaverint).

Confidite, ego vici mundum. *Joan.* 16. 33.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8. 31.

CONFIDENTIA *vana et stulta.*

(Vane et stulte nimium in se confidebant ædificatores turris Babel, quorum linguas merito confudit Dominus). *Gen.* 11. 1.

(Pharao cum suis Ægyptiis in curribus et equis stulte confidentes, dum adversus Dominum persequerentur Hebræos, submersi sunt in mari rubro). *Exod.* 14.

(Nimis armis et viribus confidentem gigantem Goliath occidit David parvulus). 1. *Reg.* 17.

(Vide ibi vanam et stultam Holofernis in potentiam et armis confidentiam, dicentis, non esse Deum, nisi Nabuchodosor, cujus tamen caput amputavit imbecillis fœmina). *Judith* 6. 2. *et c.* 13.

Qui confidunt in virtute sua : et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. *Psal.* 48. 7. Et relinquent alienis divitias suas, et sepulchra eorum, domus illorum in æternum. *v.* 12.

Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. *Jerem.* 17 5.

Qui confidit in divitiis suis, corruet. *Prov.* 11. 18. *V. de hoc effato exemplum. Luc.* 12. 16.

Qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. *Ibid.* 12. 2.

Sapiens timet, et declinat a malo : stultus transilit et confidit. *Ibid.* 14. 16.

Qui confidit in corde suo, stultus est. *Ibid.* 28. 26.

Confundantur confusione qui confidunt in sculptili. *Isa.* 42. 17.

Non est qui invocet justitiam, neque est

qui judicet vere : sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates : conceperunt laborem, et peperunt iniquitatem. *Ibid.* 59. 4.

Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis. *Jerem.* 7. 8.

Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. *Amos.* 6. 1.

(V. exemplum stultæ confidentiæ in bonis operibus in Pharisæo). *Luc.* 18. 10.

CONFITERI *Christum et ejus verbum. V. et* **Erubescere Evangelium.**

Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. *Matth.* 10. 32.

Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. *Luc.* 12. 8.

Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. *Rom.* 10. 9.

CONFIRMATIO. — *Confirmationis modus et fructus.*

Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. *Deut.* 34. 9.

Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. (Et cum cepisset eos in ulnas, impositis manibus super illos), benedicebat eos. *Marc.* 10. 13. *et* 16.

Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. *Matth.* 19. 15. *V. et. Luc.* 18. 15.

Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum : et orantes imposuerunt eis manus. *Act.* 6. 6.

Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. *Ibid.* 8. 17.

Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. *Ibid.* 19. 6.

Manus cito nemini imposueris. 1. *Tim.* 5. 22.

Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 2. *Tim.* 1. 6.

CONFIRMATIO. — *Confirmationis Sacramentum.*

Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. *Act.* 8. 17. *V. Hebr.* 6. 2. *Item* 2. *Cor.* 1. 21. *Item Ephes.* 1. 13.

CONJURATIO *et seditio, ejusque punitio.*

(Ecce Core, Dathan et Abiron seditionem movent, hosque vivos terra absorbet; illos vero cum sociis devorat ignis, sed et alios 14700. murmurantes consumpsit incendium). *Num. c.* 16.

Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen et Aaron : et versi in seditionem dixerunt : Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino, etc. *Ibid.* 20. 2.

Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari, etc. *Judic.* 9. 23.

(Ephratæi adversus Jephte insurgentes, ad vada Jordanis occiduntur, etc.) *Ibid. c.* 12.

(Joab cum fratre Abisai persequens Sebam filium Bochri moventem contra David seditionem in Israel, Amasam in via occidit, tandemque ab obsidione Abelæ, misso Sebæ per murum capite, discedit). 2. *Reg. c.* 20.

Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan et Thares, duo Eunuchi regis, qui janitores erant, et in primo palatii limine præsidebant, volueruntque insurgere in regem, et occidere eum : quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther, et illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat. Quæsitum est et inventum : et appensus est uterque eorum in patibulo. *Esther* 2. 21.

Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens, se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum : qui occisus est : et omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit : et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. *Act.* 5. 36. 37.

Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini (quam ægre tandem sedat Alexander). *Ibid.* 19. 23.

Facta autem die, collegerunt se quidam ex Judæis, et devoverunt se, dicentes :

neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum, etc. *Ibid.* 23. 12.

CONFUSIO *salutaris.*

Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. *Eccli.* 4. 25.

Non modo confundetur Jacob : nec modo vultus ejus erubescet; sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt : et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem. *Isa.* 29. 22. 23. 24.

Quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt; quam ob rem cadent inter ruentes. *Jerem.* 6. 15.

Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, et displicebunt vobis iniquitates vestræ, et scelera vestra. *Ezech.* 36. 31. Confundimini, et erubescite super viis vestris, domus Israel. *v.* 32.

CONFUSIO *pœnalis.*

Erubescite a patre et a matre de fornicatione, et a præsidente, et a potente de mendacio. A principe et a judice de delicto, a synagoga et a plebe de iniquitate, a socio et amico de injustitia, et de loco, in quo habitas, de furto, de veritate Dei, et testamento, etc. *Eccli.* 41. 21. *et seq.*

Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi et reges eorum etc. *Jerem.* 2. 26.

Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra : quoniam Domino Deo nostro peccavimus. *Ibid.* 3. 25.

Confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini. *Ibid.* 12. 13.

Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego. *Ibid.* 17. 18.

CONNUBIUM *materiale. V.* **Matrimonium.**

CONNUBIUM *spirituale inter Deum et animam.*

(De hoc vide totum librum, qui inscribitur Canticum Canticorum).

Non vocaberis ultra Derelicta; et terra tua non vocabitur amplius Desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea; et terra tua Inhabitata : quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitatur. *Isa.* 62. 4. *V. et. Cap.* 50. 1. *c.* 54. 5. *et.* 6.

Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram : fœmina circumdabit virum. *Jerem.* 31. 22.

Multiplicatam quasi germen agri dedi te : et multiplicata es, et grandis effecta, ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem : ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit, et eras nuda, et confusione plena. Et transivi per te, et vidi te : et ecce tempus tuum, tempus amantium : et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi, etc. *Ezech.* 16. 7.

Et sponsabo te mihi in fide, et scies, quia ego Dominus. *Oseæ.* 2. 20.

Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? *Matth.* 9. 15. *Item. Marc.* 2. 19.

Æmulor enim vos Dei æmulatione; despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 2. *Cor.* 11. 2.

Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. *Apoc.* 19. 7.

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, etc. *Ibid.* 21. 2. *V. totum Caput.*

CONSCIENTIA. — *Conscientiæ bonæ tranquillitas.*

(Cur Job inter omnia adversa tam constans fuerit reddit rationem his verbis) : Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. *Job.* 27. 6.

Omnes dies pauperis, mali : secura mens quasi juge convivium. *Prov.* 15. 15.

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia : et nequissima paupertas in ore impii. *Eccli.* 13. 30.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo : abundantius autem ad vos. 2. *Cor.* 1. 12.

Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 1. *Joan.* 3. 21.

CONSCIENTIA. — *Conscientiæ malæ perturbatio.*

(Primi nostri parentes post commissum peccatum, a mala conscientia agitati,

timent, fugiunt, abscondunt se). *Gen.* 3. 8.

(Cain timorem a mala conscientia causatum satis prodit, tum per verba illa) : Omnis, qui invenerit me, occidet me. *Gen.* 4. 14. (tum per hoc, quod semper fuit vagus, et profugus in terra).

(Fratres Joseph, cum essent in angustia, a conscientia peccati in Joseph commissi admoniti, locuti sunt ad invicem) : Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum etc., idcirco venit super nos ista tribulatio. Ex quibus unus Ruben ait : Numquid non dixi vobis : Nolite peccare in puerum, et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. *Ibid.* 42. 21.

(David de se testatur) : Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum : quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me — Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar. *Psal.* 37. 4. 5. 7.

(Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia). Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis : semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. *Sap.* 17. 10.

(Balthassar Rex ad aspectum manus in pariete scribentis, a mala conscientia ita fuit perculsus, ut de eo legatur) : Tunc facies regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum, etc. *Dan.* 5. 6.

(Antiochus Rex de se ipso conqueritur) : Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, etc. (Causam mox addit tantæ angustiæ) : Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem. 1. *Mach.* 6. 10. 12.

(Judas proditor, quia tormentum malæ conscientiæ amplius tolerare non potuit), abiens laqueo se suspendit. *Matth.* 27. 5.

(Vermis conscientiæ non moritur). *Marc.* 9. 45.

CONSECRATIO *Sacerdotum, dierum, altaris, vestium, cæterorumque, quorum est usus in sacris.*

Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, et balteos ac tiaras in gloriam et decorem : vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, et filios ejus cum eo. *Exod.* 28. 40.

Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. *Ibid.* 29. 1. Et oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur. *v.* 7. Cumque tuleris de sanguine, qui est super altare et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes ejus, filios et vestimenta eorum. *v.* 21. Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum. *v.* 29. Omnia, quæ præcepi tibi, facies super Aaron et filiis ejus : septem diebus consecrabis manus eorum. *v.* 35.

Et ait Moyses : Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio et in fratre suo, ut detur vobis benedictio. *Ibid.* 32. 29.

Et assumpto unctionis oleo, unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur : Altare holocausti, et omnia vasa ejus : labrum cum basi sua : omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum. *Ibid.* 40. 9.

Tenebit manibus adipem hostiæ, et pectusculum : cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti. *Levit.* 7. 30.

(Aaronis et filiorum ejus consecratio, ac tabernaculi suppellectilisque ejus unctio declaratur). *Ibid. c.* 8. Obtulit et arietem secundum, in consecratione sacerdotum; posueruntque super caput ejus Aaron et filii ejus manus suas. *v.* 22. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens : Coquite carnes ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas : panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens : Aaron et filii ejus comedent eos. *v.* 31.

Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam, quæ repudiata est a marito : quia consecrati sunt Deo suo, et panes propositionis offerunt. *Ibid.* 21. 7. Pontifex, id est sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, etc. *v.* 10.

Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. *Ibid.* 23. 12.

Omni tempore separationis suæ, novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit crescente cæsarie capitis ejus. *Num.* 6. 5. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus : quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima. *v.* 9.

Factum est autem in die, qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud, unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter, et omnia vasa ejus. etc. *Ibid.* 7. 1. *V. et.* 1. *Paral.* 22. 19.

Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum — qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. 2. *Paral.* 26. 28. *V. insuper loca sequentia : Jos.* 6. 24. *Judic.* 16. 17. *c.* 17. 3., 3. *Reg.* 15. 13., 1. *Paral.* 10. 10. *c.* 18. 11. *c.* 22. 19., *Paral.* 2. 4. *c.* 17. 16. *c.* 23. 9., 1. *Esdr.* 3. 5.

CONSENSUS *communis. V.* **Unitas.**

CONSILIUM *divinum incomprehensibile.*

Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? *Sap.* 9. 11.

Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum : sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. *Prov.* 25. 27.

Quis audivit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? cum quo iniit consilium, et instruxit eum? *Isa.* 40. 13.

Quis enim affuit in consilio Domini? *Jer.* 23. 18.

Fortissime, magne et potens, Dominus exercituum nomen tibi : magnus consilio et incomprehensibili cogitatu. *Ibid.* 32. 19.

Quis cognovit sensum Domini — aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? *Rom.* 11. 34.

Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. 1. *Cor.* 2. 11. Quis cognovit sensum Domini, qui instruat eum? *v.* 16.

CONSILIUM .. *insuperabile.*

Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *Prov.* 21. 30.

Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. *Isa.* 46. 10.

Et nunc itaque dico vobis : discedite ab hominibus istis, et sinite illos : quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur : Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. *Act.* 5. 38.

CONSILIUM... *irreprehensibile.*

Consilium autem Domini in æternum manet. *Psal.* 32. 11.

Terribilis in consiliis super filios hominum. *Psal.* 65. 5.

Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio et angustia : tunc invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent, et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. *Prov.* 1. 27. et *seq.*

CONSILIUM *bonum, et illi non obsequi est periculosum.*

(Angeli qui apparuerunt Lot, dederunt ei bonum consilium, ut exiret de Sodomis, et generos suos secum ducens, nequaquam post tergum respicerent, sed in monte salvos se facerent. Qui Lot dixit quidem generis suis, qui accepturi erunt filias ejus, ut egrederentur. Sed visus est eis quasi ludens loqui. Hinc generi Lot, nolentes exire de medio pravæ gentis, perierunt cum Sodomitis : uxor ejus respiciens, versa est in statuam salis. Ipse autem Lot, qui secundum consilium Angeli noluit statim in montem ascendere, sed in spelunca permansit, cum propriis filiabus peccavit). *Gen. c.* 19.

(Ruben consuluit fratribus suis, ut Joseph redderetur patri suo. Qui non acquieverunt illi : idcirco venit postea super eos tribulatio). *Ibid.* 37. 20. *V. cap.* 42. 22.

Sed audi verba mea atque consilia, et erit Dominus tecum. *Exod.* 18. 19.

State, ut consulam, quid præcipiat Dominus de vobis (de immundis super anima hominis). *Num.* 9. 8.

(Israelitæ aggredientes prælium contra consilium et voluntatem Domini, cæduntur ab hostibus). *Ibid.* 14. 40. *V. et. Judic.* 20. *Item.* 1. *Mach.* 5. *Item* 1. *Mach.* 9.

Gens absque consilio est et sine prudentia : utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent, *Deut.* 22. 28.

Providimus animabus nostris vostro terrore compulsi, et hoc consilium inivimus. *Jos.* 9. 24.

Melius est consilium Chusai Arachitæ, consilio Achitophel. 2. *Reg.* 17. 14.

(Roboam noluit audire consilium senum, sed consilio juvenum acquievit, et ideo magnam populi sui partem amisit). 3. *Reg.* 12. *V. et. Judith* 6. (ubi Ho-

lofernes bonum et fidele consilium Achioris contempsit; sed paulo post fuit occisus).

Quam ob rem, Rex, consilium meum placeat tibi : et peccata tua eleemosynis redime. *Dan.* 4. 24. (dixit Daniel ad regem Nabuchodonosor. Qui autem non acquiescens, mutatus est in bestiam).

Orate, ut firmum faciat Deus consilium meum. *Judith* 8. 31.

In corde meo (Domine) consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione tua permaneat. *Ibid.* 9. 18.

Det tibi (Deus) gratiam, et omne consilium tui cordis sua virtute corroboret. *Ibid.* 10. 8. Conservasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum (hic in bono). *v.* 15.

Pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. *Tob.* 4. 20.

Numquid consilium Dei audisti? (obediendo) *non. Job.* 15. 8.

Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? *Psal.* 12. 2.

Tribuat tibi (Deus) secundum cor tuum : et omne consilium tuum confirmet. *Psal.* 19. 5.

Obliti sunt operum ejus : et non sustinuerunt consilium ejus. *Psal.* 105. 13.

Exacerbaverunt eloquia Dei : et consilium Altissimi irritaverunt. *Ps.* 106. 11.

Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. *Prov.* 1. 25.

Consilium custodiet te. *Ibid.* 2. 11.

Custodi legem (meam) atque consilium (meum), et erit vita animæ tuæ. *Ibid.* 3. 21.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. *Ibid.* 8. 12. Meum est consilium et æquitas. *v.* 14.

Qui autem agunt cum consilio, reguntur sapientia. *Ibid.* 13. 10. Astutus omnia agit cum consilio. *v.* 16.

Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius. *Isa.* 9. 6.

In novissimis diebus intelligetis consilium ejus (quod modo contemnitis). 23. 20.

Si consilium dedero tibi, non me audies (sæpe fit). *Ibid.* 38. 15.

Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est : ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater. 1. *Mach.* 2. 65.

CONSILIUM *bonum, bonus attendit, a quo habeat.*

Audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum, etc. *Exod.* 18. 19.

Consilium semper a sapiente perquire. *Tob.* 4. 19. Omni tempore benedic Deum — et omnia consilia tua in ipso permaneant. *v.* 20.

Et consilium meum justificationes tuæ. *Psal.* 118. 24.

Qui autem sapiens est, audit consilia. *Prov.* 12. 15.

Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri. *Ibid.* 20. 5.

Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. *Eccli.* 6. 6.

Cum fatuis consilium non habeas : non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent. Coram extraneo non facias consilium; nescis enim quid pariet. Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi. *Ibid.* 8. 20.

Et cum sapientibus et prudentibus tracta. *Ibid.* 9. 21.

Non omnem hominem inducas in domum tuam : multæ enim sunt insidiæ dolosi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum, sic et cor superborum : et sicut prospector videns casum proximi sui : bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. *Ibid.* 11. 31. *et seq.*

Scientia sapientis tanquam mundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vitæ permanet. *Ibid.* 21. 16.

Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. *Ibid.* 32. 24.

Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia, etc. *Ibid.* 37. 12. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei, cujus anima est secundum animam tuam. *v.* 15. *et* 16. Cor boni consilii statue tecum. *v.* 17. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. *v.* 18. *et* 19. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum, consilium stabile. *v.* 20.

CONSILIUM *bonum utilitate præcedit.*

Confitebor tibi, Domine, in toto corde

meo, in consilio justorum et congregatione. *Psal.* 110. 1.

Salus autem, ubi multa consilia. *Prov.* 11. 14.

Qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. *Ibid.* 12. 20.

Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium : ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur. *Ibid.* 15. 22.

Cogitationes consiliis roborantur. *Ibid.* 20. 18.

Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri : sed homo sapiens exhauriet illud. *Ibid.* 20. 5.

Unguento, et variis odoribus delectatur cor : et bonis amici consiliis anima dulcoratur. *Ibid.* 27. 9.

Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur : sic et cor confirmatum in cogitatione consilii. *Eccli.* 22. 19.

Quam speciosum canitiei judicium, et presbyteris cognoscere consilium ! *Ibid.* 25. 6.

Aurum et argentum est constitutio pedum et super utrumque consilium beneplacitum. *Ibid.* 40. 25.

CONSILIUM *malum.*

Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. *Num.* 24. 14.

Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? *Ibid.* 32. 7.

Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem — nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. *Deut.* 18. 10. Omnia enim hæc abominatur Dominus. *v.* 12.

(Principes filiorum Ammon male suaserunt regi suo, ut dehonestaret nuntios David). 2. *Reg.* 10.

(Jonadab nepos David malum consilium dedit Amnon, ut defloraret sororem suam : de quo postea multa mala evenerunt). *Ibid. c.* 13.

(Detestandum et turpe consilium dedit Achitophel Salomoni). 2. *Reg.* 16. 21. *V. et.* 1. *Esdr.* 4. *Item Dan.* 6. *Item* 1. *Mach.* 1.

Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant. *Job* 5. 12.

Numquid bonum tibi videtur, si — consilium impiorum adjuves? *Ibid.* 10. 3

Adducit consiliarios (malos) in stultum finem, et judices in stuporem. *Ibid.* 12. 17.

Et præcipitabit eum (impium) consilium suum. *Ibid.* 18. 7.

Consilium impiorum longe sit a me. *Ibid.* 21. 16.

Cui dedisti consilium? forsitan illi qui non habet sapientiam. (nonne præsumptio est)? *Ibid.* 26. 3.

Non est consilium contra Dominum. (Ipse det : se magis contra nos est.) *Prov.* 21. 30.

Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, et a zelantibus te absconde consilium. *Eccli.* 27. 7. A consiliario (malo) serva animam tuam : prius scito, quæ sit illius necessitas. *v.* 9.

Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens, *Isa.* 19. 11.

Non solum qui ea faciunt (digni sunt morte), sed etiam qui consentiunt facientibus (consilium dando). *Rom.* 1. 32.

CONSILIUM *malum dolose machinatur.*

Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum. *Gen.* 50. 19.

Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant. *Job.* 5. 12. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. *v.* 15.

Adducit consiliarios in stultum finem. *Ibid.* 12. 17.

Verumtamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longe sit a me. *Ibid.* 21. 16.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. *Psal.* 1. 1.

Consilium malignantium obsedit me. *Psal.* 21. 17.

Accipere animam meam consiliati sunt. *Psal.* 30. 14.

Dominus dissipat consilia gentium. *Psal.* 32. 10.

Super populum meum malignaverunt consilium. *Psal.* 82. 4.

Consilia impiorum fraudulenta. *Prov.* 12. 5.

Confortamini et vincimini accingite vos et vincimini : inite consilium, et dissipabitur. *Isa.* 8. 9.

CONSILIUM... *misere punitur.*

(Sic Achitophel videns consilium suum

posthaberi, se ipsum laqueo suspendit). 2. *Reg*. 17. 25.

Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. *Prov.* 1. 31.

Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet : et plaga dolosa dolosi dividet vulnera. *Eccli.* 27. 28. Et qui foveam fodit, incidet in eam : et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo : et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. *v*. 29. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet, unde adveniat illi. *v*. 30. Laqueo peribunt, qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos, antequam moriantur. *v*. 32.

Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos, et quis novit nos? *Isa*. 29. 15.

Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me. *Ibid.* 30 1.

CONSILIUM. — *Consilia mala dissipat Deus.*

Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex loco illo in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem (scilicet Babel), etc. *Gen*. 11. 7.

Quibus ille (Joseph) respondit : Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, etc. *Ibid.* 50. 19.

(Bis vocatur Balaam, ut Israelitis malediceret : quem Angelus asina loquente corripit). *Num*. 22.

(Absalom, conciliato sibi populi favore, adversum patrem conjurat in Hebron, quem ipse fugit, paucis cum Arca remissis, et inter alios Chusai remittitur, dissipaturus consilium Achitophelis). 2. *Reg*. 15.

Dixitque Absalom et omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ, consilio Achitophel : Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. *Ibid*. 17. 14.

Factum est autem cum audissent inimici nostri, nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. 2. *Esdr*. 4. 15.

(Esther in convivio regem pro sua et pro populi sui vita precatur, et Aman Judæorum adversarium accusat, quem rex in cruce ab illo parata Mardochæo suspendi jubet). *Esther* 7.

Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. *Job*. 5. 13.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos : et Dominus subsannabit eos. *Psal*. 2. 4.

Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire. *Psal*. 20. 12.

Dominus dissipat consilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. *Psal.* 32. 10.

Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo. *Isa*. 19. 3. *V. et. c.* 7. *v*. 8.

CONSILIUM. — *Consilia Evangelica.*

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Vir, sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare : a vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent. *Num*. 6. 1. 2. 3.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, etc. *Matth*. 16. 24.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, etc. *Ibid*. 19. 21.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, etc. 1. *Cor*. 7. 25. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. *v*. 40.

Væ enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo : si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. *Ibid*. 9. 16.

(De Consiliis Evangelicis in specie, non omnibus communia, sed paucis, nempe maxime de tribus præcipuis, Castitate, Paupertate, et Obedientia, vide Titulis propriis : loca vero præcipua sunt).

(Castitas voluntaria suadetur a Christo): Non omnes capiunt verbum istud, sed

quibus datum est. Sunt enim eunuchi— qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. *Matth.* 19. 11.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. *Cor.* 7. 1. Volo enim, omnes vos esse sicut me ipsum. *v.* 7. Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego, etc. *v.* 8. De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, etc. *v.* 25. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit : et qui non jungit, melius facit. *v.* 38. *Denique de vidua* : Cui vult nubat, tantum, in Domino : beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam. *v.* 39. *et* 40.

(Paupertatem voluntariam non præceptam ad salutem, sed ad perfectionem summam medium esse necessarium, probatur ex hoc dicto Christi : Non volo, non jubeo sed). Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me. *Matth.* 19. 21.

(Obedientia voluntaria ex eodem dicto probatur, ubi Christus dicit : Sequere me. *Ibid.* Sed cætera vide, ut dictum suis locis).

CONSOLATIO *pauperum. V.* **Eleemosyna.**

CONSOLATIO *divina in necessitatibus.*

(Abraham, ad mandatum Domini exeunti de patria, et de terra, cognatione que sua, variis ipse Dominus consolatus est apparitionibus). *Gen. c.* 12. *et* 15. *et* 18.

(Jacob a fratre suo fugienti, et super lapidem dormienti Dominus apparens in scala, magnam consolationem attulit). *Ibid.* 28. 13.

Ecce ego pluam vobis panem de cœlo, (aquam de petra). *Exod.* 16. 4.

Et ait Dominus ad Moysen : Antecede populum. *Ibid.* 17. 5.

Afflixit te penuria, et dedit tibi cibum Manna. *Deut.* 8. 3. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini Dei tui, et ambules in viis ejus, et timeas eum. *v.* 4. 5. *et* 6.

Non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, et esto robustus. *Jos.* 1. 5.

(Præcepit Dominus, ut corvi portarent bis in die panes et carnem Eliæ). 3. *Reg* 17. 6.

(Efficaciter Dominus consolatus est Ezechiam regem per Prophetam Isaiam, et per Angelum, qui 185 000. de exercitu Regis Assyriorum occidit). 4. *Reg.* 19. 6. *V. et. Judith* 10. *et Esther.* 9.

(Exauditæ sunt eodem tempore orationes Saræ et Tobiæ, et missus est Angelus, qui curaret ambos). *Tob.* 3. 25.

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, etc. *Matth.* 14. 15.

Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum. *Ibid.* 15. 32.

CONSOLATIO..... *in persecutionibus consolando et liberando.*

Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione fuerit, liberabitur : et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris : quia post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. *Tob.* 3. 21. *V. Psal.* 125. 5.

Expectemus humiles consolationem ejus. *Judith.* 8. 20.

Mœrentes erigit sospitate. *Job* 5. 11.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. *Psal.* 93. 19.

Consolamini, consolamini, popule meus. *Isa.* 40. 1.

Ego, ego ipse consolabor vos. *Ibid.* 51. 12.

Et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo a dolore suo. *Jerem.* 31. 13. *V. de Susanna Dan.* 13.

Bonus Dominus et confortans in die tribulationis. *Nahum* 1. 7.

Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 1. *Cor.* 10. 13. *V. Dan.* 6. *de Daniele.*

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur

nos in omni tribulatione nostra. 2. *Cor.* 1. 3. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundat consolatio nostra — Scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. *v.* 5 *et* 7.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. *Ibid.* 4. 8.

Foris pugnæ, intus timores : sed qui consolatur humiles, consolatus est nos. *Ibid.* 7. 5. *et* 6.

Noli timere, sed loquere (inquit Dominus per visionem nocte Paulo, cum prædicaret Corinthi), et ne taceas. Propter quod ego sum tecum : et nemo apponetur tibi, ut noceat te. *Act.* 18. 9.

Constans esto (Paule) etc. *Act.* 23. 11. *V. et. Act.* 27.

CONSOLATIO *humana.*

Consolatores onerosi omnes vos estis. *Job.* 16. 2. Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos. *v.* 5.

Dixi ego in corde meo : Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. *Eccles.* 2. 1.

Ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. 2. *Cor.* 1. 4.

Consolamini, pusillanimes. 1. *Thess.* 5. 14.

CONSORTIUM *bonorum et malorum. V. et.* **Societas.**

Fili mi, si te lactaverint peccatores : ne acquiescas eis. *Prov.* 1. 10.

Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. *Ibid.* 3. 31.

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Dei sit tibi gloriatio, et in sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio in præceptis Altissimi. *Ibid.* 9. 22.

Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. *Ibid.* 13. 2.

Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei. *Ibid.* 37. 15.

(Sanctorum vita cæteris vivendi norma est). *Ibid. v.* 18.

Denuntiamus autem vobis, fratres — ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. 2. *Thess.* 3. 6.

Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. 2. *Tim.* 2. 19.

(Justum igitur, et valde justum est separare eum, qui salvari vult, ab eo, qui non vult).

CONSTANTIA *fidelium. V. et* **Perseverantia.**

(Philisthæis contra Israelem ad pugnam congregatis, Goliath gigantem in armis et fortitudine confidentem inermis David occidit, præcisumque caput, diffusis Philisthæis, ad Saulem tulit). 1. *Reg* 17.

Nam cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille (Elias) centum Prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua. 3. *Reg.* 18. 4.

Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. *Sap.* 5. 1.

Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda, et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis : et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt, etc. 1. *Mach.* 1. 65.

Et dixerunt : Non exibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem sabbatorum, etc. *Ibid.* 2. 34. Moriamur omnes in simplicitate nostra, et testes erunt super nos cœlum et terra, quod injuste perditis nos. *v.* 37.

Duæ enim mulieres delatæ sunt natos circumcidisse, quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. 2. *Mach.* 6. 10. Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, et vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. *v.* 18.

(Septem fratrum matrisque eorum ingentia fortissimeque tolerata supplicia, quod porcinis nollent vesci carnibus, et quam constanter regi ob suam crudelitatem ostenderint, paratam esse damnationem, et quomodo mater suos filios sit exhortata). *Ibid. c.* 7.

(Castissimam Susannam impudici presbyteri, cum ejus concubitu frui non possent, falso adulterii accusant; sed cum ad mortem duceretur, orantem exaudivit Deus, et per puerum Danielem proprio ore convictos senes, jure talionis populus interimit). *Dan. c.* 13.

Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum : et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere eam. *Matth.* 14. 3.

(Videntes autem Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur et cognoscebant, quoniam cum Jesu fuerunt). *Act.* 4. 13.

Et vos imitatores nostri facti estis et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti. 1. *Thess.* 1. 6.

CONSTITUTIONES *Superiorum, potestatem constituendi habentium, sunt servandæ ut ipsius Dei. V. et.* **Antiquæ viæ, et Traditiones Ecclesiasticæ.**

Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. *Luc.* 10. 16.

Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Jerosolymis. *Actor.* 16. 4.

Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. 1. *Thess.* 4. 2. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum : qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis. *v.* 8.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas, nisi a Deo ; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Rom.* 13. 1.

Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. *Tit.* 3. 1.

CONSUETUDO *mala.*

(Pharao mala consuetudine induratus, nulla amplius monita, nullas pœnas a Deo immissas curat). *Exod. c.* 7. *et* 8. *et. c.*

(Israelitæ, licet optimo cibo pasti a Deo in deserto, suspirant ad carnes in Ægypto, quia illis erant assueti). *Num* 11. 4. 5.

(Israelitæ, postquam mortuus erat judex), revertebantur, et multo faciebant pejora, quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam, per quam ambulare consueverunt. *Judic.* 2. 19.

(Cives urbis Lais habitabant securi et quieti) absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum. (Quod advertentes viri tribus Dan, eorum urbem occuparunt, omnesque percusserunt). *Ibid.* 18. 7. 27.

CONSULTATIO. — *Consulendus Deus in rebus dubiis, et ejus Vicarii.*

Perrexitque (Rebecca), ut consuleret Dominum. *Gen.* 25. 22.

Audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum. *Exod.* 18. 19.

Miseruntque eum in carcerem, donec nossent, quid juberet Dominus. *Lev.* 24. 12. *V. et. Num.* 15. 34.

State, ut consulam, quid præcipiat Dominus de vobis. *Num.* 9. 8.

Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini. *Ibid.* 27. 4.

Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus : Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, etc. *Deut.* 17. 8. *V. et. Deut.* 1. 17.

Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli? Dixitque Dominus : Judas ascendet : ecce tradidi terram in manus ejus. *Judic.* 1. 1.

Rogaverunt autem eum (sacerdotem), ut consuleret Dominum, ut scire possent, an prospero itinere pergerent, et res habere effectum. Qui respondit eis : Ite in pace : Dominus respicit viam vestram, et iter, quo pergitis. *Ibid.* 18. 5.

Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo, consuluerunt que Deum, atque dixerunt : Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus : Judas sit dux vester. *Ibid.* 20. 18. *V. et. v.* 23. *et. c.* 21. 2.

Et consuluerunt post hæc Dominum, utrumnam venturus esset illuc. 2. *Reg.* 10. 22. *V. et.* 1. *Reg.* 30. 8. *et.* 2. *Reg.* 2. 1. *c.* 5. 19. 22. *c.* 21. 1.

In illo tempore ægrotavit Abia filius Jeroboam. Dixitque Jeroboam uxori suæ : Surge, et commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam; et vade in Silo, ubi est Ahias Propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc. 3. *Reg.* 14. 1.

Venit itaque ad regem, et ait illi rex : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? Cui ille respondit : Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis. *Ibid.* 22. 15. *V. et.* 2. *Paral.* 18. 4. *et.* 5.

Et ait Josaphat : Estne hic Propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de servis regis Israel : Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ. 4. *Reg.* 3. 11.

Et ait rex ad Hazael : Tolle tecum munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens : Si evadere potero de infirmitate mea hac? *Ibid.* 8. 8. Dixitque ei Eliseus. Vade, dic ei : Sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur. 4. *Reg. c.* 10.

Ite, et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est : magna enim ira Domini succensa est contra nos : quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne, quod scriptum est nobis. 4. *Reg.* 22. 13.

Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? 2. *Paral.* 18. 14. *V. et. c.* 33. 18.

Consilium semper a sapiente perquire. *Tob.* 4. 19.

Nam et testimonia tua meditatio mea est : et consilium meum justificationes tuæ. *Psal.* 118. 24.

Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. *Eccli.* 37. 19.

Hæc dicit Dominus Sanctus Israel, plastes ejus : Ventura interrogate me super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi. *Isa.* 45. 11.

Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiæ et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem ad Jeremiam Prophetam, dicens. *Jerem.* 37. 3. Hæc dicit Dominus Deus Israel : Sic dicetis regi Juda, qui misit vos ad me interrogandum : Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in terram suam in Ægyptum. Et redient Chaldæi, et bellabunt contra civitatem hanc : et capient eam, et succendent eam igni. *v.* 6. *V. et. Zachar.* 7. 2.

(Missus Jeremias ad orandum ac consulendum Dominum pro reliquiis Judæorum, respondet, ipsos fore salvos, si in Judæa maneant : si autem in Ægyptum fugiant, dicit, eos omnes gladio, fame, et peste morituros). *Ibid. c.* 42.

Et ait illi Abraham : habent Moysen et Prophetas : audiant illos. *Luc.* 16. 29.

CONSULTATIO. — *Consulendi non sunt magi, divini vel incantatores, et arioli.*

Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini ut polluamini, per eos: ego Dominus Deus vester. *Levit.* 19. 31.

Anima, quæ declinaverit ad magos, et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. *Ibid.* 20. 6.

Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. *Deut.* 18. 9.

At illi responderunt ei (Ochoziæ scilicet nuntii) : Vir occurrit nobis, et dixit ad nos : Ite, et revertimini ad regem, qui misit vos, et dicetis ei : Hæc dicit Dominus. Numquid quia non erat Deus in Israel, mittis, ut consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morieris. 4. *Reg.* 1. 6.

Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, et magi, et malefici, et Chaldæi, ut indicarent regi (Nabuchodonosor) somnia sua. *Dan.* 2. 2. *V. et. c.* 4. 4. *c.* 5. 7.

CONTEMPLATIO *et illustratio mentis.*

Vidit (Jacob) in somnis (contemplationis) scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes

per eam, et Dominum innixum scalæ. *Gen.* 28. 12.

Habitavit enim (Isaac) in terra australi, et egressus fuerat ad meditandum in agro. *Ibid.* 24. 63

Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet. *Deut.* 33. 12.

Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. *Judith* 8. 5. *V. et.* 4. *Reg.* 4. 11.

Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi. (Nota præcedens). *Job.* 4. 16. *V. et.* 3. *Reg.* 19. 12. *Item. Dan.* 2. 17.

Elegit suspendium anima mea. *Ibid.* 7. 15.

Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos — quando secreto Deus erat in tabernaculo meo? *Ibid.* 29. 2. 4. *V. et. Esther* 14. 3.

Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contempletur eum? *Ibid.* 34. 29.

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me. *Psal.* 17. 34.

In meditatione mea exardescet ignis. *Psal.* 38. 4.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. *Psal* 54. 7.

Memor fui Dei, et delectatus sum — et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar. *Psal.* 76. 4. 7.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. *Psal.* 84. 9.

Mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. *Eccles.* 1. 16.

Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. *Cant.* 2. 7.

Ego dormio, et cor meum vigilat *Ibid.* 5. 2.

Cogitare ergo de illa (sapientia increata), sensus est consummatus : et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit. *Sap.* 6. 16.

Intrans in domum meam (cœlestem), conquiescam cum illa. *Ibid.* 8. 16.

A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri. *Ibid.* 13. 5.

Præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. *Eccli.* 32. 15.

Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum. *Ibid.* 34. 6.

Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes. *Isa.* 21. 5. Et contemplatus est diligenter multo intuitu: et clamavit leo, etc. *v.* 7.

Vade, popule meus, intra in cubicula tua, et claude ostia tua super te. *Ibid.* 26. 20.

Qui sunt isti, qui, ut nubes, volant? *Ibid.* 60. 8.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines (gehennæ) : dirige cor tuum in viam rectam (ad cœlum), in qua ambulasti *Jerem.* 31. 21.

Estote, quasi columba nidificans in summo ore foraminis (vulnerum Christi). *Ibid.* 48. 28.

Ingredere, et includere in medio domus tuæ. *Ezech.* 3. 24.

Elevavit me spiritus inter terram et cœlum ; et adduxit me in Jerusalem in visione Dei. *Ibid.* 8. 3.

Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. *Dan.* 10. 16.

Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. *Oseæ* 2. 14.

Contemplare viam (salutis), conforta lumbos, robora virtutem valde. *Nahum.* 2. 1.

Super custodiam meam stabo et figam gradum super munitionem : et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. *Habac.* 2. 1.

Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre, quæ videtis, et non viderunt, et audire, quæ auditis, et non audierunt. *Matth.* 13. 16.

Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. *Ibid.* 14. 23.

Et ducit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. *Ibid.* 17. 1.

Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. *Luc* 10. 41. Maria optimam partem elegit. *v.* 42.

(Miro, et ineffabili modo disciouli Domini fuerunt illustrati in adventu Spiritus Sancti). *Act.* 2.

(Postquam lux de cœlo Saulum circumfulsit, ipse cadens in terram excæcatus fuit. Deinde per triduum jejunans, et orans, excellentes revelationes habuit a Christo). *Ibid. c.* 9. *V.* 2. *Cor.* 12.

Invisibilia enim ipsius (Dei) a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. *Rom.* 1. 20.

Nos vero omnes (utinam)! revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. 2. *Cor.* 3. 18.

Nostra autem conversatio in cœlis est. *Philipp.* 3. 20.

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Hebr.* 12. 14.

(Beato Joanni, sequestrato a tumultu et confusione mundi, dum in insula sua Patmos exularet, varia Dominus facta et futura Ecclesiæ revelavit, ut per totam Apocalypsim patet). *Apoc.* 1.

CONTEMPTUS *Mundi.*

Peregrini enim sumus coram te. 1. *Par.* 39. 15.

Filia Babylonis misera (congregatio malorum). *Psal.* 136. 8.

Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus. *Isa.* 5. 30.

Et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio et tenebræ, dissolutio et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua. *Ibid.* 8. 22.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. *Ibid.* 52. 11.

Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem. *Mich.* 2. 10.

Omnis, qui viderit te, resiliet a te (o Munde). *Nahum.* 3. 7.

In igne zeli ejus devorabitur omnis terra. *Sophon.* 1. 18.

O Sion, fuge (sancta anima), quæ habitas apud filiam Babylonis. *Zach.* 2. 7.

Non potest mundus odisse vos (amantes eum); me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. *Joan.* 7. 7.

Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. *Ibid.* 14. 17.

In mundo pressuram habebitis. *Ibid.* 16. 33.

Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. *Ibid.* 17. 9. Mundus eos odio habuit (et ipsi mundum), quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. *v.* 14. Pater juste, mundus te non cognovit. *v.* 25.

Nolite conformari huic sæculo. *Rom.* 12. 2.

Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam. *Gal.* 1. 4.

Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Ibid.* 6. 14.

Propter quem (Christum) omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. *Philipp.* 3. 8.

Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur — quia amicitia hujus mundi inimica est Dei. *Jacob.* 4. 3.

Nolite diligere mundum, etc. 1. *Joan.* 2. 15.

Mundus totus in maligno positus est. *Ibid.* 5. 19.

Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus. *Apoc.* 18. 4.

CONTENTIO *maligne operatur. V. et.* **Discordia.**

Ego scio contentionem tuam et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum, etc. *Deut.* 31. 27.

Inter superbos semper jurgia sunt. *Prov.* 13. 10. *V. et. c.* 6. 14.

Semper jurgia quærit malus. *Ibid.* 17. 11. *V. et. c.* 18. 6.

Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem. *Ibid.* 29. 9.

Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna. *Eccli.* 8. 4.

Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam. *Ibid.* 21. 5.

Pungens oculum deducit lacrymas : et qui pungit cor, profert sensum. *Ibid.* 22. 24.

Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. *Isa.* 58. 4.

Iis autem, qui sunt ex contentione — ira et indignatio (a Deo præparata). *Rom.* 2. 8.

Ambulemus — non in contentione. *Ibid.* 13. 13.

Cum enim sit inter vos zelus et conten-

tio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? 1. *Cor*. 3. 3.

(Contentio inter opera carnis numeratur, quæ excludit a regno cœlesti). *Galat.* 5. 20.

Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. 1. *Tim.* 2. 14.

Stultas enim quæstiones — et contentiones — devita : sunt enim inutiles et vanæ. *Tit.* 3. 9.

Ubi enim zelus et contentio : ibi inconstantia et omne opus pravum. *Jacob.* 3. 16.

CONTENTIO *digne vitatur.*

Ne quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos (ait Abraham ad Lot) : fratres enim sumus. *Gen.* 13. 8. *V. et. Gen.* 26. 22.

Respondete, obsecro, absque contentione. *Job* 6. 29.

Non contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil male fecerit. *Prov.* 3. 30.

Honor est homini, qui separat se a contentionibus. *Ibid* 20. 3.

Ne contendas cum pessimis. *Ibid.* 24. 19.

Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi. Multos enim perdidit aurum et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. *Eccli.* 8. 2. *et.* 3. Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna. *v.* 4.

Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacculo : eris enim invidus vitæ tuæ. *Ibid.* 18. 33.

Abstine te a lite, et minues peccata. *Ibid.* 28. 10.

Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. *Matth.* 5. 40.

Si quis autem videtur contentiosus esse : nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. *Cor.* 11. 16.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. *Philipp.* 2. 3.

Servum autem Domini non oportet litigare. 1. *Tim.* 2. 24.

CONTRISTARE *Spiritum Sanctum. V Ephes.* 4. 30.

CONTRISTARI *ad pœnitentiam commendatur.* 2. *Corinth.* 7. 9.

CONTRITIO *V.* **Conversio ad Deum, et Pœnitentia.**

CONTRITIO *vera prædicatur.*

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto : Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. *Jerem.* 7. 8.

(Joannes prædicans in deserto Judææ, dixit) : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3. 2.

Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : agite pœnitentiam : appropinquavit enim regnum cœlorum. *Ibid.* 4. 17.

Et venit in omnem regionem Jordanis (Joannes), prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Luc.* 3. 3. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *v.* 8.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. *Ibid.* 13. 3. *V. et. v.* 5.

Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, — et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. *Ibid.* 24. 46.

Petrus vero ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur musquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum : et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* 2. 38.

Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur delicta vestra. *Ibid.* 3. 19.

Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua : et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ibid.* 8. 22.

Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate. *Ibid.* 17. 30.

Testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. *Ibid.* 20. 21.

His, qui sunt Damasci primum et Hierosolymis, et in omnem regionem Judææ et Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. *Ibid.* 26. 20.

CONTRITIO. — *Veræ contritioni promittitur remissio seu venia.*

Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde

quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo : ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua : reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui etc. *Ibid.* 30. 1.

Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth : et præparate corda vestra Domino (ait Samuel ad universum Israel). 1. *Reg.* 7. 3.

Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum : conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis : et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum etc. 2. *Paral.* 7. 17.

Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini : Hæc dicit Dominus Deus Israel : quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Domini super his, quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. *Ibid.* 34. 26.

Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. *Job.* 22. 23.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. *Psal.* 31. 5.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov.* 28. 13.

Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem : et cognosce justitias et judicia Dei, et in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. *Eccli.* 17. 23. 24.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite et arguite me, dicit Dominus : si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. *Isa.* 1. 16.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri : quia Deus judicii Dominus : beati omnes, qui expectant eum. Populus enim Sion habitabit in Jerusalem : plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. *Ibid.* 30. 18.

Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ : quia ego Deus, et non est alius. *Ibid.* 45. 22.

Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum ; quoniam multus est ad ignoscendum. *Ibid.* 55. 7.

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei : *Jerem.* 18. 8.

Audiens audivi Ephraim transmigrantem : castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus ; converte me et convertar : quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ, etc. *Ibid.* 31. 18.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. *Ezech.* 18. 21. Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur. *v.* 27. *V. usque ad finem.*

Si autem dixero impio : Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium, et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit,

nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei : judicium et justitiam fecit, vita vivet. *Ibid.* 33. 14. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam, vivet in eis. *v.* 18.

Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum : quoniam corruisti in iniquitate tua, etc. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis. *Oseæ* 1. 4. 2.

Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. *Joel.* 2. 12.

Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus supra malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. *Jonæ.* 3. 5. *V. Jerem.* 18. 11. *c.* 25. 5. *c.* 35. 15.

Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum, etc. *Zach.* 1. 3. *V.* 4. *Reg.* 17. 13. *Isa.* 21. 12. *Jerem.* 3. 12. *Ezech.* 18. 30. *c.* 20. 7. *c.* 33. 11.

A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis : In quo revertemur? *Malach.* 3. 7.

Surgam, et ibo ad Patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15. 18.

Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra : ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum, etc. *Act.* 3. 19.

Nunc ego mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos per fidem, quæ est in me. *Ibid.* 26. 18.

CONTRITIO *quærenda dum sani sumus.*

Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. *Eccli.* 5. 8.

Non demoreris in errore impiorum : ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et glorificaberis in miserationibus illius. *Ibid.* 17. 26.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. *Ibid.* 18. 25. Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertia. *v.* 27.

CONTRITIO. — *Veræ contritionis exempla.*

Dixeruntque filii Israel ad Dominum : Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet, tantum nunc libera nos. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, et servierunt Domino Deo, qui doluit super miseriis eorum. *Judic.* 10. 15.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. 2. *Reg.* 12. 13. *V. et.* 2. *Reg.* 24. 10. *et. seq.*

Consternatique principes Israel, et rex dixerunt : Justus est Dominus. Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens : Quia humiliati sunt, non dispergam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. 2. *Paral.* 12. 6.

Qui (Manasses) postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, et cognovit Manasses, quia Dominus ipse esset Deus. *Ibid.* 33. 12.

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum, etc *Judith* 4. 8.

(Rursum missus Jonas ad Ninivitas, prædicat civitatis subversionem : illis autem ad Deum conversis et magna pœnitentiæ signa ostendentibus, parcit Dominus civitati). *Jonæ. c.* 3.

Tunc cœpit (Petrus) detestari et jurare,

quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit; et recordatus est Petrus verbi Jesu, etc. Et egressus foras, flevit amare. *Matth.* 26. 74.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset (Jesus) in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. *Luc.* 7. 37. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. *Ideo* remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *v.* 44. *et.* 47.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Ibid.* 15. 18.

Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. *Ibid.* 18. 13.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid.* 19. 8.

Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus, etc. Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso. *Ibid.* 23. 40. 41. 42. 43.

His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum etc. *Act.* 2. 37.

CONTRITIO.— *Falsæ contritionis exempla.*

Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. *Gen.* 4. 13.

Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Orate Dominum, ut auferat ranas a me, et a populo meo : et dimittam populum, ut sacrificet Domino. *Exod.* 8. 8.

Misitque Pharao, et vocavit Moysen et Aaron, dicens ad eos : Peccavi etiam nunc : Dominus justus; ego et populus meus impii. Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei, et grando : et dimittam vos, et nequaquam hic ultra maneatis. *Ibid.* 9. 27.

Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis : Peccavi in Dominum Deum vestrum et in vos; sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. *Ibid.* 10. 16.

Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex. Dixitque Saul ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum : et revertere mecum, ut adorem Dominum : et ait Samuel ad Saul : Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Israel. 1. *Reg.* 15. 23. At ille (Saul) ait : Peccavi : sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. *v.* 30. *V. et.* 2. *Reg.* 24. 17.

Et ait Rex (Jeroboam) ad virum Dei : deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. 3. *Reg.* 13. 6.

Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. *Ibid.* 21. 27.

Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus. *Jerem.* 3. 10.

Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem (ait Antiochus), unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea, quæ erant in ea, et misi auferre habitantes Judæam sine causa. 1. *Mach.* 6. 12.

Hic igitur (Antiochus) cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus : et cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait : Justum est

subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. 2. *Mach.* 9. 11.

Peccavi (ait Judas), tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit. *Matth.* 27. 4.

Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua : et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis, video te esse. *Act.* 8. 22.

Scitote enim, quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem (Esau), reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. *Hebr.* 12. 17. *V. et Gen.* 27. 38.

CONTROVERSIARUM *Judex. V.* **Judex.**

CONTUMELIA. — *Contumeliæ perversitas.*

Grandem enim contumeliam sustinuerant (servi David). 1. *Paral.* 19. 5.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia. *Prov.* 11. 2.

Omnes autem stulti miscentur contumeliis. *Ibid.* 20. 3.

Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. *Ibid.* 22. 10.

Improperium enim et contumeliam malus hæreditabit. *Eccli.* 6. 1.

Regnum a gente in gentem transfertur propter — injurias et contumelias. *Ibid.* 10. 8.

Est correptio mendax in ira contumeliosi. *Ibid.* 19. 28.

Stultitia hominis auscultare per ostium : et prudens gravabitur contumelia. *Ibid.* 21. 27. *V. et. c.* 8. 14.

Ante ignem camini vapor, et fumus ignis inaltatur : sic et ante sanguinem maledicta, et contumeliæ, et minæ. *Ibid.* 22. 30.

Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. *Ibid.* 23. 20.

Mulier ebriosa, ira magna : et contumelia et turpitudo illius non tegetur. *Ibid.* 26. 11.

(Contumeliosi Deo odibiles). *Rom.* 1. 30.

CONTUMELIA. — *Contumeliæ periculositas.*

Qui profert contumeliam, insipiens est. 10. 18.

Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito : ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. *Ibid.* 25. 8.

Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. *Eccli.* 8. 14.

CONVERSATIO.

Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris : et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. *Psal.* 17. 26.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur. *Prov.* 13. 20.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam. *Eccli.* 13. 1.

Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua. *Matth.* 13. 57.

Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 1. *Cor.* 5. 6.

Nostra autem conversatio in cœlis est. *Philipp.* 3. 20.

Qui sapiens — inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam etc. *Jacob.* 3. 13.

CONVERSIO *ad Deum. V. et.* **Contritio.**

In toto corde et in tota anima vestra Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete. *Deut.* 13. 3.

Et nunc venistis ad me necessitate compulsi. *Judic.* 11. 7.

Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri. 1. *Reg.* 7. 3.

Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. *Job.* 22. 23.

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum. *Psal.* 7. 13.

Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. *Psal.* 79. 4. *V. et.* 8. *et.* 20.

Et revertentur (Ægyptii) ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos. *Isa.* 19 22.

Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. *Ezech.* 33. 12.

Venite, et revertamur ad Dominum : quoniam ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos. *Oseæ* 6. 1. 2.

Et convertam eos, quia miserebor

eorum : et erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos. *Zach.* 10. 6.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* 4. 16.

Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda. *Ibid.* 10. 22.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. *Jacob.* 5. 20.

Eratis enim sicut oves errantes : sed conversi estis nunc ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum. 1. *Petr.* 2. 25.

Dominus — patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3. 9.

Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima (a peccato) : in his secunda mors non habet potestatem. *Apoc.* 20. 6.

CONVERSIO *fit per inspirationem.*

Deus virtutum, converte nos. *Psal.* 79. 8. *V. et. v.* 4. *et.* 20.

Revertere ad me, quoniam redemi te. *Isa.* 44. 22.

Converte me et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam. *Jerem.* 31. 18.

Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. *Thren.* 5. 21.

Convertimini ad me, ait Dominus exercituum : et convertar ad vos. *Zach.* 1. 3. Convertimini de viis vestris malis. *v.* 4.

Revertimini ad me, et revertar ad vos. *Malach.* 3. 7.

Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. *Joan.* 6. 37. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. *v.* 44. Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. *v.* 45.

Ego sum via, et veritas, et vita : nemo venit ad Patrem nisi per me. *Ibid.* 14. 6.

Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. *Ephes.* 2. 18.

Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. *Jacob.* 4. 8.

CONVERSIO *fit per tribulationem.*

Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. *Psal.* 82. 17.

Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Isa.* 26. 16.

Vulgo dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam: et recedens ab eo duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta erit et contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis. *Jerem.* 3. 1.

Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum : quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, convertimini ad Dominum, et dicite ei :Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum. *Oseæ* 14. 2.

Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. *Luc.* 15. 14. In se autem reversus dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum. *v.* 17.

CONVERSIO *sit ex corde et cum effectu.*

Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri — et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli. 1. *Reg.* 7. 3.

Revertimini a viis vestris pessimis. 4. *Reg.* 17. 13.

Convertantur mihi timentes te. *Psal.* 118. 79.

Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua. *Eccli.* 17. 21. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem, et cognosce justitias et judicia Dei. *v.* 23.

In veritate — reliquiæ convertentur. *Isa.* 10. 21.

Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. *Ibid.* 31. 6.

Si reverteris, Israel, ait Dominus, ad me convertere : Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. *Jerem.* 4. 1.

Revertentur ad me in toto corde suo. *Ibid.* 24. 7.

Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. *Thren.* 3. 39.

Convertimini et recedite ab idolis vestris, et ab universis contaminationibus vestris. *Ezech.* 14. 6.

Et tu ad Deum tuum converteris : misericordiam et justitiam custodi, et spera in Deo tuo semper. *Oseæ* 12. 6.

Nunc ergo, dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joel.* 2. 12.

CONVERSIO. — *Conversionis fructus in occasione mali.*

Convertimini itaque, peccatores, et facite justitiam coram Domino, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. *Tob.* 13. 8.

Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se! *Eccli.* 17. 28.

Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum : quoniam multus est ad ignoscendum. *Isa.* 55. 7.

Si converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis : si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Jerem.* 15. 19.

Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala : et pœniteat me mali, quod cogitavi facere eis propter malitiam studiorum eorum. *Ibid.* 26. 3.

Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum : et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus : revertimini et vivite. *Ezech.* 18. 30.

Vivo ego, dicit Dominus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis : et quare moriemini, domus Israel? — Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit : et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. *Ibid.* 33. 11.

CONVERSIO. — *Conversionis fructus in consecutione boni.*

Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos. Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi. Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam. Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes. Decernes rem, et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen. *Job* 22. 23. *et seq.*

Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua. Precare ante faciem Domini, et minue offendicula. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua. *Eccli.* 17. 21.

Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis : in silentio et in spe erit fortitudo vestra. *Isa.* 30. 15.

Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ. *Ibid.* 45. 22.

Inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. *Ibid.* 55. 3.

Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te : tu enim es Dominus Deus noster. *Jerem.* 3. 22. *V. v.* 14.

Revertimini unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris, et habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis et patribus vestris a sæculo et usque in sæculum. *Ibid.* 25. 5.

CONVERSIO. — *Tempus conversionis.*

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. *Job.* 10. 20.

Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo. *Eccles.* 8. 3.

Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis. *Ibid.* 12. 1.

Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. *Eccli.* 5. 8.

Convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? *Jonæ* 3. 8.

Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra. *Act.* 3. 19.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* 4. 16.

CONVERSIO *per ingressum Religionis.*

Fiat firmamentum in medio aquarum. *Genes.* 1. 6.

(Universæ aves) ingressæ sunt ad Noe in arcam. *Ibid.* 7. 15.

Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi. *Ibid.* 12. 1.

Surgite, et egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc : et visus eis quasi ludens loqui. *Ibid.* 19. 14. Nec stes in omni circa regionem, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. *v.* 17. Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte. *v.* 30.

Vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montem, quem monstravero tibi. *Ibid.* 22. 2.

(Servi cum asino in valle remanent, sed filius ascendit). *Ibid. v.* 5.

Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt : unde usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit. *Ibid. v.* 14.

Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. *Ibid.* 25. 27.

Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. *Ibid.* 28. 16. Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli *v.* 17.

Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meæ. *Ibid.* 30. 30.

Castra Dei sunt hæc. *Ibid.* 32. 2. Apud Laban (mundum) peregrinatus sum, et fui usque in præsentem diem — mitto nunc legationem ad Dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo. *v.* 4. *et* 5.

Surge (Jacob), et ascende Bethel, et habita ibi. *Ibid.* 35. 1. Mundamini, et mutate vestimenta vestra. Surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. *v.* 2. *et* 3.

Eductum de carcere Joseph, totonderunt, et veste mutata, obtulerunt ei (Pharaoni). (Christo). *Ibid.* 41. 14.

Eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos. *Exod.* 29. 49.

Vetera, novis supervenientibus, projicietis. *Levit.* 26. 10.

Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis : veni nobiscum, ut benefaciamus tibi : quia Dominus bona promisit Israeli. *Num.* 10. 29. Cumque nobiscum veneris, quod optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. *v.* 32.

Ascende in montem istum Abarim (id est transitum). *Ibid.* 27. 12. Cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron. *v.* 13.

Lætare, Zabulon, in exitu tuo (de mundo), et Issachar, in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent. *Deut.* 33. 18.

Et habitavit in locis tutissimis Engaddi. 1. *Reg.* 24. 1. Morabatur autem David in deserto, in locis firmissimis. *v.* 14.

(Ait David Berzellai) : Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. 2. *Reg.* 19. 33.

Ædifica tibi domum in Jerusalem, et habita ibi : et non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum : sanguis tuus erit super caput tuum. 3. *Reg.* 2. 36.

Dominus misit me usque in Bethel. 4. *Reg.* 2. 2.

Congrega nos, et erue de gentibus. 1. *Par.* 16. 35.

Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Deum vestrum. 1. *Esdr.* 4. 2.

Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. *Job* 2. 4.

Obliviscere populum tuum, et domum patris tui. *Psal.* 44. 11.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei. *Psal.* 83. 11.

Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. *Psal.* 132. 1.

Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas. *Sap.* 11. 2.

Religiositas custodiet, et justificabit cor : jucunditatem atque gaudium dabit. *Eccli.* 1. 18.

Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. *Isa.* 2. 3. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit. *Ibid.* 11. 6.

Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ. *Ibid.* 41. 19.

Et ponet desertum ejus (Sion) quasi

delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini : gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. *Ibid.* 51. 3.

Quare sedemus? convenite et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi : quia Dominus Deus noster silere nos fecit. *Jerem.* 8. 14.

Venite, et ingrediamur Jerusalem a facie exercitus Chaldæorum. *Ibid.* 35. 11. Fugite, salvate animas vestras : et eritis quasi myricæ in deserto. *Ibid.* 48. 6.

Fugite de medio Babylonis, ut salvet unusquisque animam suam. *Ibid.* 51. 6.

In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis. *Ezech.* 20. 41.

Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et (ibi) loquar ad cor ejus. *Oseæ.* 2. 14.

Ex Ægypto vocavi filium meum. *Ibid.* 11. 1. Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum. *v.* 11.

Quia in monte Sion, et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis, quos Dominus vocaverit. *Joel.* 2. 32.

Ibimus vobiscum : audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est. *Zach.* 8. 23.

Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. 1. *Mach.* 2. 27. Et fugit ipse (Mathathias) et filii ejus in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. *v.* 28. Omnis voluntarius in lege : et omnes qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, et facti sunt illis ad firmamentum. *v.* 43. Filii, æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum. *v.* 50.

Secesserat (Judas) in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat : et fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis. 2. *Mach.* 5. 27.

Non veni pacem mittere (in terram), sed gladium : veni enim separare hominem adversus patrem suum. *Matth.* 10. 34.

Tollite jugum meum super vos — Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Ibid.* 11. 29.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum. *Ibid.* 13. 44.

Vade post me, Satana (qui impedis) : scandalum es mihi : quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. *Ibid.* 16. 23. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. *v.* 24.

Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matth.* 18. 20.

Sinite parvulos, et nolite eos prohibere (quanto magis adultos)? ad me venire. *Ibid* 19. 14. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus — et veni, sequere me. *v.* 21. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. *v.* 28. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *v.* 29. (Marcus addit, nunc in tempore hoc, *Marc.* 10. 30.).

Abiit (Jesus) foras extra civitatem in Bethaniam (domum obedientiæ), ibique mansit. *Ibid.* 21. 17.

Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. *Marc.* 6. 31.

Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis (obedientis : hæc est religio, ubi Dominus est). *Luc.* 5. 3. Relictis omnibus, secuti sunt eum. *v.* 11. (Dixit Levi) : Sequere me : Et relictis omnibus, surgens, secutus est eum (sic et tu). *v.* 27. *et* 28.

(Assumptis discipulis), secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ (domus frugum). *Ibid.* 9. 10.

Quid quæritis? viventem cum mortuis? (peccatoribus). *Ibid.* 24. 5.

Et audierunt eum (Joannem) duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum (ecce quam facile). *Joan.* 1. 37.

Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus — Quid ad te? tu me sequere. *Ibid.* 21. 21.

Fide Moyses grandis factus, negavit, se esse filium filiæ Phaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem — aspiciebat enim in remunerationem. *Hebr.* 11. 24.

Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes — Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Ibid.* 13. 13. *et* 14.

Surge, et ingredere civitatem, et ibi

dicetur tibi, quid te oporteat facere. *Act.* 9. 7.

CONVICIA *V.* **Derisio.**

CONVIVIA. *V. et.* **Cibus et potus.**

(Abraham fecit convivium Angelis). *Gen.* 19. 3. *V. et. c.* 21. 8. *c.* 26. 30. *c.* 29. 22. *c.* 40. 20. *Judic.* 14. 10. *c.* 16. 25. *c.* 19. 21. 1. *Reg.* 25. 36. 2. *Reg.* 13. 27. 3 *Reg* 3. 15. *Esther.* 1. 3.

Filius noster ipse — comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis. *Deut.* 21. 20.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. *Eccles.* 7. 3.

Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio. *Prov.* 15. 17.

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur, et vestietur pannis dormitatio. *Ibid.* 23. 20.

Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam. *Eccli.* 37. 32. In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram. *v.* 33.

(Super mensam) ne extendas manum tuam prior, et invidia contaminatus, erubescas. *Ibid.* 31. 16. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. *v.* 21. Et si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome : et refrigerabit te, et non adduces corpori tuo infirmitatem. *v.* 25. In convivio vini non arguas proximum : et non despicias eum in jucunditate illius. *v.* 41.

Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus : alit enim animam suam cibis alienis. *Ibid.* 40. 30.

COOPERARI *gratiæ Dei. V.* **Liberum Arbitrium, et Gratia Dei.**

COR, *seu voluntas hominis, a Deo pro facto reputatur. V. et.* **Voluntas.**

Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit dicens : Abraham, Abraham. Qui respondit : Adsum : dixitque ei : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Gen.* 22. 11.

Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me. *Matth.* 15. 8.

Et convocans discipulos suos, ait illis : Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt : hæc vero de penuria sua omnia, quæ habuit, misit totum victum suum. *Marc.* 12. 43.

Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. 2. *Cor.* 8. 12. *V. Luc.* 21. 2.

COR *mundatur et sanctificatur per Christum.*

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. *Psal.* 50. 4.

Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. *Joan.* 13. 10.

Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me, et ego in vobis. *Ibid.* 15. 3.

Et pro eis ego sanctifico me ipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. *Joan.* 17. 19.

Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. *Act.* 15. 8.

Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11.

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? *Hebr.* 9. 13.

Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce : societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan.* 1. 7.

COR *et voluntas nostra conformanda voluntati divinæ. V.* **Abnegatio.**

Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri : Deus au-

tem faciet quod bonum est in conspectu suo. 2. *Reg.* 10. 12.

Si autem dixerit mihi : Non places; præsto sum, faciat, quod bonum est coram se. *Ibid.* 15. 26.

Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. *Mach.* 3. 60.

Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. *Matth.* 6. 10.

Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Ibid.* 26. 39.

Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. *Act.* 21. 14.

Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit : et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. 1. *Cor.* 4. 19.

Quæ est enim vita nostra ? Vapor est, ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit; et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. *Jacob.* 4. 15.

COR *bonum ordinetur bene erga Deum.*

Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram : neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. *Job* 27. 6.

Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde. *Psal.* 7. 11.

Probasti cor meum, et visitasti nocte. *Psal.* 16. 3.

Paratum cor meum, Deus. *Psal.* 56. 8.

Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde! *Psal.* 72. 1.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Psal.* 107. 2.

Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud. *Prov.* 21. 1. Appendit autem corda Dominus. *v.* 2.

Præbe, fili mi, cor tuum mihi. *Ibid.* 23. 26.

Ne accesseris ad illum duplici corde. *Eccli.* 1. 36.

Qui timent Dominum, præparabunt corda sua. *Ibid.* 2. 20.

Sapiens cor, et intelligibile, abstinebit se a peccatis. *Ibid* 3. 32.

Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus : et bene sit eis, et filiis eorum post eos. *Jerem* 32. 39.

Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum : ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea : et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. *Ezech.* 11. 19.

Et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri : et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. *Ibid.* 36. 26.

Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei et patientia Christi. 2. *Thess.* 3. 5.

COR *bonum... erga seipsum.*

Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. *Prov.* 4. 23.

Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. *Ibid.* 16. 9.

Sicut igne probatur argentum et aurum camino : ita corda probat Dominus. *Ibid.* 17. 3.

Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius. *Eccles.* 10. 2.

Lava a malitia cor tuum. *Jerem.* 4. 14.

COR *bonum... erga proximum.*

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ inhonorationem : et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ elidat te : quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia. *Eccli.* 1. 37.

Cor sapientis intelligitur in sapientia. *Ibid.* 3. 31.

Divitis autem et pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris. *Ibid.* 26. 4.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. *Luc.* 6. 45.

COR *malum deordinatur prave erga Deum.*

Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro : ut vadat et serviat diis illarum gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. *Deut.* 20. 18.

Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt, unde et corda filiorum hominum

implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur. *Eccles*. 9. 3.

Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo : et ideo non protegentur ab eo. *Eccli*. 2. 15.

Cor nequam gravabitur in doloribus. *Ibid*. 3. 29.

Pravum est cor omnium et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes. *Jerem*. 17. 9.

COR *malum..... erga se ipsum.*

Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata? *Prov*. 26. 23.

Et factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor. *Oseæ* 7. 11.

Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. *Jacob*. 1. 8.

COR *malum... erga proximum.*

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. *Prov*. 25. 20.

Cor iniqui inquirit mala : cor autem rectum inquirit scientiam. *Ibid*. 27. 21.

Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis. *Eccli*. 2. 14.

Cor pravum dabit tristitiam, et homo peritus resistet illi. *Ibid*. 36. 22.

Malus homo de malo thesauro profert malum. *Luc*. 6. 45.

COR *malum flagellatur dure.*

Abominabile Domino cor pravum. *Prov*. 11. 20.

Qui perversi cordis est, non inveniet bonum. *Ibid*. 17, 20.

Qui vero mentis est duræ, corruet in malum. *Ibid*. 28. 24.

Cor durum habebit male in novissimo. *Eccli*. 3. 27. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. *v*. 28.

Quorum cor post offendicula et abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus. *Ezech*. 11. 21.

Divisum est cor eorum, nunc interibunt. *Oseæ* 10. 2.

COR. — *Cordis duritia. V.* **Obstinatio.**

CORONA *vitæ.*

Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas. 4. *Esdr*. 2. 43. *V. et. v*. 44. 45. 46. 47.

Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. *Sap*. 5. 17.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ; non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim*. 4. 8.

Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jacob*. 1. 12.

Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. 1. *Petr*. 5. 4.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc*. 2. 10.

CORPUS *mysticum, quomodo ordinatur ad Christum.*

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra. *Rom*.12. 4.

Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. *Rom*. 14. 7.

Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. 1. *Cor*. 12. 12.

Et ipsum (Christum) dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. *Ephes*. 1. 22.

CORPUS *mysticum... ad se ipsum.*

Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes : Quoniam non sum manus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore? 1. *Cor*. 12. 14. Non potest autem oculus dicere manui : Opera tua non indigeo : aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii ; sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt. *v*. 21. Sed Deus temperavit corpus ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra : et si quid patitur unum membrum,

compatiuntur omnia membra, etc. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. *v.* 24. *usque ad* 28.

Unum corpus et unus spiritus. *Ephes.* 4. 4. Et ipse dedit quosdam quidam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. *v.* 11.

CORRECTIO *fraterna, V. et.* **Impiorum punitio.**

Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. *Gen.* 19. 7.

Et increpavit (Abraham) Abimelech, propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi ejus. *Ibid.* 21. 25.

(Ruben et Judas temperaverunt furorem fratrum, ne occiderent Joseph). *Gen.* 37. 21.

(Moyses caritative corripuit Ægyptium) : Quare percutis proximum tuum? *Exod.* 2. 13.

Quid est hoc, quod facies in plebe? cur solus sedes? etc. *Ibid.* 18. 14. Non bonam, inquit, rem facis : stulto labore consumeris, etc. *v.* 17.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Levit.* 19. 17.

(Phinees filius Eleazari et cæteri nuntii fratres suos, qui ædificaverant altare in scandalum filiorum Israel, discrete arguerunt, et satisfactionem libentissime susceperunt). *Josue* 22. 16.

Cur tantum nefas in vobis repertum est? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt. *Judic.* 20. 12.

Ne pecces, rex, in servum tuum David. 1. *Reg.* 19. 4. *V. et. v.* 5. *et* 6.

(Volens Abigaïl arguere virum suum super duritia, quam ostenderat nuntiis David, noluit statim dicere post prandium, sed exspectavit tempus opportunum, cum prius vinum digessisset in crastinum). *Ibid.* 25. 36.

(Audiens Judith propositum civium suorum, reprehendit eos sermonibus caritativis). *Judith* 8. 12.

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Psal.* 140. 5.

Via vitæ custodienti disciplinam : qui autem increpationes relinquit, errat. *Prov.* 10. 17. *V. Ibid. c.* 12. 1. *c.* 6. 23.

Qui autem odit increpationes, insipiens est. *Ibid.* 12. 1.

Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. *Ibid.* 15. 31.

Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. *Ibid.* 17. 10.

Qui arguunt eum (impium), laudabuntur : et super ipsos veniet benedictio. *Ibid.* 24. 25.

Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem. *Ibid.* 25. 12.

Melior est manifesta correctio, quam amor absconditus. *Ibid.* 27. 5.

Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. *Ibid.* 28. 23.

Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur. *Ibid.* 29. 1.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. *Eccles.* 7. 6.

Quam bonum est arguere, quam irasci! *Eccli.* 20. 1.

Corripe amicum; sæpe enim fit commissio. *Ibid.* 19. 15. *V. et. v.* 13.

Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris : et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. *Ibid.* 21. 7.

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, etc. *Matth.* 18. 15.

Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœninettiam egerit, dimitte illi. *Luc.* 17. 3.

Respondens autem alter (latro), increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit. *Luc.* 23. 40. *V. et Joan. c.* 9. *per totum de cæco nato.*

Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. *Gal.* 2. 11.

Peccantes coram omnibus argue : ut et

cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 5. 20.

Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, etc. 2. *Tim.* 2. 25.

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum : scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. *Jacob.* 5. 19.

(Veram et certam dedit Dominus regulam Petro de correctione facienda, dicens) :

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. *Matth.* 18. 15. *V. et. Luc.* 17. 3.

CORRECTIO *bona requirit bonam intentionem.*

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Levit.* 19. 17.

Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci : aut si fecerit, ne iterum addat facere. *Eccli.* 19. 13. Corripe proximum, ne forte non dixerit : et si dixerit, ne forte iteret. Corrige amicum : sæpe enim fit commissio. *v.* 14. *et* 15.

Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. 1. *Cor.* 4. 14.

Peccantes coram omnibus argue, et ut cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 5. 20.

CORRECTIO *bona... et debitam executionem.*

(Abigail virum suum Nabal in convivio non arguit, sed post). 1. *Reg.* 25. 36.

Melior est ira risu : quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. *Ecles.* 7. 4.

Probata autem virtus corripit insipientes. *Sap.* 1. 3.

Non incendas carbones peccatorum arguens eos, et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. *Eccli.* 8. 13.

Priusquam interroges, ne vituperes quemquam : et cum interrogaveris, corrige juste. *Ibid.* 11. 7.

Corrige proximum, antequam commineris. *Ibid.* 19. 17.

Quam bonum est arguere, quam irasci, et confitentem in oratione non prohibere ! *Ibid.* 20. 1.

In convivio vini non arguas proximum. *Ibid.* 31. 41.

Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. *Galat.* 6. 1.

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 1. *Thes.* 5. 14.

Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem : juvenes ut fratres : anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate. 1. *Tim.* 5. 1.

Servum autem Domini non oportet litigare : sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. 2. *Tim.* 2. 24.

Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina. *Ibid.* 4. 2.

CORRECTIO *bona... et gratiæ susceptionem, quoad correctum.*

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me. *Psal.* 140. 5.

Convertimini ad correptionem meam. *Prov.* 1. 23.

Plus proficit correctio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. *Ibid.* 17. 10.

Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est, corrigit viam suam, *Ibid.* 21. 29.

Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem. *Ibid.* 25. 12.

Vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur. *Eccli.* 10. 28.

Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugies voluntarium peccatum. *Ibid.* 20. 4.

CORRECTIO *bona... et acquirit magnam remunerationem corrigenti.*

Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est : nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. *Levit.* 5. 1.

Argue sapientem et diliget te. *Prov.* 9. 8.

Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur : et super ipsos veniet benedictio. *Ibid.* 24. 24.

Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. *Ibid.* 28 23.

CORRECTIO *est bona.*

Qui autem custodit increpationes, astutior fiet. *Prov.* 15. 5. Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. *v.* 31. Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam : qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. *v.* 32.

Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. *Ibid.* 27. 5.

Virga atque correptio tribuit sapientiam. *Ibid.* 29. 15.

Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. *Eccles.* 7. 7.

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *Matth.* 18. 15.

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum : scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte. et operiet multitudinem peccatorum. *Jacob.* 5. 19.

CORRECTIO. — *Corrigens alterum debet esse irreprehensibilis.*

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? etc. *Matth.* 7. 3. *V. et. Joan.* 8. 7.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, etc. 1. *Tim.* 3. 2.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile : ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Tit.* 2. 6. 7.

CORRECTIO *mala ex parte corripientis.*

Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. *Job.* 6. 26.

In ore stulti virga superbiæ : labia autem sapientium custodiunt eos. *Prov.* 14. 3.

Est correptio mendax in ira contumeliosi. *Eccli.* 19. 28.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo : Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita! ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. *Matth.* 7. 3. *Item. Luc.* 6. 41.

Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. *Joan.* 8. 7.

CORRECTIO *mala ex parte contemnentis.*

(Agar ancilla Saræ non ferens correptionem dominæ suæ, quæ ejus superbiam redarguebat, fugit e domo, sed jussa est ab Angelo, ut rediret ad dominam suam, et se humiliaret sub manu ejus). *Gen. c.* 16.

Ingressus es — ut advena, numquid ut judices? *Ibid*, 19. 9.

Quis te constituit principem et judicem super nos? *Exod.* 2. 14.

Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi : ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies, propter peccata vestra. Inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. *Levit.* 26. 23.

(Michæas Propheta, qui non est locutus ad gratiam principum, a Sedecia in maxillam percutitur, et a Rege Israel justus est in carcerem mitti). 3. *Reg.* 22. 24. *V. et* 2. *Par.* 16. 7. *Jer.* 32. 2. *Dan. c.* 14.

(Sara filia Raguelis unam de ancillis suis juste increpat propter culpam : et illa nimis injuriose respondet) : Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. *Tob.* 3. 7.

Cor eorum longe fecisti a disciplina : propterea non exaltabuntur. *Job.* 17. 4.

Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te. *Prov.* 9. 7. *et.* 8.

Via vitæ custodienti disciplinam, qui autem increpationes relinquit, errat. *Ibid.* 10. 17.

Qui diligit disciplinam, diligit scientiam : qui autem odit increpationes, insipiens est. *Ibid.* 12. 1.

Filius sapiens, doctrina patris : qui autem illusor est, non audit, cum arguitur. *Ibid.* 13. 1.

Qui increpationes odit, morietur. *Ibid.* 15. 10. Non amat pestilens eum qui se corripit. *v.* 12.

Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non aufe-

retur ab eo stultitia ejus. *Ibid.* 27. 22.

Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus : et eum sanitas non sequetur. *Ibid.* 29. 1.

Perversi difficile corriguntur. *Eccles.* 1. 15.

Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. *Ibid.* 7. 14.

Vir prudens et disciplinatus, non murmurabit correptus. *Eccli.* 10. 28.

Qui odit correptionem, minuetur vita. *Ibid.* 19. 6.

Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. *Ibid.* 21. 7.

Peccator homo vitabit correptionem, et secundum voluntatem suam inveniet comparationem. *Ibid.* 32. 21.

Arguentem in porta supplantabant, declinaverunt fustra a justo. *Isa.* 29. 21.

Odio habuerunt corripientem in porta. *Amos.* 5. 10.

(Joannes Baptista dicebat Herodi : Non licet tibi uxorem fratris habere ; sed ægre ferens Herodes, Joannem in vincula conjectum interfecit). *Matth. c.* 14. *V. et. Joan.* 9. *de cæco nato. Item Act.* 7. *de Stephano.*

Herodes autem Tetrarcha, cum corriperetur ab illo (Joanne) de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis, quæ fecit Herodes : adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere. *Luc.* 3. 19. *V. et. Marc.* 6. 17.

Non potest mundus odisse vos : me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. *Joan.* 7. 7.

Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? *Galat.* 4. 16.

CORRECTIO *filiorum.*

Suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus : incipiam et complebo : Prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem : eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. 1. *Reg.* 3. 12.

Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens : Ego regnabo — Nec corripuit eum pater suus aliquando. 3. *Reg.* 1. *v.* 5. *et.* 6.

Audite, filii, disciplinam patris. *Prov.* 4. 1.

Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum instanter erudit. *Prov.* 13. 24.

Stultus irridet disciplinam patris sui : qui autem custodit increpationes, astutior fiet. *Ibid.* 15. 5.

Erudi filium tuum, ne desperes : ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. *Ibid.* 19. 18.

Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. *Ibid.* 22. 15.

Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. *Ibid.* 23. 13.

Virga atque correptio tribuit sapientiam : puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. *Ibid.* 29. 15.

Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum. *Eccli.* 7. 25.

Et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. *Ibid.* 16. 4.

Confusio patris est de filio indisciplinato : filia autem in deminoratione fiet. *Ibid.* 22. 3.

Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo ; et non palpet proximorum ostia. *Ibid.* 30. 1. Qui docet filium suum, laudabitur in illo : et in medio domesticorum in illo gloriabitur. *v.* 2. Qui docet filium, in zelum mittit inimicum, et in medio amicorum gloriabitur in illo. *v.* 3. Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : simile enim reliquit sibi post se. *v.* 4. In vita sua vidit, et lætatus est in illo : in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis : reliquit enim defensorem domus contra inimicos, et amicis reddentem gratiam. *v.* 5. Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps. *v.* 8. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, et non credat tibi : et erit tibi dolor animæ (hic et in futuro). *v.* 12. Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. *v.* 13.

De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio (propter malum exemplum et defectum doctrinæ). *Ibid.* 41. 10.

Præparate filios ejus occisioni in iniqui-

tate patrum suorum (qui non docuerunt eos). *Isa.* 14. 21.

Educate illos (filios vestros) in disciplina et correptione Domini. *Ephes.* 6. 4.

Quis enim filius, quem non corripit pater? *Hebr.* 12. 7.

CORRECTIO *impiorum est piis in timorem et cautionem V.* **Impius**.

CREATOR *omnium rerum Deus.*

In principio creavit Deus cœlum et terram. *Gen.* 1. 1.

Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare et omnia, quæ in eis sunt, et requievit in die septimo, etc. *Exod.* 20. 11. *V. et. Gen.* 2. 2.

Tua est, Domine, magnificentia et potentia, et gloria, atque victoria : et tibi laus : cuncta enim, quæ in cœlo sunt, et in terra, tua sunt : tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. 1. *Paral.* 29. 11.

Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti : aquilonem et mare tu creasti. *Psal.* 88. 12.

Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram. *Psal.* 113. 15. *V. et. Psal.* 120. 2. 123. 8. 145. 6.

Unus est Altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, etc. *Eccli.* 1. 8.

Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super Cherubim : tu es Deus solus omnium regnorum terræ; tu fecisti cœlum et terram. *Isa.* 37. 16.

Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. *Ibid.* 40. 28. *V. et. ibid.* 42. 5.

Hæc dicit Dominus, redemptor tuus, et formator tuus ex utero : Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. *Ibid.* 44. 24.

Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego : manus meæ tetenderunt cœlos, et omni militiæ eorum mandavi. *Ibid.* 45. 12.

Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos : ego vocabo eos, et stabunt simul. *Ibid.* 48. 13.

Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, et fundavit terram. *Ibid.* 51, 13.

Qui facit terram in fortitudine sua, et præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos. *Jerem.* 10. 12. *V. et. Baruch* 3. 32.

Heu, heu, heu, Domine Deus : ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento : non erit tibi difficile omne verbum. *Ibid.* 32. 17.

(Deus), qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos. *Ibid.* 51. 15.

Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam. *Jonæ* 1. 9.

Dominus extendens cœlum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo. *Zach.* 12. 1.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11. 25.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. *Joan.* 1. 3.

Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. *Act.* 4. 24.

(Convertimini) ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, etc. *Ibid.* 14. 14. *V. et Psal.* 145. 6. *Item Act.* 7. 50.

Deus, fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus etc. *Ibid.* 17. 24.

Unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. 1. *Cor.* 8. 6.

(Deus) omnia creavit. *Ephes.* 3. 9. *V. et Coloss.* 1. 16. *Hebr.* 1. 2.

Tu in principio, Domine, terram fundasti : et opera manuum tuarum sunt cœli. *Hebr.* 1. 10.

Omnis namque domus fabricatur ab aliquo : qui autem omnia creavit, Deus est. *Ibid.* 3. 4.

Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. *Apoc.* 4. 11. *c.* 10. 6. *c.* 14. 7.

CREATURÆ *a Deo potenter creantur.*

In principio creavit Deus cœlum et terram. *Genes.* 1. 8.

Istæ sunt generationes cœli, et terræ. *Ibid.* 2. 4. *V. et. v.* 1.

Verbo Domini cœli firmati sunt — quoniam ipse dixit et facta sunt. *Psal.* 32. 6. *et* 9.

Tuus es dies, et tua est nox — tu fecisti omnes terminos terræ. *Psal.* 73. 16. *et* 17.

Initio tu, Domine, terram fundasti. *Psal.* 101. 26.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti. *Psal.* 103. 24.

Per quem fecit et sæcula. *Hebr.* 1. 2.

Fide intelligimus, aptata esse sæcula verbo Dei. *Ibid.* 11. 3.

CREATURÆ *a Deo sapienter gubernantur. V. et.* **Providentia divina.**

Ordinatione tua perseverat dies. *Psal.* 118. 91.

Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti : nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. *Sap.* 11. 25.

Cum ergo sis justus, juste omnia disponis. *Ibid.* 12. 15.

CREATURÆ *a Deo utiliter ordinantur.*

Viditque Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona. *Gen.* 1. 31.

Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies, non requiescent. *Ibid.* 8. 22.

Opera Domini universa bona valde. *Eccli.* 39. 21. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona et mala. *v.* 30. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona, sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur — Omnia opera Domini bona. *v.* 31. 32. 39. Non est dicere : Hoc illo nequius est : Omnia enim in tempore suo comprobabuntur. *v.* 49.

Omnis creatura Dei bona est. *Tim.* 4. 5.

CREDULITAS *falsa. V.* **Suspicio.**

CRESCERE *in scientia.*

Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus. *Ephes.* 4. 15.

Ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes : in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. *Coloss.* 1. 10.

Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. 1. *Petr.* 2. 2.

CRUX *et tribulatio accidit omnibus pie viventibus. V. et.* **Tribulatio.**

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras : cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum. *Gen.* 4. 8. *V. et. Sap.* 10. 3, *Matth.* 23. 35. 1. *Joan.* 3. 12. *Judæ. v.* 11.

Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater : dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. *Ibid.* 27. 41. *V. et. Gen.* 37. 18.

Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. *Psal.* 33. 20.

Septies enim cadet justus, et resurget; impii autem corruent in malum. *Prov.* 24. 16.

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* 2. 1.

Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10. 16. *V. Luc.* 10. 3.

Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. *Ibid.* 12. 14.

Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Ibid.* 16. 24.

Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. *Ibid.* 24. 9.

Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis. *Marc.* 13. 7.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 26. *V. Matth.* 10. 37.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur, etc. *Joan.* 15. 20. *V. et. c.* 13. 16. *Item Matth.* 10. 24. *c.* 24. 9.

Sed quomodo tunc is, qui secundum

carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc. *Gal.* 4. 29. *V. Gen.* 21. 10.

Ut nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis, quod in hoc positi simus. 1. *Thess.* 3. 3.

Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 2. *Tim.* 3. 12.

Carissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis sit, quasi novi aliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. 1. *Petr.* 4. 12. *et* 13.

CRUX *a Deo imponitur ad nostram utilitatem.*

Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium : qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo. 2. *Reg.* 7. 14.

Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. *Tob.* 12. 13.

Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. *Judith* 8. 22. *V. Gen.* 22. 1.

Beatus homo, qui corripitur a Deo; increpationem ergo Domini ne reprobes. *Job* 5. 17.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias : nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* 3. 11.

Te vero non consumam, sed castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi. *Jerem.* 46. 28.

Obsecro autem eos qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. 2. *Mach.* 6. 12.

Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 1. *Cor.* 11. 31.

Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. *Hebr.* 12. 5. 6. *V. Prov.* 3. 12.

CRUX. — *Per crucem et adversitates pervenimus ad cognitionem Dei et ad vitam æternam.*

Ego quos amo, arguo et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. *Apoc.* 3. 12.

Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant. Oderantque filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis. *Exod.* 1. 2.

Qui postquam coangustatus est (scilicet Manasses), oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valde, coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum : et cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus. 2. *Paral.* 33. 12. *et* 13.

Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. *Judith* 8. 22. *V. Gen.* 22. 1.

Via vitæ increpatio disciplinæ (est). *Prov.* 6. 23.

Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? *Luc.* 24. 26. *V. et. v.* 46. *Item Phlipp.* 2. 8. *Hebr.* 2. 9. *c.* 12. 2.

Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12. 25. *V. et Matth.* 10. 29. *c.* 16. 15.

(Paulus et Barnarbas erant) confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide : et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Act.* 14. 21.

Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. *Rom.* 8. 17.

Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Cor.* 4. 17. *V. et. v.* 8.

(Gratias agit Deo Paulus pro fide ac tolerantia Thessalonicensium in persecutionibus, propter quas dicit, illos gloriam, adversarios vero ultionem in die judicii recepturos, orans, ut digni habeantur vocatione Dei). 2. *Thess.* 1. *c.* 1.

CRUX *ferenda est cum patientia et gaudio.*

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum, etc. *Matth.* 5. 10. *V. et.* 1. *Petr.* 2. 20.

Et qui non accipit crucem suam, et se-

quitur me, non est me dignus. *Ibid.* 10. 38. *c.* 16. 24. *V. et. Marc.* 8. 34.

Si me persecuti sunt, et vos persequentur. *Joan.* 15. 20. *c.* 13. 16. *V. et. Matth.* 10. 24. *c.* 24. 9.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *Ibid.* 16. 33.

Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5. 41.

Quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit : et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. 2. *Cor.* 8. 2.

Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, etc. *Coloss.* 1. 24.

Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, etc. *Hebr.* 10. 34.

Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. *Jacob.* 1. 2. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *v.* 12.

Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum etc. 1. *Petr.* 2. 20. *c.* 3. 14. *c.* 4 14.

Carissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis sit, quasi novi aliquid vobis contingat : sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. *Ibid.* 4. 12. *et.* 13.

CRUX. — *In cruce et afflictione consolatio.*

Beatus homo, qui corripitur a Deo, etc. *Job* 5. 17.

Antequam conteratur exaltatur cor hominis : et antequam glorificetur, humiliatur. *Prov.* 18. 12. *V. et. Isa.* 26. 12. 16. *Thren.* 3. 28. *Matth.* 5. 10. *Joan.* 15. 20.

Amen amen dico vobis : quia plorabitis et flebitis vos ; mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joan.* 16. 20. Ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *v.* 33.

Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom.* 8. 18.

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana : fidelis autem Deus est : qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 1. *Cor.* 10. 13.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, etc. 2. *Cor.* 1. 3.

CRUX. — *Per crucem probat nos Deus.*

Et nunc, fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, et memores sint, quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si vere colerent Deum suum. *Judith* 8. 21.

Sicut igne probatur argentum, et aurum camino : ira corda probat Dominus. *Prov.* 17. 3.

Omne quod tibi applicatum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur aurum et argentum ; homines vero receptibiles in camino humiliationis. *Eccli.* 2. 4.

In paucis vexati, in multis bene disponentur : quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos et in tempore erit respectus illorum. *Sap.* 3. 5. *V.* 1. *Petr.* 1. 7.

CRUX. — *Figuratio crucis.*

(In serpente æneo, quem Moyses ex præcepto fecit Domini, ponens in sublimi). *Num.* 21. 9.

Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel. *Isa.* 11. 12.

Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem : et signa Thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. *Ezech.* 9. 4.

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 14.

CRUX. — *Gloriatio in cruce.*

Benedictum est enim lignum, per quod fit justitia. *Sap.* 14. 7.

Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. 1. *Cor.* 1. 23.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. *Galat.* 6. 14.

Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. *Hebr.* 13. 13.

CRUX. — *Quibus crux abominatio est.*

Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo : non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur : quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno. *Deut.* 21. 22. *V. Gal.* 3. 13.

Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt (id est nobis), Dei virtus est. 1. *Cor.* 1. 18.

Imitatores mei estote, fratres, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico), inimicos crucis Christi : quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Philipp.* 3. 17.

Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Hebr.* 6. 6.

CULTUS *verus et internus, seu pietas Dei, exigit cor hominis et voluntatem. V. et.* **Adoratio Dei.**

Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, etc. Et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. *Gen.* 4. 3.

(Enoch filius Seth) cœpit invocare nomen Domini. *Ibid.* 4. 26.

Ædificavit autem Noe altare Domino : et — obtulit holocauta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis. *Ibid.* 8. 20.

(Paratus fuit Abraham offerre Deo unicum filium suum Isaac in holocaustum). *Ibid. c.* 22.

Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, et bene sit eis, et filiis eorum in sempiternum? *Deut.* 5. 29.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua. *Ibid.* 6. 5.

Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te? nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anim tua. *Ibid.* 10. 12.

Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra, etc. *Ibid.* 11. 13.

Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc atque judicia: et custodias, et impleas ex toto corde et ex tota anima tua. *Ibid.* 26. 16.

Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia propter rerum omnium abundantiam : servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame et siti, et nuditate, et omni penuria: et ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. *Ibid.* 28. 47.

Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui : ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere. *Ibid.* 30. 6. *V. et. v.* 2. *Item. Jos.* 22. 5.

Dixit autem Samuel ad populum : Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc : verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. 2. *Reg.* 12. 20.

In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. *Eccli.* 7. 31.

Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me. *Isa.* 29. 13.

Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me. *Matth.* 15. 8. *V. et. Marc.* 7. 6.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua, etc. *Ibid.* 22. 37. *V. et. Marc.* 7. 6.

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. *Joan.* 4. 23.

CULTUS *externus Deo gratus. V.* **Cæremoniæ.**

CULTUS *Sanctorum, Imaginum, Reliquiarum. etc V.* **Titulis suis.**

CURIOSITAS *humana et mundana.*

(Primariæ transgressionis occasio ortum habuisse videtur ex eo quod Eva serpentem curiose audivit, et lignum vetitum curiose aspexit). *Gen. c.* 2.

(Egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. Sed postea ipsa visa, rapta, et oppressa fuit). *Ibid. c.* 34.

Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priusquam involvantur; alioquin morientur. *Num.* 4. 20.

(Ozias, rex Judæ, ingressus templum Domini, accepit thuribulum, et voluit adolere incensum, quod non ad suum, sed ad sacerdotum pertinebat officium). Statimque orta est lepra in fronte ejus. 2. *Paral.* 26. 19.

Si fueris plurimum scrutatus, frequenter miraberis. 4. *Esdr.* 4. 26.

Qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. *Prov.* 11. 17.

Non est tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. In supervacuis rebus, noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus. *Eccli.* 3. 23.

De ea re, quæ te non molestat, ne certeris. *Ibid.* 11. 9.

(Herodes, viso Jesu, gavisus est valde, non tamen pietatis, sed curiositatis gratia, quia sperabat signum aliquod ab eo videre fieri). *Luc.* 23. 8.

(Curiositatem discipulorum, scire volentium tempus secundi adventus, compescit Dominus, dicens) : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Act.* 1. 7.

CUSTODIA *sui post conversionem.*

Custodi igitur temetipsum, et animam tuam sollicite. *Deut.* 4. 9. Custodite igitur sollicite animas vestras (caute, ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino). *v.* 15.

Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis (sensuum). *Ibid.* 16. 18.

Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. *Ibid.* 23. 9.

Descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum. *Judic.* 5. 11.

Et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. *Tob.* 3. 16.

Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. *Prov.* 4. 23.

Custos animæ suæ servat viam suam. *Ibid.* 16. 17.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. *Eccli.* 7. 40.

Quasi a facie colubri fuge peccata. *Ibid.* 21. 2.

Super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. *Isa.* 21. 8.

Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati. *Jerem.* 17. 21.

Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem. *Habac.* 2. 1.

Judas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. 2. *Mach.* 12 42.

Regnum Dei intra vos est. Custodite ergo, quia thesaurus maximus est). *Luc.* 17. 21.

Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare. *Joan.* 5. 14.

Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? 1. *Cor.* 3. 16.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus. 2. *Cor.* 4. 7.

An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. *Ibid.* 13. 5.

O Timothee, depositum custodi. 1. *Tim.* 6. 20.

Melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. 2. *Petr.* 2. 21.

Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. *Apoc.* 16. 15.

CUSTODIA *Oculorum. V.* **Oculorum custodia.**

D

DÆMONES *expelluntur. V. et.* **Spiritus mali.**

(Dæmonium occidit septem viros Saræ, filiæ Raguelis, sed fuit ejectum per boni Angeli Raphaelis adventum). *Tob.* 3. 8. *V. c.* 8.

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes : et ejiciebat

spiritus verbo : et omnes male habentes curavit. *Matth.* 8. 16. Dæmones autem rogabant eum, dicentes : Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. *v.* 31.

Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ, etc. *Ibid.* 9. 33. *V. et. Luc.* 11. 14.

Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum. ita ut loqueretur, et videret. *Ibid.* 12. 22.

Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora. *Ibid.* 17. 17.

Et increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. *Luc.* 4. 35. *V. et c.* 8. 2. *et* 28.

Et cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit. Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus. *Ibid.* 9. 42.

Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. *Ibid.* 10. 17. *V. et cap.* 13. 10.

Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. *Act.* 5. 16.

Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. *Ibid.* 8. 7. *V. et c.* 16. 18.

DÆMONES. — *Etiam per malos, Dæmones expelluntur.*

Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo — dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. *Matth.* 7. 22.

Respondit illi Joannes, dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum, etc. *Marc.* 9. 37. *Item. Luc.* 9. 49.

Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. *Act.* 19. 13.

DÆMONES *agnoscunt, et credunt Deum. V. et.* **Diabolus.**

Et ecce clamaverunt, dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei ? Venisti huc ante tempus torquere nos. *Matth.* 8. 29.

Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit, dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene ? Venisti perdere nos? Scio, qui sis, Sanctus Dei. *Marc.* 1. 23. *Item. Luc.* 4. 33.

Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei : et clamabant, dicentes : Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum. *Ibid.* 3. 11.

Videns autem Jesum a longe, cucurrit et adoravit eum : et clamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei altissimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi : Exi, spiritus immunde, ab homine. *Ibid.* 5. 6. *Item Luc.* 8. 28.

Exibant autem dæmonia a multis, clamantia, et dicentia : Quia tu es Filius Dei : et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. *Luc.* 4. 31.

Respondens autem spiritus nequam, dixit eis : Jesum novi, et Paulum scio : Vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos ; ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. *Act.* 19. 15. *et. ib.*

Tu credis, quoniam unus est Deus : bene facis, et dæmones credunt et contremiscunt. *Jacob.* 2. 19.

DÆMONES. — *Dæmonibus immolare nefas.*

Nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. *Levit.* 17. 7.

Immolaverunt dæmoniis et non Deo, Diis, quos ignorabant : novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. *Deut.* 32. 17.

Qui (Jeroboam) constituit sibi sacerdotes excelsorum, et dæmoniorum, vitulorumque, quos fecerat. 2. *Paral.* 11. 15.

Immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. *Psal.* 105. 37.

DÆMONES. — *Tentatio. V.* **Tentatio Diaboli.**

DAMNATIO *æterna, quæ parata est diabolo, et omnibus impiis.*

Terram miseriæ et tenebrarum, ubi

umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *Job.* 10. 22.

Si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumentur in stultitia. *Ibid.* 36. 12.

(Impii in judicio admirantes gloriam justorum, quos hic contempserant, deflent suam miseriam, quodque tota eorum felicitas fuerit momentanea, justorum autem erit perpetua. Porro Deus tum per creaturas, tum per se, armatur ad puniendos impios). *Sap.* 5. *V. et. Isa.* 30. 33.

In illa die visitabit Dominus super militiam cœli in excelso : et super reges terræ, qui sunt super terram. *Isa.* 24. 21.

Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. *Ibid.* 66. 24. *V. et. Dan.* 7. 11. *Marc.* 9. 44.

Paleas autem comburet igni inextinguibili. *Matth.* 3. 12. *V. et. Matth.* 23. 33. *Luc.* 3. 17.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium. *Matth.* 8. 12. *V. et. c.* 13. 50. *c.* 25. 30. 46.

Bonum tibi est, ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. *Ibid.* 18. 8. *V. et. c.* 5. 29. 30. *Marc.* 9. 42.

Elevans autem (Dives) oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus : et ipse clamans, dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quoniam crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. *Luc.* 16. 23. *et seq.*

Terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *Hebr.* 10. 7.

Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari, etc. 2. *Petr.* 2. 4. *V. et.* 2. *Thess.* 1. 8. 9.

Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. *Judæ* 6.

Vivi missi sunt hi duo (scilicet bestia et pseudopropheta) in stagnum ignis ardentis sulphure. *Apoc.* 19. 20.

Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos : et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia, et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte, in sæcula sæculorum. *Ibid.* 20. 9.

Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda. *Ibid.* 21. 8.

DAMNUM *proximo non inferendum.*

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. *Lev.* 19. 13.

Non est bonum, damnum inferre justo. *Prov.* 17. 26.

Ne dicas : Quomodo fecit mihi, sic faciam ei : reddam unicuique secundum opus suum. *Ibid.* 24. 19. *V. et. c.* 20. 22.

Non placeat tibi injuria injustorum, scient quoniam usque ad inferos non placebit impius. *Eccli.* 9. 17.

Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis ? quare non magis fraudem patimini? sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? 1. *Cor.* 6. 7. *V. et. Matth.* 5. 39. *Luc.* 6. 29. *Rom.* 12. 17.

Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum. 1. *Thess.* 4. 6.

DAMNUM. — *Ne inferatur, impediendum.*

Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. *Exod.* 23. 4.

Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo, etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum : duces in domum tuam, et erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, et recipiat. Similiter facies de asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, quæ perierit : si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. Si videris asinum fratris tui, aut bovem

cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. *Deut.* 22. 1.

DAMNUM. — *Illatum resarciendum.*

Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium jumentorum : quod autem mortuum est, ipsius erit. *Exod.* 31. 33. *V. totum Caput.*

Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena : quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Si egressus ignis invenerit spinas et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit. *Ibid.* 22. 5.

Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima. *Levit.* 24. 18. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum : sicut fecit, sic fiet ei : fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. *v.* 19. *V. totum Caput.*

Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam trangressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccaverint. Sin autem non fuerit, qui recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia. *Num.* 5. 6.

Maledictus qui transfert terminos proximi sui. *Deut.* 27. 17.

Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus, et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prov.* 17. 5.

DARE *est melius, quam accipere.*

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. *Eccli.* 4, 36.

Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi. *Act.* 20. 33.

DANDUM *sine acceptione personarum, maxime autem domesticis fidei. V. et.* **Eleemosyna.**

Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia sanctorum : et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua. *Eccli.* 7. 35. *et.* 36.

Non agnoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus. *Ibid.* 12. 8.

Qui petit a te, da ei : et volenti mutuari a te, ne avertaris. *Matth.* 5. 42.

Omni autem petenti te, tribue : et qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas. *Luc.* 6. 30. Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. *v.* 38.

Necessitatibus sanctorum (estote) communicantes. *Rom.* 12. 13.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. *Galat.* 6. 10.

DAVID *spiritualis (qui est Christus) promittitur. V. et.* **Christus.**

Et erit in die illa, ait Dominus exercituum : Conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni; sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis. *Jerem.* 30. 8.

Ego autem Dominus ero eis in Deum : et servus meus David princeps in medio eorum : ego Dominus locutus sum, etc. *Ezech.* 34. 24.

Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum : in judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient et facient ea. *Ibid.* 37. 24. *V. et. Isa.* 40. 11. *Jerem.* 23. 5. *c.* 33. 14.

DAVID. — *Filius Davidis appellatur Christus.*

Liber generationis Jesu Christi, filii David, etc. *Matth.* 1. 1.

Ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei : Miserere mei, Domine Fili David : filia mea male a dæmonio vexatur. *Ibid.* 15. 22.

Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. *Ibid.* 22. 45.

Et respondens Jesus, dicebat, docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ, Christum Filium esse David? ipse enim David dicit in Spiritu Sancto (*Psal.* 109.). Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis : donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum, etc. *Marc.* 12. 35. *V. et Luc.* 20. 41.

Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam de-

functus est et sepultus, et sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. *Act.* 2. 29.

Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum. 2. *Tim.* 2. 8.

Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris : ecce, vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. *Apoc.* 5. 5.

DECIMÆ, *et decimarum usus.*

Benedictus Deus (ait Melchisedech) excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. *Gen.* 14. 20.

(Ait Jacob) : Cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Ibid.* 28. 22.

Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, illi sanctificantur. *Lev.* 27. 30.

Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis. *Num.* 18. 21. Et (de) universis, quorum accipitis primitias, offerte Domino, et date Aaron Sacerdoti. *v.* 28.

Et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras, decimas et primitias manuum vestrarum, et vota, atque donaria, primogenia boum et ovium. *Deut.* 12. 6.

Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas. *Ibid.* 14. 28. *V. et. c.* 26. 12.

Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. 1. *Reg.* 8. 15.

Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israel, frumenti, vini, et olei; mellis quoque, et omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 2. *Paral.* 31. 5.

Et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque, et olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. 2. *Esdr.* 10. 37.

Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei : cui et decimas omnium divisit Abraham, etc. *Hebr.* 7. 1.

DECIMÆ. — *Sacerdotibus debentur. V.* **Sacerdotes.**

Hoc erit judicium sacerdotum a populo et ab his, qui offerunt victimas : sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum et ventriculum. *Deut.* 18. 3.

Præcepit etiam populo (Ezechias) habitantium Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus et Levitis, ut possent vacare legi Domini. 2. *Paral.* 31. 4.

DEDICATIO *templi vel altarium.*

Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare, dixitque Dominus ad Moysen : Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris, etc. *Num.* 7. 10. *V. et. v.* 84. 88.

Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia. et ovium centum viginti millia : et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel, etc. 3. *Reg.* 8. 63. *Idem habetur* 2. *Paral.* 7. 5.

Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, et sollemnitatem celebrasset diebus septem. 2. *Paral.* 7. 9. *V. et. c.* 15. 8.

Fecerunt autem filii Israel Sacerdotes et Levitæ et reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum, pro peccato totius Israel, duodecim, juxta numerum tribuum Israel. 1. *Esdr.* 6. 16. *Idem habetur* 3. *Esdr.* 7. 7.

(Psalmus cantici est in die dedicationis domus David). *Psal.* 29.

Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, et obtulerunt holocausta cum lætitia, et sacrificium salutaris, et laudis. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, et scutulis : et dedicaverunt portas, et imposuerunt eis januas. 1. *Mach.* 4. 56. Et statuit Judas et fratres ejus et universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum per dies octo, a quinta et vi-

gesima die mensis Casleu cum lætitia et gaudio. *v.* 59.

Similiter et Salomon octo diebus celebravit dedicationem. 2. *Mach.* 2. 12.

DEFICIENTIUM *increpatio.*

Nunc autem venit super te plaga, et defecisti. *Job.* 4. 5.

Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus. *Ibid.* 15. 33.

Qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccli.* 19. 1.

Expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. *Isa.* 5. 2.

Concipietis ardorem, parietis stipulam : spiritus vester, ut ignis vorabit vos. *Ibid.* 33. 11.

Facti sunt sicut fœnum agri — et herba tectorum, quæ exaruit. *Ibid.* 37. 27.

Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus : et intulistis in domum, et exsufflavi illud quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. *Aggæi.* 1. 9.

Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? *Ibid.* 2. 4.

Fratres — stabiles estote et immobiles : abundantes in opere Domini semper. 1. *Cor.* 15. 58.

Non abjicio gratiam Dei. *Galat.* 2. 21.

Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? *Ibid.* 3. 3.

Currebatis bene : quis vos impedivit? *Ibid.* 5. 7.

Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus. *Ibid.* 6. 9.

Spiritum nolite extinguere. 1. *Thess.* 5. 19.

Vos autem nolite deficere benefacientes (in Christo Jesu). 2. *Thess.* 3. 13.

Ut non segnes efficiamini. *Hebr.* 6. 12.

Memor esto, unde excideris. *Apoc.* 2. 5.

DEI BENEDICTIO. *V.* **Benedictio Dei etc.**

DEI BENIGNITAS erga suos servos. *V.* **Bonitas et Benignitas Dei etc.**

DEI CULTUS et Adoratio. *V.* **Cultus Dei et Adoratio Dei.**

DEI DILECTIO. *V.* **Dilectio Dei.**

DEI IRA. *V.* **Ira Dei.**

DEI JUDICIA occulta. *V.* **Judicia Dei occulta.**

DEI JUSTITIA. *V.* **Pœnæ divinæ.**

DEI MALEDICTIO. *V.* **Maledictio, qua Deus, etc.**

DEI MISERICORDIA. *V.* **Misericordia Dei.**

DEI OMNIPOTENTIA. *V.* **Miracula.**

DEI PRÆCEPTA. *V.* **Præcepta Dei.**

DEI PRÆSENTIA. *V.* **Præsentia Dei.**

DEI PROVIDENTIA. *V.* **Providentia Dei.**

DEI TENTATIO. *V.* **Tentatio Dei.**

DEI TIMOR. *V.* **Timor Dei.**

DERISOR *Deum offendit.*

(Sanaballat et Tobias audierunt, quod ædificarentur muri Jerusalem, et irridebant ædificantes). 2. *Esdr.* *c.* 4.

Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum. *Job.* 12. 4.

Abominatio Domini est omnis illusor. *Prov.* 3. 32. Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam. *v.* 34.

Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. *Sap.* 5 1. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in dubitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. *v.* 2. *et seq.*

Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus. *Eccli.* 7. 2.

(Videns Nicanor holocausta, quæ offerebantur pro rege a sacerdotibus), irridens sprevit eos — et locutus est superbe, et juravit cum ira. 1. *Mach.* 7. 34. *V. et. Act.* 17. 32.

DERISOR *proximum vilipendit, non enim parcit simpliciter viventi.*

(Contempsit Nabal verba nuntiorum David, dicens deridendo) : Quis est David ? et quis est filius Isai? Hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. 1. *Reg.* 25. 10.

Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino : et des-

pexit eum. 2. *Reg*. 6. 16. (et deridendo dixit) : Quam gloriosus fuit hodie rex Israel! *v*. 20. *V. et* 3. *Reg*. 21. 7.

(Mittebat Dominus Prophetas), et quotidie commonens *eos* — At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis. 2. *Paral*. 36. 15.

(Tobias ab uxore et amicis ipsum irridentibus, affectus opprobrio, patientissime tolerat, instar Job). *Tob*. 2. 16. *V. et. Act*. 2. 13.

Deridetur enim justi simplicitas. *Job* 12. 4.

Ambulans recto itinere et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. *Prov*. 14. 2.

DERISOR *malum sibi accendit*.

(Viri Soccoth et Phanuel deriserunt Gedeonem). *Judic*. 8. 6. (Sed inde male eis accidit, quia male eos postea tractavit). *v*. 16.

(Pueri illudentes Eliseo) : Ascende, calve : (lacerati sunt ab ursis quadraginta duo). 2. *Reg*. 2. 23.

Parata sunt derisoribus judicia : et mallei percutientes stultorum corporibus. *Prov*. 19. 29.

Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ, et contumeliæ. *Ibid*. 22. 10.

Illusio et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. *Eccli*. 27. 31.

Et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris deprædationem, deprædaberis : cum fatigatus desieris contemnere contemneris. *Isa*. 33. 1.

DESIDERIUM *præmii et fruitionis Dei*.

Et universa terra desiderabat (videre) vultum Salomonis. 3. *Reg*. 10. 24.

Quis det, ut veniat petitio mea : et quod exspecto, tribuat mihi Deus? *Job* 6. 8.

Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum? *Ibid*. 23. 3.

Domine, ante te omnem desiderium meum. *Psal*. 37. 10.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. *Psal*. 41. 2. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. *v*. 3. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam. *v*. 5.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea! *Psal*. 62. 2.

Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Psal*. 83. 2.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! *Psal*. 119. 7.

Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea. *Psal*. 130. 2.

Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. *Psal*. 136. 1.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi. *Psal* 142. 6.

Desiderium suum justis dabitur. *Prov*. 10. 4.

Desiderium justorum omne bonum est. *Ibid*. 11. 23.

Lignum vitæ desiderium veniens. *Ibid*. 13. 12.

Curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cant*. 1. 3.

Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. *Isa*. 26. 8. Anima mea desideravit te in nocte. *v*. 9.

Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. *Dan*. 9. 23.

Noli timere, vir desideriorum : pax tibi. *Ibid*. 10. 19.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. *Rom*. 8. 27.

Coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. *Philipp*. 1. 23.

Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Coloss*. 3. 2.

DESPERATIO.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. *Apoc*. 21. 6.

An ignoras, quod periculosa sit desperatio? 2. *Reg*. 2. 26.

Desperavi, nequaquam ultra jam vivam (vita gratiæ). *Job*. 7. 16.

Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium. *Ibid*. 15. 22.

In profundissimum infernum descendent omnia mea : putasne saltem ibi erit requies mihi? (non). *Ibid*. 17. 16.

Quasi evulsæ arbori abstulit spem meam. *Ibid*. 19. 10.

Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari? *Jerem*. 15. 18.

Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. *Ibid*. 30. 12. *V. et*. v. 15.

Super hoc plangam et ululabo — quia desperata est plaga tua. *Mich*. 1. 8.

DESPERATIO *pœnam multiplicat.*

Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. *Genes.* 4. 13.

Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit : sed sequitur eum ignominia, et opprobrium. *Prov.* 18. 3.

Et dixisti : Desperavi, nequaquam faciam : adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo. *Jerem.* 2. 25.

Desperavimus : post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. *Ibid.* 18. 12.

Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. *Ephes.* 5. 19.

DESPERATIO *pœnas aggravat.*

Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel : Sic locuti estis, dicentes : Iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus : quomodo ergo vivere poterimus? *Ezech.* 33. 10.

DETRACTIO *et Maledicentia numerantur inter gravia peccata.*

(Impie detraxit Joseph innocenti et pudico domina ejus apud virum suum). *Gen. c.* 39. *V. et.* 2. *Reg. c.* 16. *Jerem. c.* 38. *Dan. c.* 13. 1. *Mach. c.* 7.

Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. *Exod.* 22. 28.

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum : sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. *Levit.* 19. 14.

Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? *Num.* 12. 8.

Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. *Ibid.* 22. 12.

Et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. *Job* 19. 18.

Non loquentur labia mea iniquitatem (detrahendo). *Ibid.* 27. 4.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. *Psal.* 13. 3.

Qui loquitur veritatem in corde suo : qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. *Psal.* 14. 3.

Prohibe linguam tuam a malo. *Ibid.* 33. 14.

Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. *Psal.* 100. 5.

Abscondunt odium labia mendacia : qui profert contumeliam, insipiens est. *Prov.* 10. 18.

Cum defecerint ligna, extinguetur ignis : et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. *Ibid.* 26. 20.

In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, etc. *Eccles.* 10. 20.

(Tradidit Deus in reprobum sensum) detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes. *Rom.* 1. 30.

Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos, et ego inveniar a vobis, qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, etc. sint inter vos. 2. *Cor.* 12. 20.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, etc. 1. *Petr.* 2. 1. *V. et. v.* 12.

Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. *Jacob.* 4. 11.

DETRACTIO *bonum pervertit.*

Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit, qui possit arguere me? *Job.* 6. 25.

Qui retribuuut mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. *Psal.* 37. 21.

Quia exacuerunt, ut gladium, linguas suas : intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. *Ibid.* 63. 4. Subito sagittabunt eum, et non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam. *v.* 5. Scrutati sunt iniquitates (aliorum). *v.* 7.

Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. *Psal.* 100. 5.

Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi. (Sic Pharisæi factis Christi). *Psal.* 107. 4.

DETRACTIO *judicium subvertit.*

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. *Eccles.* 10. 11.

Viri detractores fuerunt in te, ad effundendum sanguinem. *Ezech.* 22. 9.

DETRACTIO *salubriter vitatur.*

Custodite vos a murmuratione, quæ

nihil prodest, et a detractione parcite linguæ. *Sap.* 1. 11.

In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti : quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas, annuntiabit sententiam. *Eccles.* 10. 20.

Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris et confundaris. *Eccli.* 5. 16. Susurrator autem odium, et inimicitia, et contumelia. *v.* 17.

Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. *Ibid.* 11. 33.

Beatus qui rectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus : jugum enim illius, jugum ferreum est : et vinculum illius, vinculum æreum est. *Ibid.* 28. 23.

Detractores Deo (sunt) odibiles. *Rom.* 1. 30.

Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10.

Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum (patrum vestrorum) murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. *Ibid.* 10. 10.

Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. *Jacob.* 4. 11.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. 1. *Petr.* 2. 1. *et. seq.*

DETRACTIO *non audiatur.*

Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. *Prov.* 4. 24.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat. *Ibid.* 13. 13.

Abominatio hominum detractor. *Ibid.* 24. 9. Cum detractoribus ne commiscearis : quoniam repente consurget perditio eorum : et ruinam utriusque quis novit? *v.* 21.

Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. *Ibid.* 25. 23.

Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. *Ibid.* 26. 20. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. v. 22.

Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur. *Eccli.* 21. 31.

Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia, et seras. *Ibid.* 28. 28.

DEUS. — *Est omnipotens et nihil ei impossibile.*

Postquam vero (Abraham) nonaginta et novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum : Ego Deus omnipotens : ambula coram me, et esto perfectus. *Gen.* 17. 1. *c.* 43. 14. *c.* 48. 3.

Numquid Deo quidquam est difficile? Juxta condictum revertar ad te, hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium. *Ibid.* 18. 14.

Ego Deus omnipotens, cresce et multiplicare: gentes et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. *Ibid.* 35. 11.

Deus autem meus omnipotens, faciat vobis eum placabilem. *Ibid.* 43. 14.

Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis, utrum meus sermo opere compleatur. *Num.* 11. 23.

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis : quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 1. *Reg.* 14. 6.

Scio, (Deus), quia omnia potes. *Job.* 42. 2.

(Deus), virtuti brachii tui quis ressitet? *Sap.* 11. 21. *V. Isa.* 40. 10.

Heu, heu, heu, Domine Deus : ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento : non erit tibi difficile omne verbum. *Jerem.* 32. 17.

Si videbitur difficile in oculis — populi — numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum? *Zach.* 8. 6.

(Ait Jesus) : Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt. *Matth.* 19. 17. *Item. Marc.* 10. 27.

Omnia enim possibilia sunt apud Deum. *Marc.* 19. 27. *V. c.* 14. 36. *Ephes.* 3. 20. *Apoc.* 19. 6.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1. 37.

Quæ impossibilia sunt apud homines,

possibilia sunt apud Deum. *Ibid.* 18. 27.

DEUS *omnia regit et gubernat pro sua voluntate.*

Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me (Joseph) malum : sed Deus vertit illud in bonum. *Gen.* 50. 19. *V. Gen.* 45. 5.

Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, etc. *Deut.* 8. 18. *V.* 1. *Reg. c.* 9.

(Deus) transtulit montes, et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo. *Job.* 9. 5.

Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium, et intelligentiam. *Ibid.* 12. 13.

Dominus in cœlo paravit sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur. *Psal.* 102. 19.

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam, etc *Psal.* 126. 1. *per totum.*

Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. *Prov.* 16. 4. Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. *v.* 9.

Multæ cogitationes in corde viri : voluntas autem Domini permanebit. *Ibid.* 19. 21.

A Domino diriguntur gressus viri : quis autem hominum intelligere potest viam suam ? *Ibid.* 20. 24.

Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud. *Ibid.* 21. 1. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *v.* 30.

Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. *Sap.* 12. 13. *V. et. Tob.* 7. 21.

Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti : numquid glorificatus es ? elongasti omnes terminos terræ. *Isa.* 26. 15.

Ego Dominus faciens omnia hæc. *Ibid.* 45. 7. *V. Jerem.* 27. 5.

Scio, Domine, quia non est hominis via ejus ? nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. *Jerem.* 10. 23.

Et ipse mutat tempora et ætates : transfert regna, atque constituit : dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam, etc. *Dan.* 2. 21.

Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. *Matth.* 20. 14.

Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor : et misericordiam præstabo cujus miserebor. *Rom.* 9. 15. *V. Exod.* 33. 19.

Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro (sua) bona voluntate. *Philipp.* 2. 13.

(Deus) tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. *Apoc.* 4. 11. *V. Philipp.* 2. 13.

DEUS *est Pater omnium fidelium ipsi obtemperantium.*

Hæccine reddis Domino, popule stulte, et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ? *Deut.* 32. 6. *V. Prov.* 1. 7. *Jer.* 3. 4.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. *Psal.* 102. 13.

Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus : quia ero vir vester : et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion. *Jerem.* 3. 14. Ego autem dixi : Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? Et dixi : Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. *v.* 19.

Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus ? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. *Malach.* 1. 6.

Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. *Matth.* 6. 9. *Idem habetur Luc.* 11. 2.

Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. *Ibid.* 18. 14.

Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. *Joan.* 20. 17. *V.* 1. *Cor.* 8. 6.

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. *Rom.* 8. 15.

Benedictus Deus, et Pater Domini nos-

tri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, etc. 2. *Cor.* 1. 3. *V. Ephes.* 1. 3.

Propter quod exite de medio eorum (infidelium), et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis; et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. *Ibid.* 6. 17. *V. Ephes.* 3. 14.

Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. *Ephes.* 4. 6. *V.* 2. *Thess.* 1. 1. 2.

Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia. 1. *Thess.* 7. 15.

DEUS *est verax et fidelis.*

Quo (Domino Deo) transeunte coram eo (Moyse), ait : Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax. Qui custodis misericordiam in millia ; qui aufers iniquitatem, et scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. *Exod.* 34. 6.

Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. *Num.* 23. 19.

Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis, et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his, qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes : et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. *Deut.* 7. 9.

Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia : Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus. *Ibid.* 32. 4.

Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur : neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. 1. *Reg.* 15. 29.

Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel, qui elegit te. *Isa.* 49. 7. *V.* 1. *Cor.* 1. 9.

Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. *Joan.* 3. 33.

Multa habeo de vobis loqui et judicare : sed qui me misit, verax est : et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. *Ibid.* 8. 26.

Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax. 3. 4.

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana : fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 1. *Cor.* 10. 23.

Fidelis est, qui vocavit vos : qui etiam faciet. 1. *Thess.* 5. 24.

Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo. 2. *Thess.* 3. 3. *V. Apoc.* 3. 7. 14.

Si sustinebimus et conregnabimus : si negaverimus, et ille negabit nos : si non credimus, ille fidelis permanet: negare se ipsum non potest. 2. *Tim.* 2. 12. *V. Tit.* 1. 2.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1. *Joan.* 1. 9. *c.* 5. 20.

DEUS *est in essentia unus, præter quem non est alius.*

Dixit Deus ad Moysen : Ego sum, qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. *Exod.* 3. 14.

Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum. *Deut.* 4. 35. *V. c.* 10. 17.

Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est. *Ibid.* 6. 4. *V. c.* 7. 9.

Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me : ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo, et non est, qui de manu mea possit eruere. *Ibid.* 32. 39. *V. c.* 10. 17. *Item* 3. *Reg.* 18. 36. 37.

Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te in omnibus, quæ audivimus auribus nostris. 2. *Reg.* 7. 22. V. 3. *Reg.* 8. 60.

Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. *Sap.* 12. 13.

Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus, quoniam non est Deus præter te, Domine. *Eccli.* 36. 4. 5.

Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens : Domine exercituum, Deus Israel,

qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum et terram. Inclina, Domine, aurem tuam, et audi, etc. *Isa.* 37. 15.

Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi : ut sciatis et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. *Ibid.* 43. 10. *V. Tob.* 13. 4.

Hæc dicit Dominus rex Israel, et redemptor ejus Dominus exercituum : Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. *Ibid.* 44. 6. *V. v.* 24. *et c.* 45. *per totum.*

Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. *Ibid.* 46. 9.

Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti : et Deum absque me nescies, et Salvator non est præter me. *Oseæ* 13. 4.

Audi, Israel : Dominus Deus tuus, Deus unus est. *Marc.* 12. 29.

Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum. *Joan.* 17. 3.

Nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in cœlo sive in terra (siquidem sunt Dii multi et Domini multi) : nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. 1. *Cor.* 8. 5.

Mediator autem unius non est : Deus autem unus est. *Gal.* 3. 20.

Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. *Ephes.* 4. 6.

Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. *Tim.* 2. 5.

DEUS *est trinus in Personis. V.* **Trinitas.**

DEUS *æternus est, nec principium nec finem habet, sed est ipse principium et finis.*

(Abraham) invocavit ibi nomen Domini Dei æterni. *Gen.* 21. 33.

Dominus regnabit in æternum et ultra. *Exod.* 15. 18.

Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram : numerus annorum ejus inæstimabilis. *Job.* 36. 26.

Quis hæc operatus est, et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus primus et novissimus ego sum. *Isa.* 41. 4. *V. Dan.* 7. 9.

Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi : ut sciatis et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. *Ibid.* 43. 10.

Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. *Ibid.* 44. 6. *V. c.* 57. 15. *Item Rom.* 16. 26.

Audi me, Jacob, et Israel, quem ego voco : ego ipse, ego primus, et ego novissimus. *Ibid.* 48. 12.

Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi : virga æquitatis, virga regni tui. *Hebr.* 1. 8.

Ego sum Alpha et Omega, Principium et Finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est Omnipotens. *Apoc.* 1. 8. *V. et. v.* 17. *Item c.* 21. 6. *Item c.* 22. 13.

DEUS *novit, audit, et videt omnia.*

Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam, et dixerunt : Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? quod cum audisset Dominus (iratus est). *Num.* 12. 1.

Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. (De Josue duce loquitur Deus). *Deut.* 41. 21.

Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes : recedant vetera de ore vestro : quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. 1. *Gen.* 2. 3.

Nec juxta intuitum hominis ego judico : homo enim videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor. *Ibid.* 16. 7.

Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. 1. *Par.* 28. 9.

Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. 2. *Par.* 16. 9.

An non cogitas, quod excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? et dicis : quid enim novit Deus? etc. *Job* 22. 12.

Ipse enim fines mundi intuetur : et omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit. *Ibid.* 28. 24.

Nonne ipse considerat vias meas, et

cunctos gressus meos dinumerat? *Ibid.* 31. 4. *Item Prov.* 5. 21.

Respondens autem Job Domino, dixit : Scio, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. *Ibid.* 42. 1.

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum : scrutans corda et renes, Deus. *Psal.* 7. 10.

De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum. *Psal.* 32. 13.

Oculi Domini super justos, et aures in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. *Psal.* 33. 16.

Domine, ante te omne desiderium meum : et gemitus meus a te non est absconditus. *Psal.* 37. 10.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. *Psal.* 89. 8.

Qui plantavit aurem, non audit? aut qui finxit oculum, non considerat? etc. *Psal.* 93. 9. Dominus scit cogitationes hominum. *v.* 11 *V.* 3. *Reg.* 8. 39. 2. *Paral.* 6. 30.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. *Psal.* 138. 5.

Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. *Prov.* 5. 21. *V. et. Job* 14. 16. *c.* 31. 4. *c.* 34. 21.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Ibid.* 15. 3. Infernus et perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum? *v.* 11. *V. c.* 24. 12.

Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. *Sap.* 1. 10.

Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. *Eccli.* 15. 20.

Non dicas : A Deo abscondar, ex summo quis mei memorabitur ? — Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus, et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur: mentes simul et colles, et fundamenta terræ : cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur — et omne cor intelligitur ab illo. *Ibid.* 16. 16. *et seq.*

Viæ illorum coram ipso (Deo) sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis illius. In unamquamque gentem præposuit rectorem, et pars Dei Israel facta est manifesta. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei : et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum, etc. *Ibid.* 17. 13.

Et non intelligit (impius), quoniam omnia videt oculus illius (Dei). — Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita ; sic et post perfectum respicit omnia. *Ibid.* 23. 27. *et seq.*

Opera omnis carnis coram illo, et non quidquam est absconditum ab oculis ejus. *Ibid.* 39. 24.

Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos ? et quis novit nos? *Isa.* 29. 15.

Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel : Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo judicium meum transivit? Numquid nescis, aut non audisti : Deus sempiternus Dominus — nec est investigatio sapientiæ ejus ? *Ibid.* 40. 27. *V. et. c.* 48. 4.

Priusquam te formarem in utero, novi te ; et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te (ad Prophetam loquitur). *Jerem.* 1. 5.

Ego, ego sum : ego vidi, dicit Dominus *Jerem.* 7. 11.

Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda. *Ibid.* 11. 20.

Ego Dominus scrutans cor, et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. *Ibid.* 17. 10. *V. c.* 23. 24.

Et tu, Domine exercituum, probator justi, qui vides renes et cor. *Ibid.* 20. 12.

Si occultabitur vir in absconditis : et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus ? Audivi, quæ dixerunt Prophetæ, etc. *Ibid.* 23. 24.

Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu : cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus. *Ibid.* 32. 19.

Cogitationes cordis vestri ego novi (dicit Dominus). *Ezech.* 11. 5.

Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel ; percussit eum insanabili et

invisibili plaga (Antiochum). 2. *Mach.* 9. 5.

Cumque cohors Judæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est. ex præsentia Dei, qui universa conspicit. *Ibid.* 12. 22.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : ut sit eleemosyna tua in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* 6. 3.

Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, etc. *Ibid.* 21. 2. *V. Marc.* 51. 1. *Luc.* 19. 30.

(Murmurabant Scribæ, et dicebant in cordibus suis). Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis : Quid ista cogitatis in cordibus vestris? *Marc.* 2. 7. *V. Matth.* 9. 1. *Luc.* 5. 18.

Et mittit (Jesus) duos ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans. *Ibid.* 14. 13. *V. et. v.* 15. *Item Luc.* 22. 10.

Vidit Jesus Nathanael — et dicit de eo : Ecce vere Israelita, etc. *Joan.* 1. 47. *V. v.* 48. *usque ad finem.*

Et protestatus est (Jesus), et dixit : Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. *Ibid.* 13. 21. *V. Matth.* 26. 21. *Marc.* 14. 17. *Luc.* 22. 21.

Nunc scimus, quia scis omnia, et non est opus tibi ut quis te interroget : in hoc credimus, quia a Deo existi. *Ibid.* 16. 30.

(Petrus ait) : Domine, tu omnia nosti : tu scis quia amo te. *Ibid.* 21. 17.

Novit corda Deus. *Act.* 15. 8.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus : quia secundum Deum postulat pro Sanctis. *Rom.* 8. 27.

Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 1. *Thess.* 2. 4.

Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. *Hebr.* 4. 13.

Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum : major est Deus corde nostro, et novit omnia. 1. *Joan.* 3. 20.

Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda. *Apoc.* 2. 23. *V. Psal.* 7. 10. *Jerem.* 11. 10. *c.* 10.

DEUS. — *Nemo potest Deum videre in hac vita mortali.*

(Ait Moysi Deus) : Non poteris videre faciem meam ; non enim videbit me homo, et vivet. *Exod.* 33. 20.

Locutus est Dominus ad vos, de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis. *Deut.* 4. 12.

Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. *Joan.* 1. 18. *Item* 1. *Joan.* 4. 12.

Patrem non vidit quisquam. *Ibid.* 6. 46.

Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor et imperium sempiternum. Amen. 1. *Tim.* 6. 16.

DEUS *et divina non possunt humana industria aut ingenio sine revelatione comprehendi.*

Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis, ut dem tibi. 3. *Reg.* 3. 5.

Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. *Job* 32. 8.

(Deus) qui docet hominem scientiam. *Psal.* 93. 10. *V. et. Psal.* 118. *per totum.*

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, qui in te speravi. *Psal.* 142. 8.

Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? *Sap.* 9. 13.

Universos filios tuos doctos a Domino. *Isa.* 54. 13. *V. et. Joan.* 6. 45.

In illo tempore respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus — et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11. 25. *Item Luc.* 10. 21.

Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum. *Ibid.* 13. 11. *Item Luc.* 8. 10.

Beatus es, Simon Bar-Jona ; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. *Ibid.* 16. 17.

(Christus aperuit discipulis sensum), ut intelligerent Scripturas. *Luc.* 24. 45.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. *Joan.* 1. 10.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum. *Ibid.* 6. 44.

(Christus dicit) : Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, etc. *Ibid.* 17. 6.

Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo. *Act.* 16. 14.

Quod notum est Dei, manifestatum est

in illis. Deus enim illis manifestavit. *Rom.* 1. 9.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Ibid.* 11. 33.

(Sapientiam Dei nemo principum hujus sæculi cognovit, etc.) 1. *Cor.* 2. *per totum caput.*

Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. *Gal.* 1. 11. *V. et Ephes.* 3. 3.

DEUS *est immensus, et incircumscriptibilis.*

Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si enim cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? 3. *Reg.* 8. 27.

Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum? si cœlum et cœli cœlorum capere eum nequeunt : quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? 2. *Paral.* 2. 6. *V. c.* 6. 18.

Excelsior cœlo est, et quid facies? et profundior inferno, et unde cognosces? *Job* 11. 8.

Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades, etc. *Psal.* 138. 8. *V. Amos* 9. 2.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum. *Sap.* 1. 7. *V. Isa.* 6. 3. *Matth.* 6. 34. *Act.* 7. 48.

Hæc dicit Dominus : Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum : quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? *Isa.* 66. 1.

Si occultabitur vir in absconditis : et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus? *Jerem.* 23. 24.

Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos : et si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos, etc. *Amos* 9. 2.

DEUS *testatur se Deum, id est Salvatorem, et Consolatorem Israel, omninmque eorum, qui rite ipsum colunt et invocant.*

Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te, in generationibus suis, fœdere sempiterno : ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. *Gen.* 17. 7. *V. et. v.* 1. *Item Exod.* 6. 2.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. *Exod.* 20. 2. *V. Psal.* 80. 11.

Et habito in medio filiorum Israel, eroque eis Deus, et scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos : ego Dominus Deus ipsorum. *Ibid.* 29. 45.

Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea, etc. *Levit.* 26. 11. *V.* 2. *Cor.* 6. 16.

Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus : Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum : protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus. *Psal.* 17. 3.

Miserans miserebitur tui (Deus) : ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi, etc. *Isa.* 30. 19.

Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. *Jerem.* 31. 33. *V. Hebr.* 10. 16.

Et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. *Ibid.* 32. 38.

Et salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, et emundabo eos, et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus. *Ezech.* 37. 23.

DEUS *est Dominus ac Creator cœli et terræ.* *V.* **Creator.**

DEUS *nihil eorum, quæ fecit, odit.*

Diligis enim omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti : nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. *Sap.* 11. 25.

DEUS *est judex totius mundi, reddens unicuique, prout gessit.*

Absit a te (Deus), ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, etc. *Gen.* 18. 25.

Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. *Job* 34. 11.

Et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua. *Psal.* 61. 13.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. *Psal.* 95. 13.

(Deus) non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet : sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate. *Isa.*

11. 3. *V. Matth.* 25. 31. *usque ad finem. Item Act.* 17. 31.

Ego Dominus scrutans cor et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. *Jerem.* 17. 10.

Et reddam eis secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum. *Ibid.* 25. 14.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *Matth.* 16. 27. *Item c.* 25. 31.

Qui reddet unicuique secundum opera ejus. *Rom.* 2. 6.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8. *V. Gal.* 6. 5.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ ; quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex : non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 4. 8.

DEUS. — *Deo soli* **attributa subinde** *in Scripturis, et* **aliis per communicationem,** *tribuuntur, ut :*

.. — *Vocabulum Deus, soli Deo tribuitur.*

Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. *Deut.* 6. 4. *V. Marc.* 12. 29.

Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me, etc. *Ibid.* 32. 39.

Non est sanctus, ut est Dominus : neque enim est alius extra te, et non est fortis, sicut Deus noster. 1. *Reg.* 2. 2.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus. *Psal.* 85. 10. *V. et* 2. *Mach.* 7. 37.

... — *Vocabulum Deus, etiam aliis tribuitur.*

Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit Propheta tuus. *Exod.* 7. 1.

Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, et jurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui. *Ibid.* 22. 8.

Dixit (mulieri) rex : Noli timere : quid vidisti ? Et ait mulier ad Saul : Deos vidi ascendentes de terra. 1. *Reg.* 28. 13.

Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes. *Psal.* 81. 6. *V. Joan.* 10. 34.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt. *Psal.* 46. 10.

DEUS *solus bonus.*

Quid me interrogas de bono ? Unus est bonus, Deus. *Matth.* 19. 17.

Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi solus Deus. *Luc.* 18. 19.

... — *Aliis tribuitur bonitas.*

Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. *Gen.* 1. 31. *V. Eccli.* 39. 21. *Gen.* 3. 6. *c.* 49. 15.

Terra, quam circuivimus, valde bona est. *Num.* 14. 7.

Respondens autem Achis, locutus est ad David : Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei. 1. *Reg.* 29. 9.

Et ait rex (David) : Vir bonus est : et nuntium portans bonum, venit. 2. *Reg.* 18. 27.

Tunc introivit Vagao ad Judith, et dixit : Non vereatur bona puella introire ad dominum meum. *Judith.* 12. 12. *V. v.* 14.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus : Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio. *Psal.* 146. 1.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum : et hauriet jucunditatem a Domino. *Prov.* 18. 22.

Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ : super argentum et aurum, gratia bona. *Ibid.* 22. 1. *V. Eccles.* 7. 2.

Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. *Sap.* 8. 19.

Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit ? et non jucundabitur in bonis suis. *Eccli.* 14. 5.

Omnis arbor bona, fructus bonos facit. *Matth.* 7. 17.

Et respondens Petrus ait Jesu : Rabbi, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula. *Marc.* 9. 4. Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis ? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. *v.* 49.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum : et malus homo de malo thesauro profert malum. *Luc.* 6. 45.

DEUS *solus sanctus.*

Non est sanctus, ut est Dominus : neque enim est alius extra te, etc. 1. *Reg.* 2. 2.

... — *Aliis sanctitas tribuitur.*

(Deus Moysi) : Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum de pedibus tuis;

locus enim in quo stas, terra sancta est. *Exod*. 3. 5. *Item Josue* 5. 15.

Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis. *Ibid*. 12. 16.

Viri sancti eritis mihi : carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus. *Ibid*. 22. 31.

Fecitque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. *Ibid*. 28. 2.

Arietem autem consecrationis tolles, et coques carnes ejus in loco santo. *Ibid*. 29. 31.

Sanctificabisque omnia, et erunt sancta sanctorum : qui tetigerit ea, sanctificabitur. *Ibid*. 30. 29.

Ego enim sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum. *Levit*. 11. 44. *V*. 1. *Petr*. 1. 16.

Cum sancto sanctus eris : et cum robusto perfectus. 2. *Reg*. 22. 26. *V*. *Psal*. 17. 26.

Quæ (scilicet Sunamitis) dixit ad virum suum : Animadverto, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. 4. *Reg*. 4. 9.

Et dixerunt illi (Judith) Ozias, et Presbyteri — Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum. *Judith* 8. 28.

Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo *Psal*. 5. 8.

DEUS *solus fortis.*

Non est sanctus ut est Dominus ; neque enim est alius extra te : et non est fortis, sicut Deus noster. 1. *Reg*. 2. 2.

... — *Aliis fortitudo tribuitur.*

Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel : quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ? *Gen*. 32. 28.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam. *Psal*. 53. 5.

Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua : et non glorietur fortis in fortitudine sua — sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, etc. *Jerem*. 8. 23.

Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem ? et tunc domum illius diripiet. *Matth*. 12. 29. *Item Marc*. 3. 27.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. *Luc*. 11. 21.

Cui (diabolo) resistite fortes in fide : scientes, eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. 1. *Petr*. 5. 9.

DEUS *solus justus.*

Solus es bonus Rex, solus præstans, solus justus, et omnipotens, et æternus, etc. 2. *Mach*. 1. 24.

... — *Alii quoque justi.*

Dixitque Dominus ad eum (Noe) : Ingredere tu, et omnis domus tua in arcam : te enim vidi justum coram me in generatione hac. *Gen*. 7. 1.

Numquid perdes justum cum impio? *Ibid*. 28. 23.

Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. *Psal*. 33. 16.

Justi autem hæreditabunt terram : et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. *Psal*. 36. 29.

Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. *Sap*. 5. 16.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. *Matth*. 1. 19.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. *Ibid*. 10. 41.

Et ibunt hi in supplicium æternum ; justi autem in vitam æternam. *Ibid*. 25. 46. *V*. *Luc*. 1. 6.

Justus autem ex fide vivit. *Rom*. 1. 17. *V*. *Habac*. 2. 4. *Galat*. 3. 11. *Hebr*. 10. 38.

DEUS *solus pius.*

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum ? quia solus pius es, quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo. *Apoc*. 15. 4.

... — *Alii etiam pii.*

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, etc. 1. *Petr*. 2. 9.

DEUS *solus beatus.*

Quem suis temporibus ostendet beatus, et solus potens : Rex regnum et Dominus dominantium. 1. *Tim*. 6. 15.

... — *Alii beati.*

Dixitque Lia — Beatam quippe me dicent mulieres. *Gen.* 30. 13.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, etc. *Psal.* 1. 1. *V. Psal.* 31. 1. 2.

Beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. *Psal.* 40. 10.

Beati immaculati in via, etc. *Psal.* 118. 1.

(Octo tradit Jesus Apostolis beatitudines, dicens) : Beati pauperes spiritu — beati mites, etc. *Matth. c.* 5.

Beatus es Simon Bar-Jona, etc. *Ibid.* 16. 17.

Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. *Ibid.* 24. 46. *V. v.* 45.

Beatam me dicent omnes generationes. *Luc.* 1. 48.

Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, et beatus eris, etc. *Ibid.* 14. 14.

DEUS *solus potens.*

Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, etc. 1. *Tim.* 6. 15.

... — *Alii potentes.*

Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Psal.* 111. 2. *V. Exod.* 18. 21.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. *Luc.* 1. 52.

DEUS *solus immortalis.*

Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, etc. 1. *Tim.* 6. 16.

... — *Aliis tribuitur immortalitas.*

Justitia enim perpetua est et immortalis. *Sap.* 1. 15.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate ! immortalis est enim memoria illius, etc. *Ibid.* 4. 1. *et. c.* 8. 17.

DEUS *facit mirabilia solus.*

Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. *Psal.* 71. 18.

Qui facit mirabilia solus : quoniam in aternum misericordia ejus. *Psal.* 135. 4. *V. et. Eccli.* 11. 4.

... — *Alii quoque faciunt mirabilia.*

Magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel. *Deut.* 34. 12.

Quis est hic, et laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua. *Eccli.* 31. 9.

Verbo Domini continuit cœlum, et dejecit de cœlo ignem ter : sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. *Ibid.* 48. 3.

In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. *v.* 15.

DEUS *solus novit occulta cordis.*

Tu — repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum), etc. 3. *Reg.* 8. 36. *Item* 2. *Par.* 6. 30.

... — *Alii quoque noverunt secreta cordis.*

Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui ? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, etc. 4. *Reg.* 5. 26. *V.* 1. *Reg.* 9. 19.

DEUS *solus peccata dimittit.*

(Dixerunt Scribæ et Pharisæi) : Quis est hic, qui loquitur blasphemias ? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? *Luc.* 5. 21.

... — *Dimittunt alii peccata.*

Amen dico vobis : quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Matth.* 18. 18.

Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, etc. *Joan.* 20. 23.

DEUS. — *Deo soli honor et gloria.*

Ego Dominus : hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo, etc. *Isa.* 42. 8.

Soli Deo honor et gloria, in sæcula sæculorum. Amen. 1. *Tim.* 1. 17.

... — *Aliis quoque tribuuntur honor et gloria.*

Contentus esto gloria, et sede in domo tua : quare provocas malum, ut cadas tu, et Judas tecum ? etc. 4. *Reg.* 14. 10.

Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus (Josaphat), et dedit omnis Juda munera Josaphat : factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et multa gloria. 2. *Paral.* 17. 5.

Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. *Psal.* 149. 9.

Qui probatus est in illo et perfectus est, erit illi gloria æterna : qui potuit trans-

gredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit. *Eccli.* 31. 10.

Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. *Luc.* 14. 10.

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? *Joan.* 5. 44.

DEUS *solus adorandus.*

Ego Dominus Deus vester. Non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum : ego enim sum Dominus Deus vester. *Levit.* 26. 1.

Non adorabis ea (sculptilia). *Deut.* 5. 9. *Item Exod.* 20 5.

Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. *Matth.* 4. 10.

... *Aliis adoratio tribuitur. V.* **Adoratio.**

Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum : quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. *Gen.* 18. 2.

DEUS. — *Deo soli serviendum.*

Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. *Deut.* 6. 13. *Item c.* 10. 20. 1. *Reg.* 7. 3. *Matth.* 4. 10. *Luc.* 4. 8.

... *Aliis autem post Deum serviendum.*

Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. *Gen.* 25. 23.

Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis : et videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine. *Ibid.* 29. 20.

Qui autem fideles habent dominos, non contemnat, quia fratres sunt : sed magis serviant, quia fideles sunt, et dilecti, qui beneficii participes sunt. 1. *Tim.* 6. 2.

DEUS, *cujus mali causa sit, et cujus non sit. V.* **Malum.**

DEUS *est honorandus ex corde, per debitam dilectionem.*

Honora Deum ex tota anima tua. *Eccli.* 7. 33.

Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocautomata, et vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus hircorum pinguium? *Mich.* 6. 6. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *v.* 8.

Regi autem sæculorum, immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. 1. *Tim.* 1. 17.

DEUS ... *per devotam laudationem.*

Ipse est laus tua et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, et terribilia, quæ viderunt oculi tui. *Deut.* 10. 21.

Laudabo nomen Dei cum cantico. *Psal.* 68. 31. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem, et ungulas. *v.* 32.

Afferte Domino gloriam et honorem. *Psal.* 28. 2.

Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. *Psal.* 33. 2. Magnicate Dominum mecum : et exaltemus nomen ejus in idipsum. *v.* 4.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ. *Psal.* 47. 11.

Immola Deo sacrificium laudis. *Psal.* 49. 14. Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? *v.* 16. Sacrificium laudis honorificabit me. *v.* 23.

Septies in die laudem dixi tibi. *Psal.* 118. 104.

Non est speciosa laus in ore peccatoris. *Eccli.* 15. 9.

Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini. *Ibid.* 39. 41.

Glorificantes Dominum, quamtumcumque potueritis : supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute. *Ibid.* 43. 32.

Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te, Deum salvatorem meum. *Ibid.* 51. 1. *V. per totum Caput.*

Quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. *Isa.* 12. 2.

Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me : cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis : ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, et stupendo : peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et

intellectus prudentium ejus abscondetur. *Ibid.* 29. 13. 14.

Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. *Ibid.* 42. 12.

Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. *Ibid.* 43. 21.

Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. *Thren.* 3. 41.

Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis : super triticum et vinum ruminabant, recesserunt a me. *Oseæ* 7. 14.

Aufer a me tumultum carminum tuorum : et cantica lyræ tuæ non audiam. *Amos* 5. 23.

Hypocritæ ! bene prophetavit de vobis Isaias, dicens : Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me. *Matth.* 15. 7.

Dico vobis : quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. *Luc* 19. 40.

Psallam spiritu, psallam et mente. 1 *Cor.* 14. 15.

Sed impleamini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino : gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri : subjecti invicem, in timore Christi. *Ephes.* 5. 18.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. *Coloss.* 3. 16.

Tristatur aliquis vestrum ? oret : æquo animo est ? (aliquis ?) psallat. *Jacob.* 5. 13.

Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus : et qui timetis Deum, pusilli et magni. *Apoc.* 19. 5.

DEUS ... *per dignam oblationem, quæ sit bona sine defectu. V. et* **Oblatio.**

Homo de domo Israel, et de advenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, et ovibus, et ex capris : si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile. *Levit.* 22. 18. *et seq.*

Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. *Deut.* 16. 17. 16.

Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi 1. *Paral.* 29. 14.

Voluntarie sacrificabo tibi : et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. *Psal.* 53. 8.

Bono animo gloriam redde Deo : et non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas. *Eccli.* 35. 10.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est ? et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est ? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 1. 8. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino : quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus. *v.* 14.

DEUS... — ... *pura sine peccato.*

Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento (malæ acquisitionis) fiet, nec quidquam fermenti — adolebitur in sacrificio Domini. *Levit.* 2. 11.

De manu alienigenæ non offeritis panes Deo vestro. *Ibid.* 22. 25.

Non offeres mercedem prostituli. *Deut.* 23. 18.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus. *Psal.* 50. 19.

Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia. *Prov.* 15. 8.

Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur in scelere. *Ibid.* 21. 27.

Ne dicas : In multitudine numerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo Altissimo, munerea mea suscipiet. *Eccli.* 7. 11.

Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata. *Ibid.* 34. 21. Dona iniquorum non probat altissimus. *v.* 23.

Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. *Ibid.* 35. 2. (*V. et* 1. *Reg.* 15. 22.) Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. *v.* 8. Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. *v.* 9. Noli offerre munera prava : non enim susci-

piet illa. Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. *v.* 14. 15.

Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. *Isa.* 1. 11. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra : Incensum abominatio est mihi. *v.* 12. Et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. *v.* 15.

Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? *Jerem.* 11. 15.

Hostias offerent, immolabunt carnes et comedent, et Dominus non suscipiet eas : nunc recordabitur iniquitatis eorum. *Oseæ* 8. 13.

Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei : Sacrificia eorum quasi panis lugentium : omnes, qui comedunt eum, contaminabuntur. *Ibid.* 9. 4.

Quod si obtuleritis mihi holocautomata, et munera vestra non suscipiam; et vota pinguium vestrorum non respiciam. *Amos.* 5 22.

In vanum autem me colunt, docentes doctrinas et præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, et calicum, et alia his similia facitis multa. *Marc.* 7. 7.

DEUS ... — ... *justa sine rapina.*

Honora Dominum de tua substantia (non alterius), et de primitiis omnium frugum tuarum da ei. *Prov.* 3. 9.

Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata. *Eccli.* 34. 21. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum : nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. *v.* 23. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum : quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. *v.* 24.

Noli offerre munera prava : non enim suscipiet illa. Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. *Ibid.* 35. 13. 14. (Nullam habet Dominus personæ rationem adversus inopem, sed) deprecationem læsi exaudiet. *v.* 16.

Quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto. *Isa.* 61. 8.

Et intulistis de rapinis munus : numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? *Malach.* 1. 13.

DEUS *quærendus celeriter.*

Lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum et confirmamini : quærite faciem ejus semper. *Psal.* 104. 3.

Quærite Dominum dum inveniri potest: invocate eum dum prope est. *Isa.* 55. 6.

Et quæramus, et revertamur ad Dominum. *Thren.* 3. 40.

Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati : quærite justum, quærite mansuetum : si quo modo abscondamini in die furoris Domini. *Sophon.* 2. 3.

DEUS... *cordialiter.*

Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Præbete igitur corda vestra, et animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum. 1. *Paral.* 22. 19.

In toto corde meo exquisivi te. *Psal.* 118. 10.

Qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia. *Prov.* 28. 5.

Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum *Sap.* 1. 1.

Si quæritis, quærite. *Isa.* 21. 12.

Quærite bonum, et non malum, ut vivatis. *Amos.* 5. 14.

Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. *Philipp.* 2. 21.

DEUS... *utiliter.*

Si quæsieris eum, invenies : si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. 1. *Paral.* 28. 9.

Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo, Si quæsieritis eum, invenietis : si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 2. *Paral.* 15. 2.

Quærite Deum, et vivet anima vestra. *Psal.* 68. 33.

Exultent et lætentur in te omnes, qui quærunt te. *Psal.* 69. 5.

Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata : et protector est omnibus exquirentibus se in veritate *Eccli.* 2. 13.

Non dixi semini Jacob : Frustra quærite me. *Isa.* 45. 19.

Quæsierunt me, qui ante non iterrogabant : invenerunt, qui non quæsierunt me. *Ibid.* 65. 1.

Cum quæsieritis me in toto corde vestro. Et inveniar a vobis, ait Dominus. *Jerem.* 29. 13. 14.

Quærite me, et vivetis. *Amos* 5. 4. Quærite Dominum, et vivete. *v.* 6.

DIABOLUS *semper quærit perditionem hominum.*

Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. *Gen.* 3. 1.

Consurrexit autem Satan contra Israel : et concitavit David, ut numeraret Israel. 1. *Par.* 21. 1.

(Satanas, obtenta a Deo facultate, percutit Job ulcere pessimo, cui etiam propria uxor insultat). *Job c.* 2. *V. et. c.* 1.

Et ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini ; et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. *Zach.* 3. 1.

Et accedens tentator, dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, etc. *Matth.* 4. 3.

Venit malus, et rapit quod seminatum est. *Matth.* 13. 19. *V et v.* 25. *Item Marc.* 4. 15.

Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt : deinde venit Diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. *Luc.* 8. 12.

Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. *Ibid.* 22. 31.

Dixit autem Petrus : Anania ! cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri ? *Act.* 5. 3.

Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. 2. *Cor.* II. 14.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. *Ephes.* 6. 11.

Quoniam voluimus venire ad vos : ego quidem Paulus, et semel, et iterum, sed impedivit nos Satanas. 1. *Thess.* 2. 18.

Sobrii estote et vigilate : quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite, etc. 1. *Petr.* 5. 8. *V. Act.* 13. 8.

Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini : et habebitis tribulationem diebus decem. *Apoc.* 2. 10.

Et Satanas, qui seducit universum orbem. *Ibid.* 12. 9.

Et cum consummati fuerint mille anui, solvetur Satanas de carcere suo : et exibit, et seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. *Ibid.* 20. 7.

DIABOLUS *non plura potest, quam ei Deus permittit.*

Et ille ait (mendax) : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis : egredere ; et fac ita. 3. *Reg.* 22. 22. *Item* 2. *Paral.* 18. 20.

Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt : tantum in eum ne extendas manum tuam. *Job.* 1. 11.

Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce in manu tua est ; verumtamen animam illius serva. *Ibid.* 2. 6.

Dæmones autem rogabant eum, dicentes : Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. *Matth.* 8. 31. *Item Marc.* 5. 12.

Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. *Apoc.* 20. 7.

DIABOLUS *Pater et Princeps mundi, et omnium impiorum.*

Omne sublime videt : ipse est rex super universos filios superbiæ. *Job* 41. 25.

(Ait Diabolus Christo) : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. *Matth.* 4. 9. *Item Luc.* 4. 6.

Vos ex patre Diabolo estis : et si desideria patris vestri vultis facere, etc. *Joan.* 8. 44 *V* 1. *Joan.* 3. *v.* 8. *et* 10.

Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. *Ibid.* 12. 31.

Jam non multa loquar vobiscum : venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. *Ibid.* 14. 30.

Princeps hujus mundi jam judicatus est. *Ibid*, 16. 11.

Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, etc. 2. *Cor.* 4. 4.

Secundum principem potestatis aeris

hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, etc. *Eph.* 2. 2. *V.* 1. *Joan.* 3. 8.

Adversus mundi rectores tenebrarum harum, etc. *Ibid.* 6. 12.

DIABOLUS. — *Diaboli imperium, per Christum sublatum.*

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. *Gen.* 3. 15.

Philisthæis contra Israel ad pugnam congregatis, Goliath gigantem, in armis et fortitudine confidentem, inermis David sola occidit funda : præcisumque caput, diffusis Philisthæis, ad Saulem tulit). 1. *Reg. c.* 17.

Spiritus ejus ornavit cœlos : et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. *Job.* 26. 13.

Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti. *Isa.* 9. 4. *V. Zach.* 3. 2.

Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? *Ibid.* 14. 12.

In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum; et occidet cetum, qui in mari est. *Ibid.* 27. 1.

Morsus tuus ero, inferne, etc. *Oseæ* 13. 14. *V.* 1. *Cor.* 15. 54.

Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. *Luc.* 10. 18.

Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. *Joan.* 12. 31.

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. *Coloss.* 1. 13. *V. Matth.* 12. 29.

Et expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. *Ibid.* 2. 15. *V. Luc.* 11. 22.

Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium (id est Diabolum). *Hebr.* 2. 14. *V* 2. *Tim.* 1. 10.

Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem : et projectus est in terram, etc. *Apoc.* 12. 9. *V. c.* 20. 2.

DIABOLUS. — *Diaboli filii.*

Vos ex patre Diabolo estis : et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus. *Joan* 8. 44.

O plene omni dolo et omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas *Act.* 13. 10.

In hoc manifesti sunt filii Dei et filii Diaboli. Omnis, qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum. *Joan.* 3. 10.

DIACONI.

Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus. *Act.* 6. 3.

Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. *Ibid.* 21. 8.

Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro. *Philipp.* 1. 1.

Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes : habentes mysterium fidei in conscientia pura (scilicet oportet esse). 1. *Tim.* 3. 8. 9.

DIANA *colitur Ephesi, et in universa Asia. Act.* 19. 27.

DIES *novissimus, et Judicium extremum. V. et.* **Jndicium extremum.**

Dominum formidabunt adversarii ejus : et super ipsos in cœlis tonabit : Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 1. *Reg.* 2. 10.

Noli fatigari. Cum enim venerit dies pressuræ, et angustiæ, alii plorabunt, et tristes erunt : tu autem hilaris et copiosa eris. 4. *Esdr.* 2. 27.

Et erit, cum fient hæc : et contingent signa, quæ ante ostendi tibi, et tunc revelabitur filius meus, quem vidisti ut virum ascendentem. *Ibid.* 13. 32.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : quoniam venit judicare terram. *Psal.* 95. 13.

Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis

Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. *Isa.* 2. 19.

Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium : vox sonitus regum, gentium congregatarum, etc. *Ibid.* 13. 4. Ululate, quia prope est dies Domini : quasi vastitas a Domino veniet, etc. *v.* 6. Ecce dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudine, et peccatores ejus conterendos de ea. *v.* 9. *V. et. c.* 26. 21. *c.* 30. 30.

Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus : reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. *Ibid.* 66. 15. *Item Jerem.* 30. 23.

Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus : tempusque tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur. *Jerem.* 30. 7.

Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ : quia venit dies Domini, quia prope est. Dies tenebrarum, et caliginis, dies nubis et turbinis, etc. *Joel* 2. 1.

Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis? dies Domini ista, et tenebræ et non lux. *Amos* 5. 18.

Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis : vox diei Domini amara : tribulabitur ibi fortis. *Soph.* 1. 14. *V. et. v.* 2.

Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus : et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, et germen. *Malach.* 4. 1. *V.* 4. *Esdr.* 2. 27.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationnem de eo in die judicii. *Matth.* 12. 36.

Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem : et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. *Ibid.* 13. 41.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis. *Matth.* 16. 27. *V. c.* 24. 30. *et. c.* 25. 31. *Item Marc.* 13. 26. *Luc.* 17. 30. *Act.* 1. 11. *c.* 17. 31. 2. *Thessal.* 1. 7. *Tit.* 2. 13. 2. *Petr.* 3. 13. *Judæ v.* 14.

Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. *Rom.* 2. 5.

Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi. *Ibid.* 14. 10.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum. 1. *Cor.* 5. 10.

Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. 1. *Thess.* 5. 2.

Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. *Apoc.* 1. 7.

DIES *Domini.*

Noli fatigari. Cum enim venerit dies pressuræ, et angustiæ, alii plorabunt et tristes erunt : tu autem hilaris et copiosa eris. 4. *Esdr.* 2. 27.

Ululate, quia prope est dies Domini : quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet et conteretur. *Isa.* 13. 6.

Væ, quia magna dies illa, nec est similis ejus : tempusque tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur. *Jerem.* 30. 7.

Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitarores terræ : quia venit dies Domini, quia prope est. Dies tenebrarum et calignis, dies nubis et turbinis, etc. *Joel* 2. 1. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem : antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. *v.* 31.

Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ et non lux. *Amos* 5. 18.

Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis : vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, etc. *Sophon.* 1. 14

Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus : et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. *Malach.* 4. 1.

Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. *Philipp.* 1. 6.

Verbum vitæ continentes ad gloriam

meam in die Christi : quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. *Ibid.* 2. 16.

Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. 1. *Thess.* 5. 2.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. 1. *Tim.* 4. 8.

DIES *Domini, et hora nulli cognita.*

De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater. *Matth.* 24. 36. *Item Marc.* 13. 32. Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua ignorat. *v.* 50.

Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua. *Luc.* 17. 24. *V. Matth.* 24. 27.

Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Act.* 1. 7.

Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient ; elementa vero calore solventur ; terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. 2. *Petr.* 1. 10. *V.* 1. *Thess.* 5. 2.

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te. *Apoc.* 3. 2. *V. c.* 16. 15.

DIES *pro annis.*

Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram : annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam. *Num.* 14. 34.

Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundo : et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus : diem pro anno ; diem, inquam, pro anno dedi tibi. *Ezech.* 4. 6.

DILECTIO *Dei erga suos.*

Ego sum Dominus Deus tuus — faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. *Exod.* 20. 6. *V. Deut.* 5. 10.

Sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris : eduxitque vos in manu forti, et redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis, etc. *Deut.* 7. 8.

Dixitque Josue ad populum : Non poteritis servire Domino : Deus enim sanctus et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. *Josue.* 24. 19.

Ego diligentes me diligo : et qui mane vigilant ad me, invenient me. *Prov.* 8. 17.

Quoniam in tentatione ambulat cum eo. et in primis eligit eum. *Eccli.* 4. 18.

Oculi Domini super timentes eum. *Ibid.* 34. 19. *V. Psal.* 33. 16.

Et in caritate pêrpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans. *Jerem.* 31. 3.

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 16.

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. *Joan.* 10. 11. *V. Isa.* 40. 11.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. *Ibid.* 15. 9.

Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. *Ibid.* 16. 27.

Commendat autem caritatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. *Rom.* 5. 8.

Scimus autem, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. *Ibid.* 8. 28.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi . et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. *Eph.* 5. 1.

In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas : non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, etc. 1. *Joan.* 4. 9. *V. et Joan.* 13. 34.

DILECTIO. — *Diligendus est Deus super omnia. V. et.* **Caritas.**

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota fortitudine tua, *Deut.* 6. 5. *Item c.* 10. 12. *c.* 11. 13 *et* 22. *et c.* 30. 6.

Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus, et cæremonias, judicia atque mandata omni tempore, etc. *Ibid.* 11. 1.

Ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei,

ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. *Josue.* 22. 5.

Diligam te, Domine, fortitudo mea. *Psal.* 17. 2.

In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit : et ministros ejus ne derelinquas. *Eccli.* 7. 32.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. *Matth.* 10. 37. *V. Luc.* 14. 26.

Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, etc. *Ibid.* 22. 37. *V. Marc.* 12. 30. *Luc.* 10. 27.

Remittuntur ei (Magdalenæ) peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luc.* 7. 47.

(Petrus respondit Domino sæpius roganti : Amas me)? Etiam, Domine : tu scis, quia amo te. *Joan.* 21. 15. *usq. ad finem.*

Scimus autem, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. *Rom.* 8. 28.

Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum : non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. 1 *Cor.* 10. 20.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha. 1. *Cor.* 16. 22.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 1. *Joan.* 4. 19.

DILECTIO. — *Diligendus inimicus.*

Quid venistis ad me, hominem quem odistis, et expulistis a vobis? (Sic ait Isaac ad inimicos suos; et tamen postea fecit eis convivium, et dimisit eos pacifice in domum suam). *Gen.* 26. 27.

Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus, etc. (Sic Joseph non ultus est malum a fratribus illatum, sed ostendit, se eos diligere). *Ibid.* 45. 5. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos. *v.* 15.

Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. *Exod.* 23. 4. *V. et. Deut.* 22. 1.

Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Lev.* 19. 18.

(Cum David invenisset Saul inimicum suum solum in spelunca, cumque potuisset tuto occidere, imo ad hoc a servis suis fuisset animatus : ei tamen nil mali intulit, sed respondit) : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem : (et non permisit servos suos consurgere in Saul). 1. *Reg.* 24. 4. *V. et. simile cap.* 26. *per totum.*

(Idem David servo inimici sui Saul præbet cibum, et potum). *Ibid.* 30. 11. (Qui etiam, nuntiata morte Saulis, scidit vestimenta sua, et planxit). 2. *Reg.* 1. 11.

(David sedulo inquisivit, num supersit aliquis de domo Saul inimici sui, ut faciat cum illo misericordiam). *Ibid.* 9. 1.

(David parcit Semei, licet multis et magnis injuriis ab eo fuisset affectus). *Ibid. c.* 16. *per totum V. et. cap.* 19. 22.

(David diligit filium Absalom, licet rebellem, et hostem suum mandatque militibus) : Servate mihi puerum Absalom. *Ibid.* 18. 5. (Quem etiam mortuum valde doluit et planxit). *v.* 33.

Dixitque rex Israel ad Eliseum, cum vidisset eos : Numquid percutiam eos, pater mi? At ille ait : Non percuties : neque enim cepisti eos gladio et arcu tuo, ut percutias : sed pone panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant, et vadant ad dominum suum. 4. *Reg.* 6. 21.

Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, et exultavi, quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. *Job* 31. 29. 30.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitierit, da ei aquam bibere. *Prov.* 25. 21.

Ne dicas : Reddam malum : expecta Dominum, et liberabit te. *Prov.* 20. 22. *V. c.* 16. 7. *c.* 24. 17. *Item Eccli.* 28. 1. *et* 2. *etc.*

Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Eccli.* 28. 2.

Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos : et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. *Matth.* 5. 44. *Item Luc.* 6. 27.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. *Ibid.* 6. 14.

Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? *Ibid.* 18. 33. *V. Matth.* 5. 44. *Luc.* 6. 32.

Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem : ut et Pater vester, qui est in cœlis, dimittet

vobis. *Marc.* 11. 25. *V. Luc.* 6. 32. *et* 35.

Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes, et erit merces vestra multa. *Luc.* 6. 35.

Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt : (Sic Christus ignoscit crucifixoribus). *Luc.* 23. 24. *Item Matth.* 26. 50. (diligit Judam proditorem suum, eumque vocat amicum).

(Sanctus Stephanus positis genibus orat pro lapidantibus se), dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Act.* 7. 59.

Nulli malum pro malo reddentes. *Rom.* 12. 17. *V. Prov.* 17. 13. *c.* 25. 21. 1. *Thess.* 5. 15. 1. *Petr.* 3. 9. *V. et sequentes titulos minores.*

Mihi vindicta : ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. *Rom.* 12. 19. *V. Deut.* 32. 35.

DILECTIO. — *Diligendus proximus. V. et.* **Caritas fraterna.**

(Reprehensus est Cain a Domino graviter, et punitus, quia contra fratrem suum inique egit, et se non esse custodem ejus dixit). *Gen.* 4. 9.

Diliges amicum (proximum) tuum sicut teipsum. *Levit.* 19. 18. *V. Matth.* 22. 39. *Marc.* 12. 31.

Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis : sed reduces fratri tuo. *Deut.* 22. 1. *V. Exod.* 23. 4.

Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. 1. *Reg.* 18. 1.

(Tantam dilectionem vult Dominus erga proximum nos habere, ut dixerit Petro : Non esse dimittendum septies peccanti fratri), sed usque septuagies septies. *Matth.* 18. 22.

Diliges — et proximum tuum sicut te ipsum. *Luc.* 10. 27. *V. et. ibidem in sequentibus versibus dilectionem Samaritani erga proximum suum.*

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15. 13.

Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. *Ibid.* 13. 34. *V. et. c.* 15. 17.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit. *Rom.* 13. 8. *V. et. Gal.* 5. 14. 1. *Tim.* 1. 5. *Jac.* 2. 8.

Ambulate in dilectione. *Ephes.* 5. 2. *V.* 1. *Joan.* 3. 11. *et* 14. *c.* 4. 7.

Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. *Philipp.* 2. 4.

Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. 1. *Thess.* 2. 7.

Caritas fraternitatis maneat in vobis. *Hebr.* 13. 1.

Simplici ex corde invicem diligite attentius. 1. *Petr.* 1. 22.

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. 1. *Joan.* 2. 10.

Et nos debemus pro fratribus animas ponere, etc. *Ibid.* 3. 16.

Carissimi, diligamus nos invicem : quia caritas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. *Ibid.* 4. 7. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est. *v.* 12. *V. et. v.* 21.

DILECTIO *exigitur ad peccatorum remissionem.*

Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. *Prov.* 16. 7.

Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. *Eccli.* 28. 1. Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur. *v.* 2. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam? *v.* 3. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? *v.* 4. Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius? *v.* 5. Memento novissimorum, et desine inimicari. *v.* 6.

Si enim dimiseritis hominibus peccata sua, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Matth.* 6. 14.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. *Ibid.* 18. 35.

DILECTIO... *ad regni cœlorum adeptionem.*

Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestro — ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est : qui solem suum oriri facit super bonos et malos; et pluit super

justos et injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? Nonne et publicani hoc faciunt? etc. *Matth.* 5. 44. 45. 46.

Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. *Luc.* 6. 32. Verumtamen diligite inimicos vestros — et eritis filii Altissimi. *v.* 35.

DILECTIO *perficitur corde.*

Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, et exultavi, quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animan ejus. *Job* 31. 29.

Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prov.* 17. 5.

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exultet cor tuum : nec forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. *Ibid.* 24. 17.

Noli de mortuo inimico tuo gaudere; sciens, quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. *Eccli.* 8. 8.

Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. *Ibid.* 10. 6.

DILECTIO... *et ore.*

Et pro transgressoribus rogavit. *Isa.* 53. 12. *V. Luc.* 23. 34.

Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. *Luc.* 25. 34.

Orate pro persequentibus et calumniantibus vos. *Matth.* 5. 44.

Benedicite persequentibus. *Rom.* 12. 14.

Positis autem genibus, clamavit voce magna (Stephanus), dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Act.* 7. 59.

DILECTIO... *et opere.*

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum si sitierit, da ei aquam bibere : prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. *Prov.* 25. 21. *V. et Rom.* 12. 20.

Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia ? siquidem et peccatores hoc faciunt, etc. *Luc.* 6. 33.

Necessitatibus sanctorum communicantes. *Rom.* 12. 13.

DILECTIO *proximi est necessaria.*

Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi. *Eccli.* 13. 19. Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. *v.* 20.

Et mandavit illis unicuique de proximo suo. *Ibid.* 17. 12.

De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis. Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. 1. *Thess.* 4. 9.

Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. 1. *Joan.* 3. 14.

Carissimi, diligamus nos invicem — Qui non diligit, non novit Deum. *Ibid.* 4. 7. Carissimi, si sic Deus dilexit nos : et nos debemus alterutrum diligere. *v.* 11. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere ? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. *v.* 20. *V. per totum caput.*

DILECTIO... *est fructuosa.*

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes (in bonum). *Eccli.* 25. 1.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. *Matth.* 18. 19.

In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ. *Ibid.* 22. 40.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. *Rom.* 13. 8. Plenitudo ergo legis est dilectio. *v.* 10. *V et Joan.* 4. 16. *per totum caput.*

Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Gal.* 5. 14.

DILECTIO... *ordinata, ut diligatur cum virtute.*

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. *Matth.* 10. 37. *V Luc.* 14. 26.

Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joan.* 13. 44.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Ibid.* 15. 17.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. *Rom.* 15. 2.

Et consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum. *Hebr.* 10. 24.

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. 1. *Joan.* 2. 10.

DILECTIO... — ... *fructuose.*

Dilectio sine simulatione. *Rom.* 12. 9. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. *v.* 15.

Nemo, quod suum est, quærat, sed quod alterius. 1. *Cor.* 10. 24.

Semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. 1. *Thess.* 5. 15.

Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius. 1. *Petr.* 1. 22.

DILECTIO... — ... *cum affectu dulci supportando.*

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. *Tob.* 4. 16. V. *Matth.* 7. 12. *Luc.* 6. 31.

Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? *Malach.* 2. 10.

Dilectio proximi malum non operatur. *Rom.* 13. 10.

Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmiorum sustinere, et non nobis placere. *Ibid.* 15. 1.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Galat.* 6. 2.

Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate. *Ephes.* 4. 1.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. *Philipp.* 2. 3. *et* 4.

DILECTIO... — ... *utiliter subveniendo.*

Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli.* 7. 39. *V. et v.* 38.

Qui petit a te, da ei : et volenti mutuari a te ne avertaris. *Matth.* 5. 42.

Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex. *Ibid.* 7. 12. *V. Luc.* 6. 31.

In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Marc.* 4. 24.

Et quis est meus proximus? *Luc.* 10. 29. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? *v.* 36. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait Jesus : Vade, et tu fac similiter. *v.* 37.

Sed per caritatem spiritus servite invicem. *Galat.* 5. 13.

Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicuti boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 1. *Petr.* 4. 10.

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit : et nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. *Joan.* 3. 16.

DISCIPLINA *ferenda humiliter.*

Si justus in terra recipit, quanto magis impius, et peccator? *Prov.* 11. 31.

Egestas et ignominia ei, qui deserit disciplinam : qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. *Ibid.* 13. 18. *V. et v.* 8.

Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur. Hos quidem tanquam pater monens probasti : illos autem tanquam durus rex interrogans, etc. *Sap.* 11. 10.

Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. *Jerem.* 2. 30.

Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam. *Ibid.* 5. 3.

Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam. *Ibid.* 7. 28.

Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam. *Soph.* 3. 2.

DISCIPLINA... *perseveranter.*

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias : nec deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit : et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* 3. 11. *V. Apoc.* 3. 19.

Tene disciplinam, ne dimittas eam.

Custodi illam, quia ipsa est vita tua. *Ibid.* 4. 13.

Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est : et vacua spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. *Sap.* 3. 11.

Congregate vos in domum disciplinæ. *Eccli.* 51. 31.

Fili mi, noli negligere disciplinam Domini : neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus : quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis. *Hebr.* 12. 5. *et seq.*

DISCIPLINA *malitiam refrœnat.*

Et disciplina tua correxit me in finem. *Psal.* 17. 37.

Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in gentibus, cum dispersero vos in terris : et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captivi ducti sunt, quia contrivi cor eorum. etc. *Ezech.* 6 8.

Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te. *Baruch* 3. 1.

Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. 2. *Mach.* 6. 13.

DISCIPLINA *culpam purgat.*

Via vitæ custodienti disciplinam, etc. *Prov.* 10. 17.

Heu, ergo consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis, et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. *Isa.* 1. 24.

Quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum Non enim humiliavit in corde suo, et abjecit filios hominum. *Thren.* 3. 32.

Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. *Mich.* 7. 9.

Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur, 1. *Cor.* 11. 32.

DISCIPLINA *gratiam conservat.*

Qui diligit disciplinam, diligit scientiam. *Prov.* 12. 1.

Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. *Eccli.* 11. 29.

Ego quos amo, arguo et castigo. *Apoc.* 3. 19.

DISCORDIA, *Lites, Rixæ sunt vitandæ.* — *V.* **Contentio.**

Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Lot. *Gen.* 13. 7. Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos, etc. *v.* 8. *V. et c.* 26. 16.

(Occasione Dinæ, filiæ Jacob, quam Sichem filius Hemor rapuit et oppressit, facta est discordia maxima inter filios Jacob et habitatores terræ illius). *Ibid. c.* 34.

(Duæ mulieres meretrices litigabant coram rege Salomone occasione unius infantis, quem utraque volebat habere). 3. *Reg. c.* 3.

Proferentem mendacia, testem fallacem, et eum, qui seminat, iuter fratres discordias (odit Dominus). *Prov.* 6. 19.

Odium suscitas rixas : et universa de licta operit caritas. *Ibid.* 10. 12.

Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est mitigat suscitatas. *Ibid.* 15. 18. *V.* 1. *Cor.* 13. 4. 1. *Petr.* 4. 8.

Homo perversus suscitat lites : et verbosus separat principes. *Ibid.* 16. 28.

Semper jurgia quærit malus : angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Ibid.* 17. 11.

Labia stulti miscent se rixis : et os ejus jurgia provocat. *Ibid.* 18. 6.

Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum : et qui vehementer emungit, elicit sanguinem : et qui provocat rixas, producit discordias. *Ibid.* 30. 33.

Væ mihi, mater mea : quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam : omnes maledicunt mihi. *Jerem.* 15. 10.

Omne regnum divisum contra se, desolabitur : et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. *Matth.* 12. 25.

Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. *Luc.* 11. 17. Si autem et Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? *v.* 18. *V. Matth.* 12. 25.

Facta est autem contentio inter eos (discipulos), quis eorum videretur esse major. (Sed Dominum non permisisse talem contentionem, patet per ea, quæ sequuntur). *Ibid.* 22. 24.

Non est enim dissensionis Deus, sed pacis : sicut et in omnibus ecclesiis sanctorum doceo. 1. *Cor.* 14. 33.

Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita : sciens quia generant lites. 2. *Tim.* 2. 23. *V.* 1. *Tim.* 1. 4. *Tit.* 3. 9.

Quod si invicem mordetis et comeditis : videte ne ab invicem consumamini. *Gal.* 5. 15.

DISCRETIO. *V.* **Prudentia.**

DISCRIMEN *inter peccatum mortale et veniale V.* **Peccatum.**

DIVINI. *V.* **Incantores.**

DIVITIÆ. — *Divites hujus mundi quomodo se erga pauperes habere debeant. V. et.* **Eleemosyna.**

Si attenuatus fuerit frater tuus et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, etc. *Levit.* 25. 35.

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem devenerit : non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum tuam, etc. *Deut.* 15. 7. Sed dabis ei : nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis, ad quæ manum miseris. *v.* 10.

Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. *Tob.* 4. 8.

Si negavi, quod volebant, pauperibus. — Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. *Job.* 31. 16. 17.

Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Psal.* 61. 11.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis. *Prov.* 14. 31. *Item c.* 17. 5

Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis : et vicissitudinem suam reddet ei. *Ibid.* 19. 17.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur. *Ibid.* 21. 13.

Qui dat pauperi, non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. *Ibid.* 28. 27.

Mitte panem tuum super transeuntes aquas : quia post tempora multa invenies illum. *Eccles.* 11. 1.

Rogationem contribulati ne abjicias : et non avertas faciem tuam ab egeno. *Eccli.* 4. 4.

Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua. *Ibid.* 7. 36.

Propter mandatum assume pauperem : et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. *Ibid.* 29. 12.

Beatus dives, qui inventus est sine macula : et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. *Ibid.* 31. 8.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra : ubi ærugo et tinea demolitur : et ubi fures effodiunt et furantur. *Matth.* 6. 19.

Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Ibid.* 19. 21. *Item Luc.* 18. 22.

Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites : ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facies convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos: et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Luc.* 14. 12. 13. 14.

(Per parabolam de villico iniquitatis, hortatur Jesus ad faciendas eleemosynas ; docens, quid mereatur fidelis et infidelis mammonæ dispensator ; et quod nemo servire potest Deo et mammonæ : ita de divite epulone et Lazaro mendico). *Ibid.* *c.* 16.

Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. *Act.* 4. 34. *V. et. c.* 2. 45.

Divitibus — præcipe — bene agere — facile tribuere, communicare, etc. 1. *Tim.* 6. 17. 18.

DIVITIÆ. — *Divitiarum vanitas et contemptus, et in illis non est sperandum.*

Nec est satiatus venter ejus : et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit, etc. *Job.* 20. 20.

Verumtamen in imagine pertransit homo — Thezaurizat, et ignorat cui congregabit ea. *Psal.* 38. 7. *V. et. Psal.* 48. *per totum.*

Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum : sed speravit in multitudine divitiarum suarum : et prævaluit in vanitate sua. *Psal.* 51. 9.

Nil proderunt thesauri impietatis : justitia vero liberabit a morte. *Prov.* 10. 2.

Non proderunt divitiæ in die ultionis : justitia autem liberabit a morte. *Ibid.* 11. 4. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt : alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt : *v.* 24.

Qui confidit in divitiis suis, corruet. *Ibid.* 11. 28.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, et insatiabiles. *Ibid.* 15. 16.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Ibid.* 22. 16.

Noli laborare, ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum. *Ibid.* 23. 4.

Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Vanitatem et verba mendacia longe fac a me. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria : ne forte satiatus illiciar ad te negandum, et dicam : Quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, et perjurem nomen Dei mei. *Ibid.* 30. 7.

Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis, et hoc ergo vanitas. *Eccles.* 5. 9. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. *v.* 12.

Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat : nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas et miseria magna est. *Ibid.* 6. 2.

Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. *Sap.* 5. 1.

Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita : nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis. *Eccli.* 5. 1.

Nihil est iniquius, quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet : quoniam in vita sua projecit intima sua. *Ibid.* 10. 10.

Qui aurum diligit, non justificabitur : et qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea, etc. *Ibid.* 31. 5.

Perdix fovit quæ non peperit : fecit divitias, et non in judicio : et in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens. *Jerem.* 17. 11. *V. et. v.* 3.

Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. *Ibid.* 22. 13.

Argentum eorum foras projicietur — et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur : quia scandalum iniquitatis eorum factum est. *Ezech.* 7. 19. *Item Soph.* 1. 18.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum (Dei) audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. *Matth.* 13. 22. *Item Luc.* 8. 14.

Videte et cavete ab omni avaritia : quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet. *Luc.* 12. 15.

Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. 1. *Tim.* 6. 9.

Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet. *Jacob.* 1. 11.

DIVITIÆ. — *Contra divites impios. V. et.* **Avaritia.**

Erat autem vir quispiam (Nabal) in solitudine Maon, et possessio ejus in Carmelo, et homo ille magnus nimis : erantque ei oves tria millia, et mille capræ : et accidit, ut tonderetur grex ejus in Carmelo. 1. *Reg.* 25. 2. Respondens autem Nabal pueris David ait : Quis est David? et quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. Tollam

ergo panes meos et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris, quos nescio unde sint? *v.* 10. Tunc ait David pueris (redeuntibus, et nuntiantibus omnia verba, quæ dixerat Nabal) : Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est et David gladio suo : et secuti sunt David quasi quadringenti viri (quibus in occursum venit Abigail uxor Nabal cum panibus et vino, etc. cui ait David). *v.* 13. Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, etc. *v.* 32. Alioquin, vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi : nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem, etc. *v.* 34. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est. *v.* 38.

Quoniam confringens nudavit pauperes : domum rapuit — Nec est satiatus venter ejus; et cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit. Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil permanebit de bonis ejus. Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. *Job* 20. 19. *V. totum Caput.*

(Ostendit quomodo impii ex præsenti vitæ prosperitate, in morte rapiantur a Deo ad supplicia). *Ibid.* 27. 1.

Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum : sed speravit in multitudine divitiarum suarum : et prævaluit in vanitate sua. *Psal.* 51. 9.

Nihil proderunt thesauri impietatis. *Prov.* 10. 2.

Alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. *Ibid.* 11. 24.

Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. *Ibid.* 16. 8.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. *Ibid.* 21. 13.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Ibid.* 22. 16.

Qui coacervat divitías usuris et fœnore, liberali in pauperes congregat eas. *Ibid.* 28. 8. Qui dat pauperi non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. *v.* 27. *V. v.* 20.

Avarus non implebitur pecunia. *Eccles.* 5. 9.

Tunc stabunt justi in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. *Sap.* 5. 1.

Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita : nihil enim proderit in tempore vindictæ, et obductionis. *Eccli.* 5. 1.

Væ, qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci : numquid habitabitis vos soli in medio terræ? *Isa.* 5. 8.

Divitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis. *Jerem.* 15, 13.

Væ, qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio, etc. *Ibid.* 22. 13. *usque ad finem.*

Argentum eorum foras projicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit, etc. *Ezech.* 7. 10. *Idem habetur Soph.* 1. 18.

Væ, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice ad domum Israel. *Amos* 6. 1.

(Propheta sub parabola uncini pomorum, prophetat finem regni Israel imminere, propter pauperum oppressiones : acerbitatem vero imminentis calamitatis explicat, ac festivitates eorum in luctum dicit convertendas, famemque verbi Dei futuram denuntiat). *Ibid. c.* 8.

Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis : quia esurietis, etc. *Luc.* 6. 24.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, et bysso : et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, etc. (Et dives) clamans dixit : Pater Abraham — mitte Lazarum — ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. *Ibid.* 16. 19.

Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere. 1. *Tim.* 6. 17.

Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt : et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. *Jacob.* 5. 1. *et seq.*

DIVITIÆ. — *Divitiarum usus bonus in congregando.*

Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. *Prov.* 10. 22.

Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. *Ibid.* 16. 8.

Noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum. *Ibid.* 23. 4. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere : quia facient sibi pennas, quasi aquilæ, et volabunt in cœlum. *v.* 5.

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. *Eccli.* 13. 30.

DIVITIÆ. — ... *in conservando.*

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Psal.* 61. 11.

Justus comedit et replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis. *Prov.* 13. 25.

Corona sapientium divitiæ eorum : fatuitas stultorum imprudentia. *Ibid.* 14. 24.

Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo , quo laboravit ipse sub sole. *Eccles.* 5. 17. Et omni homini, cui dedit Deus divitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, ut fruatur parte sua, lætetur de labore suo : hoc est donum Dei. *v.* 18.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, et hæc omnia citata in oculis Dei. *Eccli.* 18. 25. 26.

Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, et thesauris. *Ibid.* 31. 8.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: dives autem in humilitate sua. *Jac.* 1. 10.

DIVITIÆ. — ... *in exponendo.*

Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei : et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* 3. 9.

Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria ; ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Prov.* 30. 8.

Nonne melius est comedere, et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis ? Et hoc de manu Dei est. *Eccles.* 2. 24.

Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. *Ibid.* 3. 13.

Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer. *Eccli.* 14. 11.

Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi. *Luc.* 14. 13. *V. Tob.* 4. 7.

Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis : quod verum est, quis credet vobis? *Ibid.* 16. 11.

DIVITIÆ. — *Congregans per fraudem.*

Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera. *Levit.* 19. 35.

Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis; quia rapinas meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur. *Prov.* 24. 1.

Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. *Oseæ.* 12. 7.

Audite hoc, qui conteritis pauperem: et deficere facitis egenos terræ, dicentes : Quando transibit mensis, et venumdabimus merces ; et sabbatum, et aperiemus frumentum : ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas : ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calceamentis, et quisquilias frumenti vendamus? Juravit Dominus in superbiam Jacob : Si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum. Numquid super isto non commovebitur terra, et lugebit omnis habitator ejus ? *Amos* 8. 4. *usq. ad* 8.

DIVITIÆ. — ... *punietur in anima.*

Nihil proderunt thesauri impietatis. *Prov.* 10. 2. *V. c.* 11. 26.

Pondus et pondus, mensura et mensura: utrumque abominabile est apud Deum. *Ibid.* 20. 10. *V. c.* 11. 1.

Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita : nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis *Eccli.* 5. 1.

Multos enim perdidit aurum et argentum. *Ibid.* 8. 3.

Nihil est iniquius, quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet. *Ibid.* 10. 10.

DIVITIÆ. — ... *in substantia.*

Non inveniet fraudulentus lucrum. *Prov.* 12. 27.

Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. *Ibid.* 20. 21.

Qui coacervat divitias usuris et fœnore, liberali in pauperes congregat eas. *Ibid.* 28. 8. Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet : et simplices possidebunt bona ejus. *v.* 10.

Iniquitates vestræ declinaverunt hæc; et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. *Jerem.* 5. 25.

Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. Numquid justificabo stateram impiam, et sacelli pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. *Mich.* 6. 10. 11. 12. Et ego ergo cœpi percutere te — Tu comedes, et non saturaberis. *v.* 13. 14. Tu seminabis, et non metes. *v.* 15.

Væ ei, qui multiplicat non sua! Usquequo et aggravat contra se densum lutum? Numquid non repente consurgent, qui mordeant te : et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? *Habac.* 2. 6.

DIVITIÆ. — *Congregans per rapinam.*

Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum. *Job.* 12. 6.

Venatio leonis onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes. *Eccli.* 13. 23.

Panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, est vir sanguinarius. *Ibid.* 34. 25. Qui aufert in sudore panem, quasi occidit proximum suum. *v.* 26.

DIVITIÆ. — ... *punietur in anima.*

Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis. *Isa.* 9. 5.

Væ, qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. *Jerem.* 22. 13.

Neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10.

DIVITIÆ. — ... ... *in prole.*

Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt. *Job.* 27. 13. 14. 15.

DIVITIÆ. — ... *in substantia.*

Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta : præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet. *Job* 27. 10.

Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere. *Psal.* 61. 11.

Ne attingas parvulorum terminos; et agrum pupillorum ne introeas : propinquus enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te causam illorum. *Prov.* 23. 10.

Pro eo, quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo : domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis : vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. *Amos* 5. 11.

Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris : in luce matutina faciunt illud, quia contra Deum est manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt domos : et calumniabantur virum, et domum ejus; virum et hæreditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam malum : unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. *Mich.* 2. 1. 2. 3.

Desuper tunica pallium sustulistis : et eos, qui transibant simpliciter, convertistis in bellum. Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum; et a parvulis earum tulistis laudem meam : in perpetuum. Surgite et ite, quia non habetis hic requiem. *v.* 8. 9. 10.

Et dixi : Audite, principes Jacob, et duces domus Israel : Numquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum, et diligitis malum : qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum? *Ibid.* 3. 1. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos : et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter

egerunt in adinventionibus suis. *v.* 4. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes (reliquiæ populorum). *Habac.* 2. 8.

DIVITIÆ. — ... *affligitur in conservando.*

Et cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit. *Job* 20. 20.

Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet. *Job* 27. 19. Apprehendet eum quasi aqua inopia : nocte opprimet eum tempestas. *v.* 20.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo — Quoniam cum interierit, non sumet omnia, *Psal.* 48. 17. 18.

Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum : sed speravit in multitudine divitiarum suarum. *Psal.* 51. 9.

Qui abscondit frumenta maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium. *Prov.* 11. 26.

Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima : generavit filium, qui in summa egestate erit. *Eccles.* 5. 12. Miserabilis prorsus infirmitas : quo modo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei, quod laboravit in ventum? *v.* 15. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis. *v.* 16.

Est aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat : nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo : sed homo extraneus vorabit illud. *Ibid.* 6. 2.

Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius. In eo, quod dicit : Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus, et nescit quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquet omnia aliis, et morietur. *Eccli.* 11. 18. *et seq.*

Viro cupido et tenaci, sine ratione est substantia, et homini livido ad quid aurum? *Ibid.* 14. 3. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis. *v.* 5.

Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius. *v.* 6.

Qui merces congregavit, misit eas in sacculum pertusum. *Aggæi* 1. 6.

Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit : et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te : quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. *Luc.* 12. 16. *usque ad* 21.

Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. *Jacob.* 5. 1. 2. 3.

DIVITIÆ. — ... *in exponendo.*

Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. *Prov.* 23. 30.

Væ vobis divitibus, qui habetis (hic) consolationem vestram. *Luc.* 6. 24.

Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua. *Ibid.* 16. 25.

DIVITIÆ. — *Divitiarum utilitas, sed transitoria.*

Amici vero divitum multi. *Prov.* 14. 20.

Substantia divitis urbs roboris ejus : et quasi murus validus circumdans eum. *Ibid.* 18. 11.

Utilior est sapientia cum divitiis — Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. *Eccles.* 7. 12.

Et pecuniæ obediunt omnia. *Ibid.* 10. 19.

Dives commotus confirmatur ab amicis suis : humilis autem cum ceciderit, expelletur et a notis. Diviti decepto multi recuperatores : locutus est superba, et justificaverunt illum. Humilis deceptus est, insuper et arguitur. Locutus est sensate, et non est datus ei locus. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, et dicunt : Quis est hic? et si offenderit, subvertent illum. *Eccli.* 13. 25. *usq. ad* 29.

Laboravit dives in congregatione subs-

tantiæ, et in requie sua replebitur bonis suis. *Ibid.* 31. 3.

Aurum et argentum est constitutio pedum. *Ibid.* 40. 25. Facultates, et virtutes exaltant cor, et super hæc timor Domini. *v.* 26.

DIVITIÆ, *quæ mala faciunt.*

Et devoravit eos terra (scil. terrenus amor). *Exod.* 15. 12.

Usquequo — stulti, ea quæ sibi sunt noxia cupient? *Prov.* 1. 22.

Qui confidit in divitiis suis, corruet. *Ibid* 11. 28.

Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole. Unus est, et secundum non habet non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis : nec recogitat, dicens : Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? *Eccles.* 4. 7.

Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. *Ibid.* 5. 9. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat. Saturitas autem divitis non sinit eum dormire. *v.* 11.

Multos enim perdidit aurum et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. *Eccli.* 8. 3.

Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur, donec consumet arefaciens animam suam. Oculus malus ad mala : et non satiabitur pane, sed indigens, et in tristitia erit super mensam suam. *Ibid.* 14. 9.

Qui quærit locupletari, avertit oculum suum. *Ibid.* 27. 1.

Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives imbecillis, et flagellatus malitia. *Ibid.* 30. 14.

Qui aurum diligit, non justificabitur. *Ibid.* 31. 5. Multi dati sunt in auri casus, et facta est in specie ipsius perditio illorum — Væ illis, qui sectantur illud, et omnis imprudens deperiet in illo. *v.* 6. 7. *V. et. c.* 8. 3.

O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! *Ibid.* 41. 1.

De terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum (propter amorem quem habes). *Isa.* 29. 4.

Propter iniquitatem avaritiæ ejus, iratus sum, et percussi eum : abscondi a te faciem meam et indignatus sum. *Ibid.* 57. 17.

Magnificati sunt et ditati. Incrassati sunt et impinguati : et præterierunt sermones meos pessime. *Jerem.* 5. 27.

Divitias tuas, et thesauros tuos in direptionem dabo. *Ibid.* 15. 13.

Locutus sum ad te, in abundantia tua, et dixisti : Non audiam. *Ibid.* 22. 21.

Ubi sunt — qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines? — Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. *Baruch* 3. 16.

Intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. *Ezech.* 47. 5.

Et in copia rerum omnium occidet plurimos. *Dan.* 8. 25.

Ipsi — diligunt vinacia uvarum. *Oseæ* 3. 1.

Calumniam patiens est Ephraim fractus judicio : quoniam cœpit abire post sordes. *Ibid.* 5. 11.

Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. *Matth.* 6. 21. Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mamonnæ. *v.* 24. *V. Luc.* 16. 13.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. *Ibid.* 13. 22.

Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum *Ibid.* 19. 23.

Dico, inimicos crucis Christi — qui terrena sapiunt. *Philipp.* 3. 18. 19.

Unde bella, et lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris? *Jacob.* 4. 1.

Cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii : derelinquentes rectam viam, erraverunt. 2. *Petr.* 2. 4.

Quia dicis, quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. *Apoc.* 3. 17.

DIVITIÆ *crimina nutriunt.*

Multos enim perdidit aurum et argentum : et usque ad cor regum extendit, et convertit. *Eccli.* 8. 3.

Si dives fueris, non eris immunis a delicto. *Ibid.* 11. 10.

Domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia. *Ibid.* 21. 5.

Nam qui volunt divites fieri, incidunt

in tentationem, et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. 1. *Tim*. 6. 9. 10.

DOCTRINA *Apostolorum scripta et non scripta firmiter tenenda. V. et.* **Traditiones**.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis. *Rom*. 16. 17.

Si quis esurit, domi manducet : ut non in judicium conveniatis. Cætera autem cum venero disponam. 1. *Cor*. 11. 34.

Sed licet nos, aut Angelus de cœlo, evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. *Galat*. 1. 8. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, etc. *v*. 11.

Itaque, fratres, state : et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess*. 2. 14.

DOCTRINA *Apostolorum est Christi doctrina*.

Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit spernit eum, qui misit me. *Luc*. 10. 16. *V*. 1. *Cor*. 14. 37.

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt, etc. 2. *Cor*. 2. 14. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. *v*. 17.

Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, etc. *Gal*. 1. 11. *V. et. Ephes*. 3. 3.

Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione : quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut vere est) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. 1. *Thess*. 2. 13.

DOCTRINA. — *Utilitas doctrinæ quoad docentem*.

Sed et imperitos docete libere. 1. *Esdr*. 7. 25.

Aqua profunda verba ex ore viri : et torrens redundans fons sapientiæ. *Prov*. 18. 4.

Doctrina viri per patientiam noscitur : et gloria ejus est iniqua prætergredi. *Ibid*. 19. 11.

In auribus insipientium ne loquaris : quia despicient doctrinam eloquii tui. *Ibid*. 23. 9.

Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos. *Eccles*. 9. 17.

Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. *Ibid*. 12. 11.

Beatus — qui enarrat justitiam auri audienti. *Eccli*. 25. 12.

Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. *Ibid*. 37. 18.

DOCTRINA. — ... *quoad audientem*.

Docete me, et ego tacebo : et si quid forte ignoravi, instruite me. *Job*. 6. 24.

Doctrinam magis, quam aurum eligite. *Prov*. 8. 10.

Doce justum, et festinabit accipere. *Ibid*. 9. 9.

Cor sapientis quærit doctrinam; et os stultorum pascitur imperitia. *Ibid* 15. 14.

Non cesses, fili, audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. *Ibid*. 19.27.

(Fili mi), inclina aurem tuam, et audi verba sapientium : appone autem cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cum servaveris eam in ventre tuo, et redundabit in labiis tuis : ut sit in Domino fiducia tua. *Ibid*. 22. 17. 18. 19. Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus, et scientia : ut ostenderem tibi firmitatem, et eloquia veritatis respondere ex his illis, qui miserunt te. *v*. 20. 21.

Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et aures tuæ ad verba scientiæ. *Ibid*. 23. 12.

Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. *Eccli*. 3. 31.

Esto mansuetus ad audiendum verbum (Dei), ut intelligas : et cum sapientia proferas responsum verum. *Ibid*. 5. 13.

Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam : et si dilexeris audire, sapiens eris. *Ibid*. 6. 34. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere: ut omnem nar-

rationem Dei possis audire : et proverbia laudis non effugiant a te. Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *v.* 35. 36. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, et in mandatii illius maxime assiduus esto : et ipse dabit cor, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. *v.* 37. *V. c.* 8. 9. *Item Psal.* 1. 2.

Non te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt a patribus suis. Quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum. *Ibid.* 8. 11.

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. *Rom.* 15. 4.

DOCTRINA. — *Fructus docentis.*

Labia justi erudiunt plurimos : qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. *Prov.* 10. 21.

Doctrina sua noscetur vir : qui autem vanus et excors est, patebit contemptui. *Ibid.* 12. 8.

In lingua enim sapientia dignoscitur : et sensus et scientia et doctrina, in verbo sensati, et firmamentum in operibus justitiæ. *Eccli.* 4. 29.

Vir peritus multos erudit, et animæ suæ suavis est. *Ibid.* 37. 22.

DOCTRINA. — *Fructus audientis.*

Audiens sapiens, sapientior erit : et intelligens, gubernacula possidebit. *Prov.* 1. 5.

In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet. *Ibid.* 14. 33.

Fons vitæ, eruditio possidentis : doctrina stultorum, fatuitas. Cor sapientis erudiet os ejus : et labiis ejus addet gratiam Favus mellis, composita verba: dulcedo animæ, sanitas ossium. *Ibid.* 16. 22.

Cor prudens possidebit scientiam : et auris sapientium quærit doctrinam. *Ibid.* 18. 15.

Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo. Sic et doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit. *Ibid.* 24. 13.

Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum, ut possis exprobanti respondere sermonem. *Ibid.* 27. 11.

Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is, qui arat, et seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius. *Eccli.* 6. 18.

DOCTRINA. — *Contemptus doctrinæ.*

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prov.* 1. 7.

Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium, sibi maculam generat. *Ibid.* 9. 7.

Quærit derisor sapientiam, et non invenit : doctrina prudentium facilis. *Ibid.* 14. 6.

Qui evitat discere, incidet in mala. *Ibid.* 17. 16.

Non recipit stultus verba prudentiæ : nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus. *Ibid.* 18. 2.

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. *Ibid.* 25. 20.

Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors. *Eccli.* 6. 21. Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est ejus, et non est multis manifesta : quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. *v.* 23.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. Est autem sapientia, quæ abundat in malo : et non est sensus ubi est amaritudo. *Ibid.* 21. 14. Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum. *v.* 17. 18.

Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam. *Ibid.* 22. 7. 8. 9.

Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. *Ibid.* 23. 22.

Nolite dare sanctum canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos. *Matth.* 7. 6.

DOCTRINA. — *Doctrinæ pravæ effectus quoad docentem.*

Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum. *Job* 13. 4.

Os fatuorum ebullit stultitiam. *Prov.* 15. 2. Labia sapientium disseminabunt scientiam : cor stultorum dissimile erit.

v. 7. Doctrina mala deserenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur. v. 10.

Doctrina stultorum, fatuitas. *Ibid.* 16. 22.

Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam. *Ibid.* 21. 24.

Narratio fatui quasi sarcina in via. *Eccli.* 21. 19.

DOCTRINA. — ... *quoad audientem.*

Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur. *Prov.* 21. 16.

Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? *Luc.* 6. 39.

DOCTRINA. — *Doctrinæ curiosæ malum.*

Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. *Prov.* 25. 27.

Et agnovi, quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus : eo quod in multa sapientia multa sit indignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem. *Eccles.* 1. 17.

Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *Eccli.* 3. 22.

DOCENTES. *V.* **Evangelizans.**

DOLUS.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur : et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Habitatio tua in medio doli : in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. *Jerem.* 9. 6. *Psal.* 34. 20.

Vir autem quidam, nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum, et fraudavit de pretio agri, etc. *Act.* 5. 1.

DOLUS *Deum offendit.*

Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effœminatos. *Job.* 36. 13. 14.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. *Psal.* 5. 7.

Disperdat Dominus universa labia dolosa. *Psal.* 11. 4.

Abominatio Domini est omnis illusor. *Prov.* 3. 32.

DOLUS *proximum fallit.*

Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant : venenum aspidum sub labiis eorum. *Psal.* 5. 11. *V. et. Psal.* 13. 3.

Molliti sunt sermones ejus super oleum : et ipsi sunt jacula. *Psal.* 54. 22.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum. *Psal.* 139. 4. *V. Rom.* 3. 13.

Non omnem hominem inducas in domum tuam : multæ enim sunt insidiæ dolosi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum : sic et cor superborum, et sicut prospector videns casum proximi sui. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis ponet maculam. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis : homo vero peccator sanguini insidiatur. Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala : ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine, et abalienabit te a tuis propriis. *Eccli.* 11. 31. *usq. ad finem.*

Stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuam faciat animam esurientis, et potum sitienti auferat. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium. *Isa.* 32. 6.

Et a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Jerem.* 6. 13.

DOLUS *se ipsum perdit.*

Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. *Psal.* 7. 15. 16. 17.

Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt : in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. *Psal.* 16. 9.

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. *Psal.* 54. 25.

Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam. *Prov.* 3. 34.

Non inveniet fraudulentus lucrum. *Ibid.* 12. 27.

Vir versutus odiosus erit. *Ibid.* 14. 17.

Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet : et simplices possidebunt bona ejus. *Ibid.* 28. 10.

Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet : et plaga dolosa dolosi dividet vulnera. Et qui foveam fodit, incidet in eam : et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo : et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. *Eccli.* 27. 28. 29.

Sagitta vulnerans, lingua eorum ; dolum locuta est : in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente hujusmodi non ulciscetur anima mea? *Jerem.* 9. 8. 9.

Maledictus dolosus. *Malach.* 1. 14.

DOMINUS *imitandus et sequendus.*

Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte (a Christo) monstratum est. *Exod.* 25. 40. *V. Hebr.* 8. 5. *Act.* 7. 44.

Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite. *Deut.* 13. 4.

Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum ; si autem Baal, sequimini illum. 3. *Reg.* 18. 21.

Sequimini me, et ostendam vobis virum, quem quæritis (Christum). (Eliseus, Deus meus Salvator significat). 4. *Reg.* 6. 19.

Vestigia ejus secutus est pes meus, etc. *Job* 23. 11.

Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cantic.* 1. 3.

Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens. *Jerem.* 17. 16.

Ascendet enim pandens iter ante eos. — Et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum. *Mich.* 2. 13.

Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. 1. *Mach.* 2. 27.

At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. *Matth.* 4. 20.

Magister, sequar te, quocumque ieris. *Ibid.* 8. 19. Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *v.* 22. Et ascendente eo (Jesu) in naviculam (crucis), secuti sunt eum discipuli ejus. *v.* 23.

(Ait Jesus Levi) : Sequere me : et surgens secutus est eum. *Ibid.* 9. 9.

Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. *Ibid.* 10. 38.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Ibid.* 16. 24.

Vade, vende quæ habes, et da pauperibus — et veni, sequere me. *Ibid.* 19. 21. Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. *v.* 28.

Tetigit oculos eorum (duorum cæcorum) : et confestim viderunt, et secuti sunt eum. *Ibid.* 20. 34.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. *Joan.* 8. 12.

Oves meæ vocem meam audiunt — et sequuntur me. *Ibid.* 10. 27.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. *Ibid.* 12. 26.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi. *Ephes.* 5. 1.

Sequor autem, si quo modo comprehendam. *Philipp.* 3. 12.

Quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. *Petr.* 2. 21.

Qui dicit se in ipso (Christo) manere ; debet ; sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. 1. *Joan.* 2. 6.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. *Apoc.* 24. 4.

DOMINUS *quærendus.*

Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quæratis Dominum, etc. 1. *Paral.* 22. 19.

Si quæsieritis eum (Deum) invenietis : si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 2. *Paral.* 15. 2. Si quis autem — non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem. *v.* 13.

Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate. 1. *Esdr.* 8. 22.

Quærite Deum, et vivet anima vestra. *Psal.* 68. 33.

Cum occideret eos, quærebant eum : et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. *Psal.* 17. 34.

Lætetur cor quærentium Dominum. *Psal.* 104. 3. Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper *v.* 4.

Surgam et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni. *Cant.* 3. 2.

In simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum : apparet autem eis, qui fidem habent in illum. *Sap.* 1. 1. 2.

Invenitur ab his, qui quærunt illam (Dei sapientiam) : præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. *Ibid.* 6. 13.

Venit mane et nox : si quæritis, quærite. *Isa.* 21. 12.

Quærite Dominum, dum inveniri potest. *Ibid.* 55. 6.

Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. *Ibid.* 65. 1.

Quæretis me, et invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro. Et inveniar a vobis, ait Dominus. *Jer.* 29. 13.

Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis a Deo ; decies tantum iterum convertentes requiretis eum *Baruch.* 4. 28.

Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. *Oseæ* 10. 12.

Quærite me, et vivetis. Et nolite quærere Bethel. *Amos* 5. 4. Quærite Dominum, et vivite : ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui extinguat Bethel. *v.* 6. Quærite bonum, et non malum, ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. *v.* 14.

Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati : quærite justum, quærite mansuetum : si quomodo abscondamini in die furoris Domini. *Soph.* 2. 3.

Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum : vadam etiam ego. *Zach.* 8. 21.

Quærite primum regnum Dei. *Matth.* 6. 33.

Quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. *Ibid.* 7. 7.

Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. (Sic multi). *Joan.* 6. 26.

Quæretis me, et non invenietis : et ubi ego sum, vos non potestis venire. *Ibid.* 7. 34.

Ecce vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. *Ibid.* 8. 21.

Quæ sursum sunt, sapite. *Coloss.* 3. 2.

DOMINUS.— *Domini et dominæ officium et potestas erga servos et ancillas totamque familiam : ut et servorum et ancillarum erga dominos et dominas.*

(Agar ancilla Saræ, postquam despexit dominam suam, fugit ab illa ; sed ab Angelo jussa est redire, et se humiliare sub manu dominæ suæ). *Gen. c.* 16.

(Eadem vero, cum periculum esset ne propter illam Isaac filius perverteretur, e domo ejicitur). *Ibid. c.* 21.

Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur liber gratis. *Exod.* 21. 2. (*V. Deut.* 15. 12). Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. *v.* 20. Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, et luscos eos fecit, dimittet eos liberos, pro oculo quem eruit. *v.* 26. *V. Jerem.* 34. *v.* 9. *et.* 14.

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. *Levit.* 19. 13.

Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus, et filia, servus, et ancilla, et bos et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus, qui est intra portas tuas : ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu. *Deut.* 5. 14. *V. Exod.* 20. 10.

(Quam justus fuerit Job erga servos suos, indicat his verbis) : Si contempsi subire judicium cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. *Job.* 31. 13.

(Servi Regis Saul a domino suo jussi ut interficerent Sacerdotes), noluerunt — extendere manus suas in Sacerdotes Domini. (Noluerunt nempe iniquum domini sui mandatum exequi). 1. *Reg.* 22. 17.

(Giezi servus Elisei Prophetæ contra voluntatem domini sui munera petens a Naaman Syro, et mentitus domino suo, lepra percutitur). 4. *Reg.* 5. 20.

Servus verbis non potest erudiri : quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit. *Prov.* 29. 19.

Non lædas servum in veritate operan-

tem, neque mercenarium dantem animam suam. *Eccli.* 7. 22.

Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortura et compedes : mitte illum in operationem, ne vacet : multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum : sic enim condecet illum, etc. Verum sine judicio nihil facias grave. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua : quasi fratrem sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ comparasti illum — Si læseris eum injuste, in fugam convertetur, etc. *Ibid.* 33. 27. *usq. ad finem.*

(In Parabola talentorum proponitur tam fidelitas, et pigritia servorum, quam liberalitas Domini, remunerantis fideles servos, et justitia punientis servum pigrum). *Matth.* 25. 14.

(Centurio sollicitus est, ut ægrotanti servo sanitatem restituat). *Luc.* 7. 2.

(Cornelius Centurio, quia ipse) erat religiosus ac timens Deum, (talem dicitur habuisse totam familiam). *Act.* 10. 2.

Et vos, domini, eadem facite illis (scil. servis), remittentes minas; scientes, quia et illorum et vester Dominus est in cœlis: et personarum acceptio non est apud eum. *Ephes.* 6. 9.

Domini, quod justum est et æquum, servis præstate : scientes, quod et vos Dominum habetis in cœlo. *Coloss.* 4. 1.

(Christus Dominus, formam servi accipiens, omnibus servis potest esse solatio et exemplo). *Phil.* 2. 7.

DOMUS *æternalis.*

In domo patris mei mansiones multæ sunt. *Joan.* 14. 2.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. *Cor.* 5. 1.

DOMUS *spiritualis virtuose ædificatur.*

Hæc tibi scribo (Timothee) — ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis. 1. *Tim.* 3. 14.

Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum : et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Jesum Christum. 1. *Petr.* 2. 4.

DOMUS... *gratiose inhabitatur.*

Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant : Christus vero, tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. *Hebr.* 3. 5.

DOMUS *corporis nostri.*

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. *Cor.* 5. 1.

Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione : certus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. 2. *Petr.* 1. 13.

DOMUS... *bene costruitur.*

Nisi Dominus ædificaverit domum : in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. *Psal.* 126. 1.

Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum : ut postea ædifices domum tuam. *Prov.* 24. 27.

Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme. *Eccli.* 21. 9.

Væ, qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. Qui dicit : Ædificabo mihi domum latam. *Jerem.* 22. 13.

DOMUS... *male destruitur.*

Qui conturbat domum suam, possidebit ventos : et qui stultus est, serviet sapienti. *Prov.* 11. 29.

Domus impiorum delebitur : tabernacula vero justorum germinabunt. *Ibid.* 14. 11.

Domum superborum demolietur Dominus. *Ibid.* 15. 25. Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam. *v.* 27.

Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. *Ibid.* 17. 1.

In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccles.* 10. 18.

Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam : et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia : sic substantia superbi eradicabitur. *Eccli.* 21. 5.

DOMUS... *debite gubernatur.*

Novit justus jumentorum suorum animas. *Prov.* 12. 10.

Domus justi plurima fortitudo : et in fructibus impii conturbatio. *Ibid.* 15. 6.

Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. *Eccli.* 4. 35.

A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende. *Ibid.* 32. 26.

Filio et mulieri, fratri et amico, non des potestatem super te in vita tua : et non dederis alii possessionem tuam : ne forte pœniteat te, et depreceris pro illis Dum adhuc superes et aspiras, non immutabit te omnis caro. Melius est enim, ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. *Ibid.* 33. 20. 21. 22.

DOMUS... *plene firmatur.*

Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum. *Prov.* 27. 8.

Initium vitæ hominis, aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio. Minimum pro magno placeat tibi, et improperium peregrinationis non audies. Vita nequam hospitandi de domo in domum : et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os (suum). Hospitabitur et pascet, et potabit ingratos, et ad hæc amara audiet. Transi hospes, et orna mensam : et quæ in manu habes, ciba cæteros. Exi a facie honoris amicorum meorum : necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater. Gravia hæc homini habenti sensum : Correptio domus, et improperium, fœneratoris. *Eccli.* 29. 28. *usq. ad finem.*

DOMUS *ædificata super petram firma manebit.*

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. *Matth.* 7. 24. *V. Luc.* 6. 48.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Ibid.* 16. 18.

Quis ergo nos separabit a caritate Christi ? Tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis. *Rom.* 8. 35. *V. Psal.* 43. 22.

DONA. — *Donaria accipere an prohibitum. V. et.* **Acceptatio munerum.**

Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. *Exod.* 23. 8. *V. Deut.* 16. 19.

Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar. *Num.* 22. 18. *V.* 2. *Par.* 19. 7.

Quia Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, et Dominus Dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit, nec munera. *Deut.* 10. 17.

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis, et dicet omnis populus : Amen. *Ibid.* 27. 26.

Et non ambulaverunt filii ejus (Samuelis) in viis ejus : sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3.

(Samuel ait) : Ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum : si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi : et contemnam illud hodie, restituamque vobis. *Ibid.* 12. 3.

Locutus est autem rex (Jeroboam) ad virum Dei : Veni mecum domum, ut prandeas, et dabo tibi munera : Responditque vir Dei ad regem : Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. 3. *Reg.* 13. 7. *V. et* 4. *Reg.* 5. 16.

Congregatio enim hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job* 15. 34.

Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit : qui facit hæc, non movebitur in æternum. *Psal.* 14. 5.

In quorum manibus iniquitates sunt ;

dextera eorum repleta est muneribus. *Psal.* 25. 10.

Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. *Prov.* 17. 23.

Qui autem odit munera, vivet. *Prov.* 15. 27.

Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera sequuntur retributiones. *Isa.* 1. 23.

Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. *Ibid.* 5. 22.

Qui ambulat in justitiis. et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum : iste in excelsis habitabit. *Ibid.* 33. 15. *V. c.* 45. 13.

Munera acceperunt (Hierosolymitæ) apud te ad effundendum sanguinem : usuram, et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus. *Ezech.* 22. 12. *V. et. v.* 27.

Principes ejus (Jerusalem) in muneribus judicabant : et sacerdotes ejus in mercede docebant et prophetæ ejus in pecunia divinabant : et super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Dominus in medio nostrum? *Mich.* 3. 11. *V. Soph.* 3. 3.

Multos enim perdidit aurum et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. *Eccli.* 8. 3. *V. c.* 31. 6.

Xenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. *Ibid.* 20. 31. *V. Deut.* 16. 19.

DONA *divina liberaliter a Deo dantur.*

Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? *Job* 41. 2.

Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. *Eccli.* 11. 14.

Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen. *Rom.* 11. 36.

Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 2. *Cor.* 4. 7. *V.* 1. *Cor.* 12. 11.

Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus. *Ephes.* 4. 7.

Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. *Jac.* 1. 16.

DONA... *multipliciter ordinantur.*

Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem Duo, vero unum, unicuique secundum propriam virtutem. *Matth.* 25. 14. *V. Luc.* 19. 12.

Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius vero sic. 1. *Cor.* 7. 7.

Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. *Ibid.* 12. 7.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, etc. *Ephes.* 4. 11.

Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 1. *Petr.* 4. 10. *V. Rom.* 12. 6.

DONA... *utiliter operantur.*

Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Psal.* 110. 10.

Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum. *Eccli.* 11. 17.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. *Matth.* 25. 16. Ait illi Dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis, qui super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *v.* 21. *V. Luc.* 19. 12.

Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo : et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *Luc.* 12. 48.

DURITIA *cordis. V.* **Obstinatio.**

E

EBRIETAS. *V. et.* **Gula et Jejunium.**

Bibensque vinum (Noe) inebriatus est, et nudatus jacuit in tabernaculo suo. *Gen.* 9. 21.

Veni (ait filia Lot sorori suæ), inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen. *Ibid.* 19. 32. *V. et. v.* 35.

Dixit quoque Dominus ad Aaron : Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini : quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. *Levit.* 10. 9.

Mansit Urias in Jerusalem in die illa et altera : et vocavit eum David, ut comederet coram se, et biberet, et inebriavit eum. 2. *Reg.* 21. 12. *V.* 1. *Reg.* 25. 36.

Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens : Observate, cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis : Percutite eum, et interficite : nolite timere : ego enim sum, qui præcipio vobis : roboramini, et estote viri fortes. *Ibid.* 13. 28.

Porro Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus. *Judith.* 13. 4. Accessit (Judith) ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, et pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exsolvit. *v.* 8. Et abscidit caput ejus. *v.* 10.

Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Prov.* 20. 1. *V.* 3. *Reg.* 20. 16.

Qui diligit epulas, in egestate erit : qui amat vinum et pinguia, non ditabitur. *Ibid.* 21. 17. *V. Sap.* 2. 7.

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt; quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur. *Prov.* 23. 20. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. (In ebrietate) oculi tui videbunt extraneas; et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo : et dices : Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi : quando evigilabo, et rursus vina reperiam. *v.* 29. *usque ad finem.*

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. *Ibid.* 31. 4.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. *Eccli.* 19. 2.

Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem ab initio. *Ibid.* 31. 55. *V. Psal.* 103. 15.

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Ibid.* 37. 34.

Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. *Isa.* 5. 11. Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. *v.* 22.

Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate : et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius. *Ibid.* 36. 12. *et. c.* 22. 13. *Item* 1. *Cor.* 15. 32.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ : superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16. 49. *V. Gen.* 19. 24.

Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. *Oseæ* 4. 11.

Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro *Joel.* 1. 5.

Vinum potantem decipit. *Habac.* 2. 5.

Et cum inebriatus esset Simon et filii ejus, surrexit Ptolemæus cum suis, et sumpserunt arma sua, et intraverunt in convivium, et occiderunt eum, et duos filios ejus, et quosdam pueros ejus. 1. *Mach.* 16. 16.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa. *Luc.* 21. 34.

Sicut in die honeste ambulemus : non

in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione. *Rom.* 13. 13.

Neque fures, neque avari, neque ebriosi neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10. *Item Gal.* 5. 21.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. *Ephes.* 5. 18.

Et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. 1. *Thess.* 5. 7.

EBRIETAS *iram Dei provocat.*

Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. *Isa.* 5. 11. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. *v.* 22. *V. Dan.* 5. 2.

Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino. *Ibid.* 28. 1.

Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro. *Joel.* 1. 5.

Neque fures, neque avari, neque ebriosi — regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10.

EBRIETAS *mentem alienat.*

Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. *Prov.* 23. 31.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. *Eccli.* 19. 2.

Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt : Sacerdos et Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. *Isa* 28. 7.

Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. *Oseæ* 4. 11.

EBRIETAS *ad libidinem incendit.*

Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Prov.* 20. 1.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto, etc. *Ephes.* 5. 18.

EBRIETAS *facultates dissipat.*

Operarius ebriosus non locupletabitur : et qui spernit modica, paullatim decidet. *Eccli.* 19. 1.

EBRIETAS *secretum detegit.*

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : nullum secretum est. ubi regnat ebrietas. *Prov.* 31. 4. *V. Eccli.* 26. 11.

Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. *Habac.* 2. 15.

EBRIETAS *ad furorem et rixas excitat.*

Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur non erit sapiens. *Prov.* 20. 1.

Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? *Ibid.* 23. 29.

Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit. *Eccli.* 31. 38. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera. *v.* 40. *V. Prov.* 31. 4.

Dies regis nostri : cœperunt principes furere a vino : extendit manum suam cum illusoribus. *Oseæ* 7. 5.

ECCLESIA *accipitur pro templo materiali.*

Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis, et abscisso veretro, Ecclesiam Domini. *Deut.* 23. 1.

Omnesque anguli populorum, et cunctæ tribus Israel, in Ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum. *Judic.* 20. 2.

Postea vero convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel. *Judith* 6. 21.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel. *Psal.* 67. 27.

Vidit gentes ingressas sanctuarium suum : de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Thren.* 1. 10.

Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. 1. *Cor.* 11. 18.

Mulieres in Ecclesiis taceant ; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse,

sicut et lex dicit. 1. *Cor*. 14. 34. *V. Gen*. 3. 16.

ECCLESIA *accipitur pro fidelium cœtu, tam bonorum, quam malorum*.

Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ : quia sanctuarium Domini polluit, et non est aqua lustrationis aspersus, etc. *Num*. 19. 20.

Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem? Et — dixerunt : Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino. *Ibid*. 20. 4.

Et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus : ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras. 1. *Reg*. 17. 47.

Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni Ecclesiæ Israel : omnis enim Ecclesia Israel stabat, etc. 3. *Reg*. 8. 14. Stetit ergo (Salomon), et benedixit omni Ecclesiæ Israel voce magna. *v*. 55.

Locutusque est David rex ad omnem Ecclesiam : Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum et tenellum. 1. *Paral*. 29. 1.

Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel, filius Uri filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini : quod et requisivit Salomon, et omnis Ecclesia. 2. *Paral*. 1. 5.

Apud te laus mea in Ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum. *Psal*. 21. 26.

Pes meus stetit in directo : in Ecclesiis benedicam te, Domine. *Psal*. 25. 12.

Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te. *Psal*. 34. 18. *V*. 1. *Mach*. 5. 16. *c*. 14. 19.

Exaltent eum in Ecclesia plebis : et in cathedra seniorum laudent eum. *Psal*. 106. 32.

Cantate Domino canticum novum : laus ejus in Ecclesia Sanctorum. *Psal*. 149. 1.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Matth*. 16. 18.

Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes, qui audierunt hæc. *Act*. 5. 11. *V. c*. 8. 1. *c*. 16. 5.

Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. *Rom*. 16. 16. Salutant vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia. *v*. 23. *V*. 1. *Cor*. 11. 16.

Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, etc. 1. *Cor*. 12. 28. *V*. 2. *Cor*. 8. 18. *et*. *v*. 23. *et* 24. *cap*. 11. 8. *Item Ephes*. 5. 23. *c*. 4. 11. 12. 13.

Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio Evangelii — nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti. *Philipp*. 4. 15.

(Christus) est caput corporis Ecclesiæ. *Coloss*. 1. 18.

Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 1. *Tim*. 3. 5. *V. Apoc*. 1. 11. *c*. 22. 16. *Item* 1. *Cor*. 14. 5.

Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, etc. *Jacob*. 5. 14.

ECCLESIA *accipitur pro cœtu unius Provinciæ*.

Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni Ecclesiæ Israel : omnis enim Ecclesia Israel stabat. 3. *Reg*. 8. 14.

Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur. *Act*. 9. 31.

Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione, etc. *Ibid*. 11. 2. *c*. 12. 1.

Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, et Doctores, in quibus Barnabas et Simon, qui vocabatur Niger. *Ibid*. 13. 1.

Alii autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa : et plures nesciebant qua ex causa convenissent. *Ibid*. 19. 32.

A Mileto (Paulus) mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ, etc. *Ibid*. 20. 17. *V*. 2. *Thess*. 1. 1.

Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris : ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, etc. *Rom*. 16. 1. *V*. 1. *Cor*. 1. 2.

De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite, etc. 1. *Cor*. 16. 1.

Notam autem facimus vobis, fratres,

gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ. 2. *Cor*. 8. 1. *V. Gal*. 1. 2.

Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone, etc. 1. *Petr*. 5. 13.

Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe, etc. *Apoc*. 2. 1.

Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, etc. *Ibid*. 3. 1.

ECCLESIA *pro Prælatis et Præpositis accipitur.*

Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Matth*. 18. 17.

Attendite vobis et universo gregi, in quos vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, etc. *Act*. 20. 28.

ECCLESIA *est una, et visibilis, præfigurata per unam, et visibilem arcam Noe.*

Fac tibi arcam de lignis lævigatis : mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. *Gen*. 6. 14.

Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca : in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. 1. *Petr*. 3. 20.

ECCLESIA... — ... *per civitatem sanctam Jerusalem.*

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. *Apoc*. 21. 2.

ECCLESIA... — ... *per hortum conclusum, et fontem signatum.*

Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. *Cant*. 4. 12.

ECCLESIA... — ... *per unam columbam.*

Una est columba mea, perfecta mea : una est matris suæ, electa genitrici suæ, etc. *Cant*. 6. 8.

ECCLESIA... — ... *per vineam.*

Vineam de Ægypto transtulisti : ejecisti gentes, et plantasti eam. *Psal*. 79. 9.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas : nam vinea nostra floruit. *Cant*. 2. 15. *V. Isa*. 5. 2.

Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum : quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena? *Jerem*. 2. 21.

Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam : dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. *Ibid*. 12. 10.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Matth*. 20. 1.

Et cœpit illis in parabolis loqui : Vineam plantavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. *Marc*. 12. 1. *Item Matth*. 21. 33. *Item Luc*. 20. 9.

ECCLESIA... — ... *per navem.*

Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum : et sedens docebat de navicula turbas. *Luc*. 5. 3.

ECCLESIA... — ... *per sagenam comprehendentem bonos et malos pisces.*

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. *Matth*. 13. 47.

ECCLESIA... — ... *per agrum.*

Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. *Matth*. 13. 24. *V. Marc*. 4. 26.

ECCLESIA... — ... *per regnum cœlorum. Matth. c.* 13. *et* 25.

ECCLESIA *firmamentum veritatis errare non potest.*

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Matth*. 16. 18.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Ibid*. 28. 20.

Ego autem rogavi pro te, (Petre), ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Luc*. 22. 32.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. *Joan*. 14. 16.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem vetitatem. *Ibid*. 16. 13.

Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. 1. *Tim*. 3. 15. *V*. 1. *Joan*. 2. 27.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ infallibilitas et auctoritas.*

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine : etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. *Psal.* 88. 6.

Confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum. *Psal.* 116. 2.

(Ecclesia est civitas, quam ædificavit Christus). *Isa.* 45. 13.

(Et in justitia fundata). *Ibid.* 54. 14.

Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus a modo et usque in sempiternum. *Ibid.* 59. 21.

Et vocabitur civitas veritatis. *Zach.* 8. 3.

Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Matth.* 16. 18.

Ego autem rogavi pro te, (Petre), ut non deficiat fides tua. *Luc.* 22. 32.

Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Joan.* 8. 31.

(Oves vocem pastoris audiunt), et illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum. *Ibid.* 10. 4. 5.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum ; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. *Ibid.* 14. 16.

Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. *Ibid.* 16. 13.

(Domus Dei), quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. 1. *Tim.* 3. 15.

Scripsi vobis de his, qui seducunt vos: et unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. 1. *Joan.* 2. 26. *V. et Matth.* 10. 20. *Luc.* 10. 16. *Joan.* 17. 20. *Ephes.* 4. 11. *etc.*

Foris (extra Ecclesiam), canes et venefici, etc., et omnis qui amat, et facit mendacium. *Apoc.* 22. 15.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ visibilitas.*

Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem, etc. *Isa.* 2. 2.

Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit : nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur : quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster : locus fluviorum : rivi latissimi et patentes, etc. *Ibid.* 33. 20.

Super te autem, (Jerusalem) (Ecclesia), orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. *Ibid.* 60. 1.

Et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum : omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. *Ibid.* 60. 9. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat : sic Dominus Deus germinabit justitiam, et laudem coram universis gentibus. *v.* 11.

Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. *Matth.* 5. 14.

Dic Ecclesiæ ; si autem Eeclesiam non audierit, sit sibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Ibid.* 18. 17.

Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante (visibili)? *Rom.* 10. 14. *V. et v.* 17.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ visibilis propagatio per universum mundum.*

Dominabitur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. *Psal.* 71. 8. *V. et Psal.* 88. *per totum.*

Noli timere, quia ego tecum sum : ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni : Da; et austro : Noli prohibere : affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis

terræ. *Isa.* 43. 5. *V. c.* 2. 2. *Item. Matth.* 24. 14.

Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. *Ibid.* 49. 6. *V. et v.* 12. *et* 8. 42. 6. *Item Isa.* 60. 4. *c.* 66. 12. *Dan.* 7. 13. *Act.* 13. 47.

Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. *Habac.* 2. 14. *V. Isa.* 11. 9. *Zach.* 2. 10.

Et venient populi multi, et gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandam faciem Domini, etc. *Zach.* 8. 22. *V. et v.* 20.

In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum. *Rom* 10. 18, *Item Psal.* 18. 5.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ duratio ad finem mundi.*

Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ, et opus vestrum, quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat. *Isa.* 1. 31.

Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit : nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur : quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster. *Ibid.* 33. 20.

Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, a modo et usque in sempiternum. *Ibid.* 59. 21.

Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; tota die, et tota nocte in perpetuum non tacebunt. *Isa.* 62. 6. *V. Dan.* 2. 44.

In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur. *Dan.* 2. 44. *V. Oseæ.* 2. 19.

Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit — Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur. *Ibid.* 7. 13. *V. et. c.* 7. 27. *Item Oseæ* 2. 19. *Mich.* 4. 7. *Luc.* 1. 32.

Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Matth.* 16. 18.

Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio. *Ibid.* 24. 14. *V. Isa.* 59. 21. *Matth.* 16. 18.

Et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Ibid.* 28. 20.

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *Marc.* 16. 15.

(Oportet) prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. *Luc.* 24. 47.

Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. *Joan.* 14. 16.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos — alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei, etc. *Ephes.* 4. 11.

(Evangelium fructificavit in universo mundo). *Coloss.* 1. 6.

Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. *Act.* 1. 8.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ sanctitas.*

Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. *Psal.* 92. 5.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi : in sanctitate, et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. *Luc.* 1. 74.

Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est — Et pro eis ego sanctifico me ipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. *Joan.* 17. 17. *V. et. cap.* 13. 35.

Elegit nos in ipso (Deus) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* 1. 4. *V. c.* 4. 15. *Item. Jacob.* 2. 14.

Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ : ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata. *Ibid.* 5. 25.

In quo (Christo) omnis ædificatio cons-

tructa crescit in templum sanctum in Domino, etc. *Ibid.* 2. 21.

(Christus) dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

A fructibus eorum cognoscetis eos — Omnis arbor bona fructus bonos facit. *Matth.* 7. 16.

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta. 1. *Petr.* 2. 9.

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. *Apoc.* 21. 2.

ECCLESIA *debet esse miraculis clara.*

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt. *Marc.* 16. 17.

Amen, amen dico vobis : qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet. *Joan.* 14. 10.

Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum : alteri fides in eodem Spiritu : alii gratia sanitatum in uno Spiritu : alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 1. *Cor.* 12. 8,

ECCLESIA *debet esse Catholica.*

Benedicentur in semine tuo (id est in Christo, ut exponit S. Paulus, Galat. 3. 8.) omnes gentes terræ. *Gen.* 22. 18.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : et possessionem tuam terminos terræ. *Psal.* 2. 8.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. *Psal.* 21. 28.

Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. *Malach.* 1. 11.

Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe. *Matth.* 24. 14. *V. Marc.* 16. 15.

Euntes ergo, docete omnes gentes. *Ibid.* 28. 19.

Fides vestra annuntiatur in universo mundo. *Rom.* 1. 8. *V. Coloss.* 1. 6.

In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum. *Ibid.* 10. 18. *Item Psal.* 18. 5.

(Evangelium) pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est. *Coloss.* 1. 6. *V. Luc.* 24. 47. *Act.* 1. 8.

ECCLESIA *debet esse Apostolica.*

Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Matth.* 16. 18.

Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. *Ephes.* 2. 20.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas — ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. *Ibid.* 4. 11.

ECCLESIA *debet esse concors in doctrina.*

Omne regnum divisum contra se desolabitur : et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. *Matth.* 12. 25. *Item Luc.* 11. 17.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. 1. *Cor.* 14. 33.

Unus Dominus, una fides. *Ephes.* 4. 5.

Doctrinis variis et peregrinis, nolite abduci. *Hebr.* 13. 9.

ECCLESIA *debet habere Caput visibile, et Judicem supremum ac infallibilem. V.* **Papa.**

(Comparatur Ecclesia castrorum aciei ordinatæ). *Cant.* 6. 3.

(Comparatur Regno). *Dan.* 2. 44. (Corpori). *Ephes.* 4. 3. (Domui). 1. *Tim.* 3. 15. *etc.*

Tibi dabo claves — et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, etc. *Matth.* 16. 19.

Pasce oves meas. *Joan.* 21. 17.

ECCLESIA *est corpus Christi.*

Et omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, etc. *Ephes.* 1. 22. *V. c.* 4. 4.

Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ : ipse Salvator corporis ejus. *Ibid* 5. 23.

Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. 1. *Cor*. 12. 27.

ECCLESIA *fidelium nascitur et propagatur per sanam doctrinam.*

Quotquot aut receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Joan*. 1. 12.

Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. *Rom*. 8. 14.

Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 1. *Cor*. 4. 15.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *Galat*. 4. 19.

Secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ. *Tit*. 1. 1.

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis. *Philem*. 10.

Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. *Jacob*. 1. 18.

Renati, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum. 1. *Petr*. 1. 23. *V. et*. 1. *Joan*. 3. 9. *c*. 5. 18.

ECCLESIA *seu fidelium cœtus tenetur Sacerdotibus et pastoribus suis necessaria ministrare. V. et.* **Evangelizans.**

Cave, ne derelinquas Levitem in omni tempore, quo versaris in terra. *Deut*. 12. 19. *Item c*. 14. 27. *c*. 16. 11.

Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. *Ibid*. 25. 4.

Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus et Levitis etc. et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. 1. *Esdr*. 7. 24.

Dignus enim est operarius cibo suo. *Matth*. 10. 10. *Item Luc*. 10. 7.

Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles : debent et in carnalibus ministrare illis. *Rom*. 15. 27.

Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti, etc. 1. *Cor*. 9. 7. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? *v*. 11. *V*. 1. *Tim*. 5. 18.

Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. *Galat*. 6. 6.

(Epaphroditum cooperatorem misi ad vos) : Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote. *Philipp*. 2. 29.

Scitis autem et vos, Philippenses, quod — nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli, quia — semel et bis in usum mihi misistis. *Ibid*. 4. 15.

Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino ; et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum : Pacem habete cum eis 1. *Thess*. 5. 12.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei. *Hebr*. 13. 7.

ECCLESIA *tenetur etiam pro suis præfectis orare.*

Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. *Act*. 12. 5.

Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, *Rom*. 15. 30.

Scio, enim, quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem. et subministrationem Spiritus Jesu Christi. *Philipp*. 1. 19.

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, etc. *Coloss*. 4. 2.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur, sicut et apud vos, etc. 2. *Thess*. 3. 1. *V. Hebr*. 13. 18.

ECCLESIA *est sponsa Christi.*

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus Deus

tuus, et adorabunt eum. *Psal.* 44. 11. 12.

Et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum (ait Dominus Deus), et facta es mihi. *Ezech* 16. 8.

Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et in judicio, etc. *Oseæ* 2. 19.

Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 2. *Cor.* 11. 2.

Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea — ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, etc. *Ephes.* 5. 25.

Gaudeamus, et exultemus — quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se, etc. *Apoc.* 19. 7.

Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. (Quæ est Ecclesia, ut sequentes versus satis indicant). *Ibid.* 21. 9.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ caput est Christus.*

Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. 1. *Cor.* 12. 27.

Et omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. *Ephes.* 1. 22.

Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, etc. *Ibid.* 4. 15.

Quoniam vir caput est mulieris : sicut Christus caput Ecclesiæ. *Ibid.* 5. 23.

Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis : ut sit in omnibus ipse primatum tenens. *Coloss.* 1. 18. *V. c.* 2. 10.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ membra sunt veri fideles, eidem capiti Christo ejusque Vicario subjecti, cujuscumque nationis fuerint, sive Judei sive Gentiles.*

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. *Joan.* 10. 16.

Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et Christus, etc. 1. *Cor.* 12. 12.

Gentes esse cohæredes et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium : cujus factus sum minister, etc. *Ephes.* 3. 6.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ membra vera sunt etiam peccatores, injusti et improbi.*

(Ecclesia comparatur areæ, in qua congregantur triticum et paleæ). *Matth.* 3. 12.

(Iterum comparatur civitati, in qua sunt boni et mali cives). *Ibid.* 5. 14.

(Agro, in quo bonum et malum semen seminatur). *Ibid.* 13. 24. (Sagenæ et reti, pisces bonos et malos concludenti). *v.* 47.

(Decem virginibus, quarum quinque prudentes et quinque fatuæ). *Ibid.* 25. 1.

(Corpori, quod habet varia membra). *Rom.* 12. 4.

(Magnæ domui, in qua sunt vasa aurea et argentea, lignea et fictilia, etc). 2. *Tim.* 2. 20.

Omnes nos in unum corpus baptizati sumus. 1. *Cor.* 12. 13.

(Obedire Præpositis jubemur), non tantum bonis — sed etiam (malis et) dyscolis. 1. *Petr.* 2. 18.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ claves et potestas promittuntur.*

Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. *Matth.* 16. 19. *V. et. Isa.* 22. 22.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ claves traduntur.*

Amen dico vobis : quæcumque alligaverits super terram, erunt ligata et in cœlo, etc. *Matth.* 18. 18.

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 22.

ECCLESIA. — *Claves exercentur. V.* **Excommunicatio. Confessio.**

Quod si non audierit eos (testes), dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Matth.* 18. 17. *V. exemplum.* 1. *Cor.* 5. 3. *etc.*

ECCLESIA. — *Ecclesiam sibi Christus comparavit suo sanguine.*

Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Act.* 20. 28.

Empti enim estis pretio magno. 1. *Cor.* 6. 20.

Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum. *Ibid.* 7. 23.

Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. *Ephes.* 2. 13.

In quo (Christo) habemus redemptio-

nem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Coloss.* 1. 14.

(Christus) neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, etc. *Hebr.* 9. 12.

Pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati, (empti estis, etc) 1. *Petr.* 1. 19. *V.* 1. *Joan.* 1. 7.

(Christus) dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo. *Apoc.* 1. 5.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. *Ibid.* 5. 9.

ECCLESIA. — *Ecclesiam suam Deus protegit, et custodit.*

Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis : ut dux esset itineris utroque tempore. *Exod.* 13. 21. *V. Num.* 14. 14. *Item* 2. *Esdr.* 9. 19.

Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus, etc. *Ibid.* 29. 45. *Item* 3. *Reg.* 6. 13.

Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. *Levit.* 26. 12.

Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos, et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te, etc. *Deut.* 23. 14. *V. c.* 7. 20.

Dominus ergo Deus tuus transibit ante te : ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebit eas : et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. *Ibid.* 31. 3.

Domine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem. *Psal.* 89. 1. *V. et. Psal.* 90. 1.

Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. *Isa.* 43. 2.

Et tu noli timere, serve meus Jacob, ait Dominus : quia tecum ego sum : quia ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te : te vero non consumam, sed castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi. *Jerem.* 46. 28.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Matth.* 28. 20. *V. Joan.* 14. 23. *Matth.* 18. 20. 2. *Cor.* 6. 16.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ officium.*

Cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini. 4. *Reg.* 3. 15.

Volunt — et claudere ora laudantium te. *Esth.* 14. 9.

In Ecclesiis benedicam te, Domine. *Psal.* 25. 12.

Bene psallite ei in vociferatione. *Psal.* 32. 3.

Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua. *Psal.* 49. 14. Sacrificium laudis honorificabit me. *v.* 23.

Repleatur os meum laude. *Psal.* 70. 8. Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi. *v.* 23.

Septies in die laudem dixi tibi. *Psal.* 118. 164.

Non iteres verbum in oratione tua. *Eccli.* 7. 15.

Non est speciosa laus in ore peccatoris. *Ibid.* 15. 9.

In omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini. *Ibid.* 39. 41.

Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, timuerunt me mandato hominum et doctrinis. *Isa.* 29. 13.

Prope es tu (Domine) ori eorum, et longe a renibus eorum. *Jerem.* 12. 2.

Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. *Thren.* 3. 41.

Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis. *Oseæ* 7. 14.

Odi, et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum. *Amos* 5. 21.

Aufer a me tumultum carminum tuorum ; et cantica lyræ tuæ non audiam. *v.* 23.

Et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum. *Ibid.* 8. 10.

Domus mea, domus orationis. *Matth.* 21. 23.

Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. *Luc.* 24. 53.

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. *Joan.* 4. 23.

Psallam spiritu, psallam et mente. 1. *Cor.* 14. 15.

Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. *Ephes.* 5. 19.

Commonentes vosmetipsos psalmis, etc. *Coloss*. 3. 16.

Offeramus hostiam, laudis semper Deo. *Hebr*. 13. 15.

Tristatur aliquis vestrum ? oret : Æquo animo est ? psallat. *Jacob*. 5. 13.

ECCLESIA. — *Ecclesiæ fundamentum*. *V*. **Fundamentum**.

EDUCATIO *Liberorom*. *V*. **Parentum offiicium**.

EFFUSIO *sanguinis*. *V*. **Sanguinis effusio, et Homicidium**.

ELECTIO.

(Consilio Jethro Sacerdotis, Moyses elegit Judices viros potentes, et timentes Dominum, in quibus erat veritas, et qui oderant avaritiam). *Exod*. 18. 17. *V*. *v*. 25.

Quem ex his elegero, germinabit virga ejus. *Num*. 17. 5.

(Volens Moyses ulcisci Israel de Madianitis, ait) : Mille viri de singulis tribubus eligantur — ad bellum. *Ibid*. 31. 1.

Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel, etc. 1. *Paral*. 28. 4.

Sed elegit (Deus) tribum Juda — et elegit David servum suum, etc. *Psal*. 77. 68

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi *Matth*. 20. 16. *V*. *Apoc*. 17. 16.

Vocavit (Dominus) discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit. *Luc*. 6. 13.

Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris. *Act*. 1. 24.

Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, etc. *Ibid*. 6. 5.

Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. *Ibid*. 13. 2.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. 2. *Petr*. 1. 10.

ELECTIO *boni et mali*.

Habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum. *Lev*. 10. 10.

En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem : benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis : maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post Deos alienos, quos ignoratis. *Deut*. 11. 26.

(Proposui) in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum. *Ibid*. 30. 15. (Proposui) vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum. *v*. 19.

Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum. 3. *Reg*. 3. 9.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei ; magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Psal*. 83. 11.

Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. *Eccli*. 15. 17. 18.

Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. *Isa*. 5. 20.

Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Jerem*. 15. 19.

Ecce ego do coram vobis viam vitæ et viam mortis. *Ibid*. 21. 8.

Inter sanctum et profanum non habent distantiam : inter pollutum et mundum non intellexerunt. *Ezech*. 22. 26.

Quærite bonum et non malum, ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, etc. *Amos* 5. 14.

Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. *Matth*. 13. 48.

Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu : ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi ; repleti fructu justitiæ per Jesum Christum. *Philipp*. 1. 9.

Omnia autem probate : quod bonum est tenete. 1. *Thess*. 5. 21.

ELEEMOSYNA. *V*. *et*. **Divitiæ**. *Item* **Dare, et Dandum**. *Item* **Misericordia**.

ELEEMOSYNA *pauperbus eroganda*. *V*. **Misericordia**.

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi. qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor, nec usuris opprimes. *Exod*. 22. 25.

Anno autem septimo dimittes eam (terram), et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui. *Ibid*. 23. 11

Neque in vinea tua racemos, et grana decidentia congregabis; sed pauperibus, et peregrinis carpenda dimittes. *Levit.* 19. 10.

Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum : nec remanentes spicas colligetis; sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. *Ibid.* 23. 22. *V. c.* 19. 9.

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit : non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris, etc. *Deut.* 15. 7. Sed dabis ei : nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis, ad quæ manum miseris. *v.* 10.

Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus, manipulum reliqueris; non reverteris, ut tollas illum : sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. *Ibid.* 24.19.

Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. *Tob.* 4. 7. 8. 9. Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. *v.* 11. 12. Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege, etc. *v.* 17.

Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. *Ibid.* 12. 9.

Pauperibus munuscula (largiebantur). *Esther.* 9. 22.

Beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. *Psal.* 40. 1.

Eripite pauperem : et egenum de manu peccatoris liberate. *Psal.* 81. 4.

Et dispereat de terra memoria eorum, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. *Psal.* 108. 15. *V. Psal.* 111. 5.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi : cornu ejus exaltabitur in gloria. *Psal.* 111. 9.

Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei (dando pauperibus). Et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* 3. 9. Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere : cras dabo tibi, cum statim possis dare. *v.* 28.

Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. *Ibid.* 11. 24.

Qui despicit proximum suum, peccat; qui autem miseretur pauperis, beatus erit. *Ibid.* 14. 21. Honorat autem eum (Creatorem) qui miseretur pauperis. *v.* 31.

Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis; et vicissitudinem suam reddet ei. *Ibid.* 19. 17.

Facere misericordiam et judicium magis placet Domino, quam victimæ. *Ibid.* 21. 3. Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. *v.* 13. Qui sequitur justitiam, et misericordiam, inveniet vitam, justitiam, et gloriam. *v.* 21.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur : de panibus enim suis dedit pauperi. *Ibid.* 22. 9.

Qui dat pauperi non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. *Ibid.* 28. 27.

Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. *Ibid.* 31. 20.

Mitte panem tuum super transeuntes aquas : quia post tempora multa invenies illum. *Eccles.* 11. 1.

Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. *Eccli.* 3. 33.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. *Ibid.* 4. 1. 2. 3.

Facere eleemosynam ne despicias. *Ibid.* 7. 10. Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, et benedictio tua. *v.* 36.

Non est enim ei bene, qui assiduus est in malis, et eleemosynas non danti; quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus. *Ibid.* 12. 3.

Propter mandatum assume pauperem : et propter inopiam ejus ne dimittas eum

vacuum. Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum : et non abscondas illam sub lapide in perditionem. *Ibid.* 29. 12. Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo, etc. *v.* 15.

Retribuet gratiam, qui offert similaginem : et qui facit misericordiam, offert sacrificium. *Ibid.* 35. 4.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16. 49. *V. c.* 18. 7.

Quam ob rem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : forsitan ignoscet delictis tuis. *Dan.* 4. 24.

Misericordiam volui, et non sacrificium. *Oseæ.* 6. 6. *Item. Matth.* 9. 13.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. *Matth.* 6. 3.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ibid.* 10. 42.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum (magnum) in cœlo : et veni, sequere me. *Ibid.* 19. 21.

Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere, etc. *Ibid.* 25. 35. *et. v.* 42. *contra dicitur.*

(Jesus) dicebat illis : Qui habet duas tunicas, det (unam) non habenti : et qui habet escas, similiter faciat. *Luc.* 3. 11. *V. c.* 6. 35. *Item Jacob.* 2. 15.

Date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis. *Ibid.* 11. 41.

Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. *Ibid.* 12. 33.

Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Ibid.* 14. 13.

(Hortatur ad faciendas eleemosynas, dicens, quid mereatur fidelis aut infidelis mammonæ dispensator; quodque nemo potest) Deo servire et mammonæ. *Ibid.* 16. 9.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum . Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid.* 19. 8. *V. Act.* 9. 39. *c.* 11. 29.

Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus, ac timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi. *Act.* 10. 1.

Beatius est magis dare, quam accipere. *Ibid.* 20. 35. *V. Rom.* 12. 8. *c.* 15. 26.

De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. 1. *Cor.* 16. 1.

(Prosequitur hortando ad eleemosynam prompte et abundanter faciendam, etc). 2. *Cor.* 9. V. *Ephes.* 4. 28.

Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. *Hebr.* 13. 16.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? 1. *Joan.* 3. 17. *v. Jacob.* 2. 15.

ELEEMOSYNA. — *Eleemosynæ merces.*

(Abrahamo facienti eleemosynam filius promittitur). *Gen.* 18. 5. *etc.*

(Abigail ob panes aliquot Davidis militibus prudenter distributos, ad statum regium promovetur). 1. *Reg.* 25. 27. *etc.*

(Vidua pauper, in Eliam liberalis, magnos inde fructus percipit). 3. *Reg. c.* 17.

(Mulier Sunamitis, erga Eliseum benefica, impetrat filium, qui etiam mortuus ad vitam ab Eliseo revocatur). 4. *Reg.* 4. 8. *etc.*

Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. *Tob.* 4. 7. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, etc. *v.* 9. *V. Luc.* 14. 13.

Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere : quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et

facit invenire misericordiam, et vitam æternam. *Tob.* 12. 8.

(Si dabis eleemosynam), implebuntur horrea tua saturitate, etc. *Prov.* 3. 9,

Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. *Eccli.* 3. 33. *V. Dan.* 4. 24.

Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo. *Ibid.* 29. 15. *V. Psal.* 111. 5.

Quicumque potum dederit uni ex minimis, etc., amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth.* 10. 41. *V. c.* 25. 35. *Item. Marc.* 9. 40.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. *Ibid.* 19. 21.

Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis. *Luc.* 11. 41. *V. c.* 14. 13.

(Cornelius Centurio propter eleemosynas suas, quæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, recepit in præmium veram fidem et salutem). *Act. c.* 10.

Beneficentiæ autem — nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. *Hebr.* 13. 16.

EMENDATIO *vitæ. V.* **Vitæ emendatio.**

EMERE *et vendere quomodo oporteat.*

Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. *Levit.* 19. 35.

Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo, et juxta supputationem frugum vendet tibi. *Ibid.* 25. 14. *V. Gen.* 23. 9.

Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus : nec erit in domo tua modius major et minor. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi. *Deut.* 25. 13.

Statera dolosa, abominatio est apud Dominum : et pondus æquum, voluntas ejus. *Prov.* 11. 1. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium. *v.* 26.

Pondus et statera judicia Domini sunt : et opera ejus omnes lapides sacculi. *Ibid.* 16. 11.

Pondus et pondus, mensura et mensura utrumque abominabile est apud Deum. *Ibid.* 20. 10. *V. et v.* 23.

Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum. *Eccli.* 27. 2.

Statera justa, et ephi justum, et batus justus erit vobis. *Ezech.* 45. 10.

Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. Numquid justificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa ? *Mich.* 6 10.

In quo enim judicio judicaveritis, judicabiminii, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.* 7. 2. V. *Marc.* 4. 24.

Qui emunt (in hoc mundo, sint) tanquam non possidentes. 1. *Cor.* 7. 30.

Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum : quoniam vindex est Dominus de his omnibus. 1. *Thess.* 4. 6.

EMUNDATIO.

Afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros. *Gen* 18. 4.

Abjicite Deos alienos — et mundamini, ac mutate vestimenta vestra. *Ibid.* 35. 2.

Facientque mihi sanctuarium (de cordibus suis), et habitabo in medio eorum. *Exod.* 25. 8.

Et vetera novis supervenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. *Levit.* 26. 10.

Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum : ego enim sum Dominus, qui habito inter filios Israel. *Num.* 35. 34.

Auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth : et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. 1. *Reg.* 7. 3.

Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. 4. *Reg.* 5. 10.

Mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario. 2. *Paral.* 29. 5.

Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius ? *Eccli.* 34. 30.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Isa.* 1. 16.

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de

medio ejus, in spiritu judicii et spiritu ardoris. *Ibid.* 4. 4.

Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Ibid.* 40. 3.

Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda. *Jerem.* 4. 4.

Et emundabo illos ab omni iniquitate sua — et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi. *Ibid.* 33. 8.

Et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te : et unxi te oleo. *Ezech.* 16. 9.

Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. *Ibid.* 36. 25.

Usquequo non poterunt emundari ? *Oseæ.* 8. 5.

Præparare (te) in occursum Dei tui Israel. *Amos.* 4. 1.

Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. *Zach.* 3. 4.

Ecce contriti sunt inimici nostri : ascendamus nunc mundare sancta, et renovare. 1. *Mach.* 4. 36. Et elegit Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. *v.* 42. Et ædem et atria sanctificaverunt : et fecerunt vasa sancta nova. *v.* 48.

Et nunc, Sancte Sanctorum, omnium Domine, conserva in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est. 2. *Mach.* 14. 36.

Domine, si vis, potes me mundare. *Matth.* 8. 2. *V. Marc.* 1. 40. *Luc.* 5. 12.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ qui mundatis quod deforis est calicis, et paropsidis : intus autem pleni estis rapina, et immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. *Ibid.* 23. 25.

Vade, lava in natatoria Siloe — Abiit ergo, et lavit, et venit videns. *Joan.* 9. 7.

Si non lavero te (Petre), non habebis partem mecum. *Ibid* 13. 8.

Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. *Cor.* 6. 11.

Has ergo habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. *Cor.* 7. 1.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. *Thess* 4. 3. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. *v.* 7.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus vester, et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. *Ibid.* 5. 23.

Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile ad omne opus bonum paratum. 2. *Tim.* 2. 21.

Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. *Hebr.* 1. 3.

Aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. *Ibid.* 10. 12.

Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. *Jacob.* 1. 21.

Emundate manus, peccatores : et purificate corda, duplices animo. *Ibid.* 4. 8.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. 1. *Petr.* 2 1.

Et Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan.* 1. 7.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. *Ibid.* 3. 3.

Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. *Apoc.* 1. 5.

Hi sunt, qui — laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. *Ibid.* 7. 14.

Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni. *Ibid.* 22. 14.

EPISCOPUS. — *Episcoporum electio, et officium. V. et.* **Concionator.**

Ego sum pastor bonus : et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. *Joan.* 10. 14.

Considerate ergo, fratres, viros ex vo-

bis boni testimonii septem : plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. *Act.* 6. 3.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Ibid.* 20. 28.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. 1. *Cor.* 4. 1.

Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti. 2. *Cor.* 3. 6.

Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum ; nos autem servos vestros per Jesum. *Ibid.* 4. 5.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, etc. 2. *Cor.* 6. 4.

(Glorior) de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram. *Ibid.* 10. 8.

Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1. *Tim.* 3. 1.

Bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecutus est. *Ibid.* 4. 6.

Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 2. *Tim.* 2. 15.

Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5.

Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. 1. *Petr.* 5. 2.

ERRARE.

Et errare eos faciet quasi ebrios. *Job.* 12. 25.

Et dixi : Semper hi errant corde. *Psal.* 94. 10.

Erraverunt in solitudine, in inaquoso. *Psal.* 106. 4. Errare fecit eos in invicio, et non in via, *v.* 40.

Erravi sicut ovis, quæ periit. *Psal.* 118. 176.

Animæ dolosæ errant in peccatis. *Prov.* 13. 13.

Errant, qui operantur malum. *Ibid.* 14. 22.

Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. *Eccles.* 12. 14.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. *Isa.* 53. 6.

Et Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum : ego Dominus decepi Prophetam illum : et extendam manum meam super illum, et delebo eum de medio populi mei Israel. *Ezech.* 14. 9.

Erratis, nescientes Scripturas. *Matth.* 22. 29.

ERUBESCERE *nullus debet Evangelium.*

Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi. *Psal.* 39. 11.

Qui enim me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice ; et Filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. *Marc.* 8. 38. *V. Matth.* 10. 32.

Nam qui me erubuerit, et meos sermones : hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. *Luc.* 9. 26. *V. c.* 12. 9.

Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco. *Rom.* 1. 16.

Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus : sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei. 2. *Tim.* 1. 8.

ERUBESCENDUM *propter peccata.*

Super filiam luxuriosam confirma custodiam : ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate, et objectione plebis, et confundat te in multitudine populi. *Eccli.* 42. 11.

Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis : justificatæ sunt enim a te : ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam, quæ justificasti sorores tuas. *Ezech.* 16. 52.

ERUDITIO *Liberorum. V.* **Liberorum eruditio.**

ESURIRE *justitiam.*

Omnes sitientes, venite ad aquas, etc. *Isa.* 55. 1.

Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur. *Matth.* 5. 6. *V. Eccli.* 24. 29. *Item Matth.* 6. 33.

Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. *Luc.* 1. 53.

Beati, qui nunc esuritis : quia saturabimini. *Ibid.* 6. 21.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. *Apoc.* 21. 6. *Idem habetur c.* 22. 17.

EVANGELIUM *Christi, ejusque prædicatio.*

Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis : et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum et Sanctum Israel, quia glorificavit te. *Isa.* 55. 5.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem. *Ibid.* 61. 1.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Matth.* 28. 19.

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *Marc.* 16. 15.

Et dixit (pastoribus) illis Angelus : Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. *Luc.* 2. 10.

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 16. *V.* 1. *Joan.* 4. 9.

(Dixit Jesus Pharisæis) : Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Ibid.* 8. 12. *V.* 1. *Joan.* 1. 5.

Dixit autem eis (turbis) Jesus : Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam. *Ibid.* 6. 35.

Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. *Ibid.* 10. 9.

Ego lux in mundum veni : ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. *Ibid.* 12. 46.

Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. *Rom.* 1. 16.

Nunc autem sine lege justitia Dei manifesta est, testificata a lege et Prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, etc. *Ibid.* 3. 21. *V. c.* 8. 3.

Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 1. *Cor.* 4. 15.

Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini : qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. *Ibid.* 15. 1. *Item Galat.* 1. 11.

Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum : et dedit nobis ministerium reconciliationis. 2. *Cor.* 5. 18.

In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis, etc. *Ephes.* 1. 13.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. 1. *Tim.* 1. 15. *V.* 2. *Tim.* 1. 8.

Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum, etc. 2. *Tim.* 2. 8.

EVANGELIUM *affert fiduciam, simul et timorem, consolationem, et terrorem.*

Videns autem (Joannes) multos Pharisæorum et Sadducæorum, venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, etc. *Matth.* 3. 7. *V. et. Luc.* 3. 7.

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vacabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5. 19.

Intrate per angustam portam : quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. *Ibid.* 7. 13. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *v.* 19. Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. *v.* 23.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. *Ibid.* 8. 12. *V. c.* 22. 13.

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. *Ibid.* 10. 33.

A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Ibid.* 11. 12.

Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur : sic erit in consummatione sæculi, etc. *Ibid.* 13. 40. Et mittent eos (Angeli) in caminum ignis : ibi erit fletus, et stridor dentium. *v.* 50.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *Ibid.* 16. 27.

Væ homini illi, per quem scandalum venit. *Ibid.* 18. 7.

Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores ; illic erit fletus et stridor dentium. *Ibid.* 25. 30.

Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. *Marc.* 10. 25.

Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, et flebitis. *Luc.* 6. 24.

Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. *Ibid.* 9. 62.

Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. *Ibid.* 12. 40. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, etc. *v.* 48.

Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. *Ibid.* 13. 5.

Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Ibid.* 18. 22.

Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Joan.* 15. 16.

Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. *Rom.* 1. 18.

Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. *Ibid.* 2. 5.

Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro. *Ibid.* 6. 23.

Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate ; alioquin et tu excideris. *Ibid.* 11. 22.

Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. *Ibid.* 14. 12.

Uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur : et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. 1. *Cor.* 3. 13 Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. *v.* 17.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. *Gal.* 5. 24.

Itaque, carissimi mei (sicut semper obedistis) non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia ; terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *Hebr.* 10. 26.

Miseri estote, et lugete et plorate : risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. *Jac.* 4. 9.

Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis, etc. *Ibid.* 5. 1.

Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ? 1. *Petr.* 4. 18.

Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. 2. *Petr.* 1. 10.

Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. *Ibid.* 2. 4.

Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. *Judæ* 15.

EVANGELIZANS. — *Evangelizanti debetur necessaria vitæ substentatio. V. et.* **Ecclesia.**

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus est enim operarius mercede sua. *Matth.* 10. 9. *V. Luc.* 9. 13. *c.* 10. 7.

Et præcepit eis (Jesus), ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : non peram, non panem, neque in zona æs. *Marc.* 6. 8.

Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. *Galat.* 6. 6. *V. Rom.* 15. 16.

Qui bene præsunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur : maxime qui laborant in verbo et doctrina. 1. *Tim.* 5. 17.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. 2. *Tim.* 2. 6.

EVANGELIZANS *vitæ sit integræ.*

Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5. 19.

EVANGELIZANS. — *Quid de non facientibus, et tamen docentibus*

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite : secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt. *Matth.* 23. 2.

Qui ergo alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris : qui dicis non mœchandum, mœcharis. *Rom.* 2. 21.

Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 27.

Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. 1. *Tim.* 4. 12.

Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 2. *Tim.* 2. 15.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum; in doctrina, in integritate, in gravitate. *Tit.* 2. 7.

EVANGELIZANS *discendorum proponat utilitatem.*

Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar. (Verba sunt Balaam). *Num.* 22. 18. *Item c.* 24. 13. *V. Mich.* 6. 5.

Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 1. *Reg.* 22. 14.

Væ mihi, qui tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito. *Isa.* 6. 5.

Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta (vocem), noli timere. Dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester : Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur : ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. *Ibid.* 40. 9.

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem : annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus ! *Ibid.* 52. 7. *V. Nahum* 1. 5.

Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. *Ibid.* 58. 1.

Noli dicere : Puer sum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis : et universa quæcumque mandavero tibi, loqueris. *Jerem.* 1. 7. Ecce dedi verba mea in ore tuo. *v.* 9.

Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. *Matth.* 10. 7.

Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. *Ibid.* 13. 52.

Euntes ergo (in mundum universum), docete omnes gentes, etc. docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. *Ibid.* 28. 19. *V. Marc* 16. 15.

Disputante autem illo (scil. Paulo) de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix, etc. *Act.* 24. 25.

Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit. *Galat.* 1. 9.

Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo; sed

sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium : ita loquimini, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 1. *Thess.* 2. 3.

Ineptas autem et aniles fabulas, devita. 1. *Tim.* 4. 7.

Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 2. *Tim.* 4. 2. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. *v.* 5.

Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam. *Tit.* 2. 1.

Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis, devita : sunt enim inutiles et vanæ. *Ibid.* 3. 9.

EVANGELIZANS *addat verborum claritatem.*

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam suscitare eum, qui lassus est verbo. *Isa.* 50. 4.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta, *Matth.* 10. 27.

Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est : his autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. 1. *Cor.* 1. 17. Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. *v.* 21.

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. *Ibid.* 2. 1. Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. *v.* 6. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. *v.* 12.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvuli in Christo, lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis. *Ibid.* 3. 1.

Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. 2. *Cor.* 2. 17.

Ideo habentes (hanc) administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, etc. *Ibid.* 4. 1. 2.

Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. *Ibid.* 5. 19.

Rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei, quæ est in fide. 1. *Tim.* 1. 3.

Formam habe sanorum verborum, quæ a me audistis in fide, et in dilectione in Christo Jesu. 2. *Tim.* 1. 12.

EVANGELIZANS *veritatis teneat firmamentum.*

Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. *Psal.* 67. 12.

Et posuit os meum quasi gladium acutum : in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam : in pharetra sua abscondit me. *Isa.* 49. 2.

Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram. *Ibid.* 51. 16.

Ne timeas a facie eorum : quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. *Jer.* 1. 8. Ne formides a facie eorum : nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, regi-

bus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus, et populo terræ. Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt : quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te. *v.* 17.

Ecce dedi faciem tuam valentiorem facibus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam : ne timeas eos, neque metuas a facie eorum : quia domus exasperans est. *Ezech.* 3. 8. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel : et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium : Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat : ipse impius in iniquitate sua morietur : sanguinem autem ejus de manu tua requiram. *v.* 17. 18. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia : ipse quidem in iniquitate sua morietur; tu autem animam tuam liberasti. *v.* 19. Sed et si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit : sanguinem vero ejus de manu tua requiram. *v.* 20. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit : vivens vivet, quia annuntiasti ei; et tu animam tuam liberasti. *v.* 21.

Fili hominis, loquere ad filios populi tui. *Ibid.* 33. 2. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua : ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua : ipse in iniquitate sua morietur : porro tu animam tuam liberasti. *v.* 7. 8. 9.

Verumtamen annuntiabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis. *Dan.* 10. 21.

Verumtamen ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini, judicio et virtute : ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum. *Mich.* 3. 8.

Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces. *Matth.* 22. 16.

Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei. *Luc.* 9. 60.

Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus, et audivimus, non loqui. *Act.* 4. 19.

Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim sub terfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. *Ibid.* 20. 26. 27.

EVANGELIZANS *audiatur diligenter.*

Declaratio sermonum tuorum illuminat. *Psal.* 128. 130.

Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi ejus? *Isa.* 50. 10.

Qui habet aures audiendi, audiat. *Matth.* 13. 9. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit Malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus. *v.* 19.

Pœnitemini, et credite Evangelio. *Marc.* 1. 15.

EVANGELIZANS *proficiat cum effectu.*

Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat : et loquetur, ut revertantur ab iniquitate. Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria. *Job.* 36 10.

Docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur. *Psal.* 50. 15.

Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. *Isa.* 2. 3.

Audite vocem meam, et facite omnia, quæ præcipio vobis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. *Jerem.* 11. 4.

Oves meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me. *Joan.* 10. 27.

Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. *Ibid.* 18. 37.

Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Act.* 2. 42.

EVANGELIZANS *teneat perseveranter.*

Non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. *Ephes.* 4. 14.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam; secundum traditionem hominum, secundum ele-

menta mundi, et non secundum Christum. *Coloss.* 2. 8.

Doctrinis variis et peregrinis, nolite abduci. *Hebr.* 13. 9.

EVANGELIZANS *qui se ipsum ingerit.*

Mulieres in Ecclesiis taceant : non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. 1. *Cor.* 14. 34.

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. 1. *Tim.* 2. 11. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum : sed esse in silentio. *v.* 12.

Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ : superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. *Ibid.* 6. 3. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates : et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem, exciderunt. *v.* 20.

EVANGELIZANS *qui alium inficit.*

Doctrina mala deserenti viam vitæ. *Prov.* 15. 10.

Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia. Et canes impudentissimi, nescierunt saturitatem : ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. *Isa.* 56. 10. 11.

Stupor et mirabilia facta sunt in terra : Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia : quid igitur fiet in novissimo ejus? *Jerem.* 5. 30.

Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum. *Matth.* 15. 14.

Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? *Luc.* 6. 39.

Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 1. *Tim.* 1. 5.

Mali autem homines et seductores proficient in pejus; errantes, et in errorem mittentes. 2. *Tim.* 3. 13.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores : maxime qui de circumcisione sunt : quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia. *Tit.* 1. 10.

EVANGELIZANS *qui Deum offendit.*

Væ, qui dicitis malum bonum et bonum malum. *Isa.* 5. 20.

Prophetæ ejus in pecunia divinabant : et super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala. Propter hoc, causà vestri, Sion, quasi ager, arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum. *Mich.* 3. 11.

Et vobis legisperitis, væ : quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, et ipsi digito vestro non tangitis sarcinas. *Luc.* 11. 46. Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ; ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis. *v.* 52.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium. *Rom.* 16. 17.

EVANGELIZANS. — *Qui contemnit evangelizantem, Deum despicit.*

Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos, per manum nuntiorum suorum de nocte consurgens, et quotidie commonens : eò quod parceret populo, et habitaculo suo. At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque. Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio. 2. *Par.* 36. 15. *Item c.* 24. 19.

Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium Sancti Israel blasphemaverunt. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum, etc. *Isa.* 5. 24.

Populus enim ad iracundiam provocans

est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus : Nolite videre ; et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra Sanctus Israel. *Ibid.* 30. 9. 10. 11.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? *Ibid.* 53. 1.

Sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam : sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali. *Jerem.* 7. 23. 24. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem consurgens diluculo, et mittens. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam : sed induraverunt cervicem suam : et pejus operati sunt, quam patres eorum. *v.* 25. 26. Periit fides, et ablata est de ore eorum. *v.* 28.

Ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens et loquens, et non obedisti mihi. Misique ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque, et dicens : Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra — et non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. *Ibid.* 35. 14. 15.

Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te : sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro. *Ibid.* 44. 16.

Nolunt audire te, quia nolunt audire me : omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde. *Ezech.* 3. 7.

Venite, et audiamus, quis sit sermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus : et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos : quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. *Ibid.* 33. 30. 31.

Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam (vel super terram sine fundamento). Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. *Matth.* 7. 26. 27. *V. Luc.* 6. 49.

Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. *Luc.* 10. 16.

Qui spernit me, et non accipit verba mea : habet qui judicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quia ego ex me ipso non sum locutus ; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar. *Joan.* 12. 48. 49.

Sed non omnes obediunt Evangelio. *Rom.* 10. 16.

Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum : in iis, qui pereunt, est opertum : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentem infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. *Cor.* 4. 3.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati ? etc. *Galat.* 3. 1.

Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum : qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis. 1. *Thess.* 4. 8.

Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. *Jacob.* 1. 22.

EVANGELIZANS. — ....., *malum super se inducit.*

Si autem audierint, transibunt per gladium, et consumentur in stultitia. *Job* 36. 13.

Et tu, fili hominis : ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis : et non egredieris de medio eorum. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans : quia domus exasperans est. *Ezech.* 3. 25.

Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum : et erunt vagi in nationibus. *Oseæ* 9. 17.

Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes, et aures suas aggravaverunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt, ut adamantem, ne audirent legem, et verba, quæ misit Dominus exercituum in Spiritu Sancto, per manum Prophetarum priorum, etc. *Zach.* 7. 11.

Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis. To-

tcrabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. *Matth.* 10. 14. 15.

Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt : Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. *Ibid.* 11. 16.

Iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum. *Rom.* 2. 8.

In revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus in flamma ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Qui pœnam dabunt in interitu æternas a facie Domini, etc. 2. *Thess.* 1. 7.

Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem : quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? *Hebr.* 2. 1. 2. 3.

Irritam qui faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? *Ibid.* 10. 28. 29.

Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. 2. *Joan.* 9.

EUCHARISTIA. — *Eucharistiæ institutio.*

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus novi et æterni testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth.* 26. 26. *Item Marc.* 14. 22. *Item Luc.* 22. 19.

Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem, etc. 1. *Cor.* 11. 24.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *Ibid.* 10. 16.

EUCHARISTIA *frequenter sumenda.*

Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Act.* 2. 42. *V. c.* 20. 7. *Item. Psal.* 77. 24. 25. *Prov.* 9. 2. 5. *Sap.* 16. 20.

EUCHARISTIA *præfiguratur.*

Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem : Manhu? quod significat : Quid est hoc? ignorabant enim, quid esset. Quibus ait Moyses : Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. *Exod.* 16. 15.

EUCHARISTIA *prophetatur. Malach.* 1. 11.

EUCHARISTIA *sub altara tantum, nimirum sub panis specie.*

Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. *Luc.* 24. 40.

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. *Joan.* 6. 59. *V. v.* 33. *et.* 48. 50. 51. 52. 58.

Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis. *Act.* 2. 42.

Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem. *Ibid.* 20. 7. *V. c.* 27. 35.

Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. *Rom.* 6. 9.

Quicumque manducaverit panem hunc, NB., vel biberit calicem. 1. *Cor.* 11. 27.

Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, etc. 1. *Joan.* 4. 3.

EUCHARISTIA *data a Christo.*

Et factum est, dum recumberet cum eis (Jesus), accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. *Luc.* 24. 30. *V.* 1. *Cor.* 11. 23.

EUCHARISTIA *data ab Apostolis.*

Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Act.* 2. 42. *V. c.* 20. 7. *et* 1. *Cor.* 11. 17.

EUCHARISTIA. — *In Eucharistia non remanet substantia panis post consecrationem, sed est verum corpus et sanguis Christi, quod est Transubstantiatio.*

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et manducate : hoc est corpus meum. *Matth.* 26. 26. *Item Marc.* 14. 22. *Luc.* 22. 19. 1. *Cor.* 11. 24.

Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Joan.* 6. 51. *V.* 1. *Cor.* 10. 16.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 1. *Cor.* 10. 16.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis et sanguinis Domini — NB. non dijudicans corpus Domini. *Ibid.* 11. 27. 29.

EUCHARISTIA. — *Circumferendam esse in publicis processionibus præfiguratur.*

Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, et dixit ad eos : Tollite Arcam fœderis : et septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, et incedant ante Arcam Domini. Ad populum quoque ait : Ite, et circuite civitatem, armati præcedentes Arcam Domini. *Josue* 6. 6.

Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens Arcam Dei. Ahio præcedebat Arcam. David autem et omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis. 2. *Reg.* 6. 4. *V.* 1. *Reg.* 7. 1.

EUCHARISTIA *adoranda.*

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. *Psal.* 21. 28. Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram. *v.* 30.

Exaltate Dominum Deum nostrum : et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. *Psal.* 98. 5.

Et dixit ei (cæco nato) Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. *Joan.* 9. 37. 38.

EXACTIO *census, et tributum debetur principibus.*

Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma? etc. *Matth.* 17. 23.

Dic ergo nobis, quid tibi videtur? licet censum dare Cæsari, annon? *Ibid.* 22. 12. *Item Luc.* 20. 22.

At illi attulerunt ei (denarium). Et ait illis : Cujus est imago hæc, et inscriptio? Dicunt ei : Cæsaris. Respondens autem Jesus, dixit illis : Reddite igitur, quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo. *Marc.* 12. 16. *Matth. v.* 22. 21.

Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem. *Rom.* 13. 7.

EXCOMMUNICATIO *a Christo instituta et præcepta.*

Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. *Matth.* 16. 19.

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. *Ibid.* 18. 8. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *v.* 18.

Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me : bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. *Marc.* 9. 41.

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 22.

EXCOMMUNICATIO *usitata ab Apostolis.*

Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. 1. *Cor.* 5. 3.

Denuntiamus autem vobis, fratres, in

nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. 2. *Thess.* 3. 6. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur : et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. *v.* 14.

Ex quibus est Hymenæus et Alexander : quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. 1. *Tim.* 1. 20.

Hæreticum hominem, post unam, et secundam correptionem, devita : sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. *Tit.* 3. 10. 11.

EXCOMMUNICATIO *exercenda ad ædificationem Ecclesiæ, et ad correctionem ejus qui excommunicatur.*

Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur, et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 2. *Thess.* 3. 14. *V.* 1. *Cor.* 5. 3. *Item* 1. *Tim.* 1. 20.

EXCOMMUNICATIO *Pharisæorum.*

Hæc dixerunt parentes ejus (cæci nati), quoniam timebant Judæos : jam enim conspiraverunt Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. *Joan.* 9. 22. Responderunt, et dixerunt ei. In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras. *v.* 34.

Verumtamen, et ex principibus multi crediderunt in eum : sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. *Ibid.* 12. 42.

Absque Synagogis facient vos : sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Joan.* 16. 2.

EXCOMMUNICATIO. — *Excommunicandi sunt, qui in moribus aut doctrina graviter errantes, admoniti, nolunt resipiscere.*

Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. *Prov.* 22. 10.

Quod si non audierit eos (testes), dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Matth.* 18. 17.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt : et declinate ab illis. *Rom.* 16, 17.

Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri, etc. 1. *Cor.* 5. 3. *V.* *Coloss.* 2. 5.

Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem. 2. *Cor.* 2. 8.

Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur : et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 2. *Thess.* 3. 14. *V.* 1. *Tim.* 1. 20. *et. c.* 6. 3.

Et sermo eorum, ut cancer serpit : ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse jam factam, et subvertunt quorumdam fidem. 2. *Tim.* 2. 17. Si quis ergo emundaverit se ab istis ; erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. *v.* 21. *V.* *c.* 3. 5.

Hæreticum hominem, post unam, et secundam correptionem, devita : sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. *Tit.* 3. 10. 11.

EXCOMMUNICATIO. — *Excommunicati vitandi.*

Quod si non audierit eos (testes), dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus, *Matth.* 18. 17. *V.* 1. *Cor. c.* 5. *per totum.*

Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita : sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. *Tit.* 3. 10. 11. (Prædictis docemur vitare hæreticos).

EXEMPLUM *bonum.*

Describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine (cordis), accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus. *Deut.* 17. 18.

Et exemplo didici disciplinam. *Prov.* 24. 32.

Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam (in exemplum)! sic enim effugies voluntarium peccatum. *Eccli.* 20. 4.

Vidi, et ecce candelabrum aureum to-

tum (per caritatem), et lampas ejus super caput ipsius, etc. *Zach.* 4. 2.

Et accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant et lucebant in templo. 1. *Mach.* 4. 50.

Adoleseentibus autem exemplum forte relinquam. 2. *Mach.* 6. 28.

Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio (neque in abscondito), sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt (et qui ingrediuntur lumen videant). *Matth.* 5. 14. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *v.* 16. *V. Luc.* 11. 33.

Si ergo lumen, quod in te est (deberet esse), tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? *Ibid.* 6, 23.

Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. *Luc.* 11. 35.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris. *Ibid.* 12. 35.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. *Joan.* 3. 21.

Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *Rom.* 12. 17. *V.* 2. *Cor.* 8. 21.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. *Ibid.* 15. 2.

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 1. *Cor.* 11. 1.

Omnia ad ædificationem fiant. *Ibid.* 14. 26.

Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt : aliis quidem odor mortis inmortem, aliis autem odor vitæ in vitam. 2. *Cor.* 2. 15.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia. *Ibid.* 6. 4.

Et vestra æmulatio provocavit plurimos. *Ibid.* 9. 2.

Ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ, et perversæ : inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi. *Philipp.* 2. 15.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Ibid.* 4. 5.

Præcepimus vobis (fratres) : et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt : et nullius aliquid desideretis. I. *Thess.* 4. 11.

Ab omni specie mala abstinete vos. *Ibid.* 5. 22.

Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate — ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 1. *Tim.* 4. 12. *et.* 15.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate: verbum sanum, irreprehensibile. *Tit.* 2. 7.

Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Jacob.* 3. 13.

Exemplum accipite, fratres, exitus mali, et laboris et patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. *Ibid.* 5. 10.

Conversationem vestram inter gentes habentes bonam : ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. 1. *Petr.* 2. 12. Sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. *v.* 15. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *v.* 21.

EXEMPLUM. — *Malum exemplum, et scandalum vitandum.*

Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium jumentorum : quod autem mortuum est, ipsius erit. *Exod.* 21. 33. Reddet animam pro anima. *supr. v.* 23.

Non sequeris turbam ad faciendum malum : nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. *Ibid.* 23. 2,

Cave ne imitari velis abominationes illarum Gentium. *Deut.* 18. 9.

Faciem murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio, et in præceps ruente. *Ibid.* 22. 8.

Quare præcipitas hæreditatem Domini (exemplo tuo)? 2. *Reg.* 20. 19.

Videte ergo, ne et vos similes efficiamini factis alienis (in malum). *Baruch.* 6. 4.

Si oculus tuus dexter scandalizat te,

erue eum, et projice abs te. *Matth.* 5. 29. *V. c.* 18. 9. *Item Marc.* 9. 46.

Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare (ait Jesus Petro), et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me, et te. *Ibid.* 17. 26.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. *Ibid.* 18. 6. (*Item Marc.* 9. 41). Væ mundo a scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. *v.* 7. *V. Luc.* 17. 2.

Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. *Rom.* 14 13. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. *v.* 15. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda : sed malum est homini, qui per offendiculum (alterius) manducat. *v.* 20. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. *v.* 21. *V.* 1. *Cor.* 8. 11. *et* 13.

Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 1. *Cor.* 8. 9. Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? *v.* 11. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. *v.* 12. 13.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2. *Cor.* 6. 35. 1. *Cor.* 10. 32.

EXEMPLUM *in correptionem et cautelam.*

Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero viro —. det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo. *Num.* 5. 20. 21.

Gladio et igne pereat, et sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis — sit in sempiternum pro exemplo contemptus et inobedientiæ. *Esther.* 16. 24.

Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis. *Job.* 17. 6.

Qui se jungit fornicariis, erit nequam : putredo et vermes hæreditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. *Eccli.* 19. 3.

Eritque Moab in derisum et in exemplum omnibus in circuitu suo. *Jerem.* 48. 39.

Et projiciam super te abominationes (tuas), et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum. *Nahum.* 3. 6.

(Mathathias moriturus, proponit plurima exempla Sanctorum, ad imitandum). 1. *Mach.* 2. 49.

Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit : exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens. 2. *Petr.* 2. 6. *V. Gen.* 19. 25.

Sicut Sodoma et Gomorrha et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. *Judæ* 7.

EXEQUIÆ *celebrantur.*

Venitque Abraham, ut plangeret et feret eam (Saram). Cumque surrexisset ab officio funeris, etc. *Gen.* 23. 2.

Veneruntque ad Arcam — ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt septem dies, etc. *Ibid.* 50. 10.

Fleverunt eum filii Israel — triginta diebus : et completi sunt dies planctus lugentium Moysen. *Deut.* 34. 8.

Dixit autem David ad Joab, et omnem populum, etc. Scindite vestimenta vestra — et plangite ante exequias Abner : porro rex sequebatur feretrum. 2. *Reg.* 3. 31. *V. versus sequentes.*

EXERCITIUM *V. et.* **Labor.**

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus. *Prov.* 12. 11. *V. Eccli.* 20. 30.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Eccles.* 9. 10.

EXPERIENTIA *laudabilis.*

Vir in multis expertus, cogitabit multa : et qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit. *Eccli.* 34. 9. 10.

EXPLICATIO *Sacræ Scripturæ.* *V.* **Sacra Scriptura.**

F

FACERE, *pro sacrificare, in Scripturis.*

Qui (Sacerdos) faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum : rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui. *Lev.* 15. 15. *Item v.* 30.

Facietque Sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo. *Num.* 6. 11. Quæ offeret Sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato, quam in holocaustum. *v.* 16.

Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, et alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis. *Ibid.* 8. 12.

Faciant filii Israel Phase in tempore suo. *Ibid.* 9. 2. Præcepitque Moyses filiis Israel, ut facerent Phase. *v.* 4. Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino, etc. *v.* 10. Peregrinus quoque et advena, si fuerint apud vos, faciant Phase Domino juxta cæremonias et justificationes ejus. *v.* 14.

Si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. *Judic.* 13. 16.

Hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19. *Item* 1. *Cor.* 11. 24.

FALLACIA *mulierum. V.* **Mulierum fallacia.**

FAMA *bona, præstantior divitiis.*

Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terra. *Josue* 6. 27.

Major est sapientia, et opera tua, quam rumor, quem audivi. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, etc. 3. *Reg.* 10. 7.

Et hæc erat (Judith) in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde ; nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Judith* 8. 8.

Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ : super argentum et aurum, gratia bona. *Prov.* 22. 1.

Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa et dies mortis, die nativitatis. *Eccles.* 7. 2.

Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. Bonæ vitæ numerus dierum : bonum autem nomen permanebit in ævum. *Eccli.* 41. 15.

Quæcumque (sunt) bonæ famæ (sectemini). *Philipp.* 4. 8.

Oportet autem illum (Episcopum) et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. 1 *Tim.* 3. 7.

FAMA *bona, diligenter conservanda.*

In omnibus operibus tuis præcellens esto. Ne dederis maculam in gloria tua. *Eccli.* 33. 23.

Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. Bonæ vitæ numerus dierum : bonum autem nomen permanebit in ævum. *Ibid.* 41. 15.

FAMA *mala.*

Nolite, filii mei (dicebat Heli filiis suis) : non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. 1. *Reg.* 2. 24.

Ne dederis maculam in gloria tua (sive, ne imprimas famæ tuæ maculam). *Eccli.* 33. 23.

FAMES *et annonæ caritas annumerantur inter mala pœnæ.*

Facta est autem fames in terra (Haran) : descenditque Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi : prævaluerat enim fames in terra. *Gen.* 12. 10.

Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, etc. *Ibid.* 26. 1.

(Somnia Pharaonis de bobus et spicis unicus Joseph interpretatus, toti Ægypto præficitur, et ex Aseneth data sibi a Pharaone uxore, duos sustulit filios ante septem annos famis). *Ibid. c.* 41.

(Cogente fame, ægre importrarunt fratres Joseph a patre, ut in Ægyptum revertentes cum muneribus, ac duplici pecunia, Benjamin secum ducerent, qui educto Simeone de carcere, simul epulati sunt cum Joseph). *Ibid. c* 42. *V. et. Capita* 43. 44. 45.

(Fames tantum premit Ægyptum, ut venditis pecoribus, terram quoque ven-

dere sint coacti : quo factum est, ut quinta pars frugum regibus Ægypti perpetuo cedat, præterquam in possessionibus Sacerdotum). *Ibid. c.* 47.

Dixerunt filii Israel ad eos (Moysen et Aaron) : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate : cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? *Exod.* 16. 3.

Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo : dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. *Deut.* 32. 22.

(Elimelech Bethlehemita præ nimia fame cum uxore Noemi, ac filiis in Moab concedit, ibique moritur). *Ruth c.* 1.

(Immissa propter Saulis in Gabaonitas peccatum fame trienii, ad illorum petitionem David reliquias Saulis præter Miphiboseth tradidit, ut crucifigerentur, etc.) 2. *Reg. c.* 21.

Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens : Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua : aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur : aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, et vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem. Dixit autem David ad Gad : Coarctor nimis; sed melius est, ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt), quam in manus hominum. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo a Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum. *Ibid.* 24. 13. 14. 15.

Fames, si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, et afflixerit eum inimicus ejus, portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, cuncta devoratio, et imprecatio, quæ acciderat omni homini de populo tuo Israel : si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum), ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 3. *Reg.* 8. 37. 38. 39. 40. *V. c.* 18. 2.

Factaque est fames magna in Samaria : et tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. 4. *Reg.* 6. 25.

(Post famem ab Eliseo prædictam, Sunamitis, quæ ipsius consilio peregrinata erat, reversa, suos agros cum fructibus recuperat). Eliseus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens : Surge, vade tu, et domus tua, et peregrinare ubicumque repereris : vocavit enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis. *Ibid.* 8. 1. *V. c.* 4. 38. *c.* 6. 25. *c.* 25. 3.

Si irruerint super nos mala, gladius judicii, pestilentia, et fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum : et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies. 2. *Paral.* 20. 9. *V. c.* 6. 28.

(In magna fame Nehemias divites avaros increpat, usurasque prohibet, sua indigentibus sponte elargiens). 2. *Esdr. c.* 5.

Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur. *Psal.* 36. 19.

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam : et nobiles interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. *Isa.* 5. 13.

Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum : et si obtulerint holocautomata et victimas, non suscipiam ea : quoniam gladio, et fame, et peste consumam eos. *Jerem.* 14. 12. Idcirco hæc dicit Dominus de Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes : Gladius et fames non erit in terra hac : in gladio et fame consumentur Prophetæ illi. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jerusalem præ fame et gladio : et non erit, qui sepeliat eos ; ipsi et uxores eorum, filii et filiæ eorum : et effundam super eos malum suum. *v.* 15. 16.

Dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Qui ad mortem, ad mortem : et qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem, ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem. *Ibid.* 15. 2.

(Captivos Judæos vaticinatur, 70. annis

in Babylone permansuros, hortaturque ut illic multiplicari studeant, et deinde reducentur; eos vero, qui Hierosolymis remanserunt, gladio et fame et peste dicit consumendos). *Ibid. c.* 29. Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce mittam in eos gladium, et famem, et pestem : et ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt, eo, quod pessima sint. Et persequar eos in gladio, et in fame, et in pestilentia : et dabo eos in vexationem universis regnis terræ : in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego ejeci eos : eo quod non audierint verba mea. *v.* 17. 18. 19.

Propterea hæc dicit Dominus : Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo : ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem : et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. *Ibid.* 34. 17.

Tertia pars tui (loquitur Deus ad Jerusalem) peste morietur, et fame consumetur in medio tui : et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo : tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos. Et complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor : et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis, etc. *Ezech.* 5. 12. 13. Ego Dominus locutus sum : quando misero sagittas famis pessimas in eos; quæ erunt mortiferæ, et quas mittam, ut disperdam vos : et famem congregabo super vos, et conteram in vobis baculum panis. Et immittam in vos famem, et bestias pessimas usque ad internecionem; et pestilentia, et sanguis transibunt per te, et gladium inducam super te : ego Dominus locutus sum. *v.* 16. 17. *V. c.* 4. 16. *c.* 14. 13.

(Propter multiplicem idololatriam filiorum Israel, prædicuntur eorum urbes et excelsa dissipanda, et qui pestem, gladium, et famem evaserint, dispergendi in gentes, ubi mala perpessi, convertentur ad Dominum), *Ibid. c.* 6. Hæc dicit Dominus Deus : Percute manum tuam, et allide pedem tuum, et dic : Heu! ad omnes abominationes malorum domus Israel : quia gladio, fame, et peste ruituri sunt. Qui longe est, peste morietur : qui autem prope, gladio corruet : et qui relictus fuerit, et obsessus, fame morietur : et complebo indignationem meam in eis. *v.* 11. 12. *V. Joel. c.* 1. *per totum. Amos.* 4. 6. *Aggæi* 1. 6. 10. *et. c.* 2. 17.

Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. *Matth.* 24. 7.

In veritate dico vobis : Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra : et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. *Luc.* 4. 25.

Venit autem fames in universam Ægyptum et Chanaan, et tribulatio magna : et non inveniebant cibos patres nostri. *Act.* 7. 11. *V. Luc.* 15. 14.

Et surgens unus ex eis (scilicet Prophetis venientibus Antiochiam Hierosolymis) nomine Agabus, significabat per Spiritum, futuram magnam in universo orbe terrarum famem, quæ facta est sub Claudio. *Ibid.* 11. 28.

Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? *Rom.* 8. 35.

In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas. 2. *Cor.* 8. 14.

(Paulus de se dicit, quod fuerit) in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate : præter illa, quæ extrinsecus sunt, etc. *Ibid.* 11. 27. 28.

Ideo in una die venient plagæ ejus, mors et luctus, et fames, et igne comburetur : quia fortis est Deus, qui judicabit illam. *Apoc.* 18. 8. *V. c.* 6. 8.

FAMES *verbi Dei.*

Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis; non erat visio manifesta. 1. *Reg.* 3. 1.

Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore, et absque lege. 2. *Paral.* 15. 3.

Dies multos expectabis me : non fornicaberis, et non eris viro : sed et ego expectabo te : quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et

sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. *Oseæ*. 3. 3.

Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ : non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. *Ibid.* 4. 1.

Ecce dies venient, dicit Dominus : et mittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem : circuibunt, quærentes verbum Domini, et non invenient. *Amos* 8. 11. 12.

FAMILIARITAS *honesta.*

Advocatus a potentiore, discede ; ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus sis, ne impingaris : et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. *Eccli.* 13. 12.

FAMILIARITAS *inhonesta.*

Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te. *Prov.* 25. 17.

Domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. *Ibid.* 27. 10.

Pes fatui facilis in domum proximi : et homo peritus confundetur a persona potentis. Stultus a fenestra respiciet in domum : vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium : et prudens gravabitur contumelia. *Eccli.* 21. 25, 26. 27.

FAMULI. — *Famulorum famularumque officium.*

(Agar a domina Sarai traditur Abrahæ uxor, quæ ubi concepisset, et ob id dominam contemneret, ab illa afflicta, fugam init, sed jussu Angeli eidem submissa, parit Ismaelem). *Gen. c.* 16. Dixitque ei (Agar) Angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius, etc. *v.* 9.

(Servus Abrahæ ab ipso adjuratus et in Mesopotamiam ad quærendam uxorem Isaac missus, signo a Domino petito, Rebeccam invenit, et habito parentum ac fratris ipsiusque consensu, adducit ad Isaac, quam ille ducit in uxorem : et ita super morte matris accipit consolationem), *Ibid. v.* 24.

Da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam : tu nosti servitutem, qua servivi tibi. *Ibid.* 30. 26.

(Cum prospere ageret Joseph apud herum Putipharem, eique gratiosus totam administraret familiam, contemnens heram sæpius de concubitu interpellantem, accusatur apud dominum, et in carcerem conjicitur : ubi custodis gratiam meretur, a quo omnium vinctorum curam accepit). *Ibid. c.* 39.

Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur liber gratis. *Exod.* 21. 2. Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. *v.* 20. Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos, pro oculo, quem eruit. Dentem quoque, si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. *v.* 26. *V. et Deut.* 15. 12.

Non avertas ab eis (a servo et ancilla tua) oculos tuos, quando dimiseris eos liberos — ut benedicat tibi Dominus Deus tuus. *Deut.* 15. 18. *V. a. v.* 12. *usque huc.*

(Giezi propter munera mendacio extorta, et spreta ab Eliseo hero suo, lepra punitur). 4. *Reg.* 5. 27.

Acceptus est — minister intelligens. *Prov.* 14. 35.

Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet. *Prov.* 17. 2.

Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus. *Ibid.* 19. 10.

Servus verbis non potest erudiri : quia quod dicis, intelligit, et respondere contemnit. *Ibid.* 29. 19.

Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum : ne forte audias servum tuum maledicentem tibi. *Eccles.* 7. 22. *V. Jerem.* 34. 8. *et. Joel.* 2. 29.

Servo sensato liberi servient : et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus. *Eccli.* 10. 28.

(Rex et populus traduntur in manus hostium, eo quod servos et ancillas non tractaverunt juxta fœdus cum Domino). *Jerem.* 34. 8.

Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. *Luc.* 12. 37. Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem. *v.* 43.

Pulsante autem eo ostium januæ, pro-

cessit puella ad videndum, nomine Rhode. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens, nuntiavit stare Petrum ante januam. *Act.* 12. 13. 14.

Servus vocatus es? non sit tibi curæ; sed et si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini : similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. 1. *Cor.* 7. 21 22.

Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus : scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas : scientes quia et illorum, et vester Dominus est in cœlis : et personarum acceptio non est apud eum. *Ephes.* 6. 5. *et. seq. Item Coloss.* 3. 22.

Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. 1. *Tim.* 6. 1.

Servos dominis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudentes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes : ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. *Tit.* 2. 9. 10.

Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. 1. *Petr.* 2. 18.

FERMENTUM, *mala doctrina.*

Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. *Lev.* 2. 11.

Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento : et comedet in loco sancto atrii tabernaculi. *Ibid.* 6. 16.

Non comedes in eo panem fermentatum : septem diebus comedes, absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto : ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. *Deut.* 16. 3. *V. Exod.* 12. 19.

Qui dixit illis (Jesus discipulis) : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum. *Matth.* 16. 6.

Et præcipiebat eis (Jesus) dicens : Videte, et cavete a fermento Pharisæorum, et a fermento Herodis. *Marc.* 8. 15.

Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrysis. Nihil autem opertum est, quod non reveletur : neque absconditum, quod non sciatur. *Luc.* 12. 1. 2.

Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. 1. *Cor.* 5. 6. *Idem verbatim fere habetur Galat.* 5. 9.

FESTUM *Paschæ, ejusque celebratio et institutio.*

(Paschalis agni ritu celebrato ac declarato, ejusque sanguine domorum superliminaribus illito, cæsis ab Angelo omnibus Ægypti primogenitis, de ritu Phase ac esu azymorum, et tempore habitationis Israel in Ægypto tractatur). *Exod. c.* 12.

Septem diebus vesceris azymis : et in die septimo erit sollemnitas Domini. Azyma comedetis septem diebus : non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. *Ibid.* 13. 6.

Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto : non apparebis in conspectu meo vacuus. *Ibid.* 23. 15.

Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum : mense enim verni temporis egressus es de Ægypto. *Ibid.* 34. 18.

Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est : et quintadecima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque : omne opus servile non facietis in eo, etc. *Levit.* 23. 5. 6. 7.

Faciant filii Israel Phase in tempore suo : quartadecima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes cæremonias, et justificationes ejus. *Num.* 9. 2. Loquere filiis Israel : Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense se-

cundo, quartadecima die mensis ad vesperam : cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud. *v.* 10. 11.

Septem diebus vescentur azymis. Quarum dies prima venerabilis et sancta erit : omne opus servile non facietis in ea. *Ibid.* 28. 17. 18.

Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo : quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte, etc. *Deut.* 16. 1. Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, etc. *v.* 5.

Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt Phase, quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Jericho. *Josue* 5. 10.

Et præcepit omni populo; dicens : Facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus. 4. *Reg.* 23. 21.

Misit quoque Ezechias ad omnem Israel et Judam : scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen, ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, et facerent Phase Domino Deo Israel. 2. *Paral.* 30. 1. Immolaverunt autem Phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini. *v.* 15.

Fecit autem Josias in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quartadecima die mensis primi. *Ibid.* 35. 1.

Fecerunt autem filii Israel transmigrationis Pascha, quartadecima die mensis primi. 1. *Esdr.* 6. 19.

Et hæc, cum fierent eleganter, steterunt Sacerdotes et Levitæ habentes azyma per tribus, etc. 3. *Esdr.* 1. 10.

Et egerunt filii Israel cum his, qui erant ex captivitate, illud Phase quartadecima luna mensis primi, quando sanctificati sunt Sacerdotes et Levitæ. *Ibid.* 7. 10.

In primo mense, quartadecima die mensis, erit vobis Paschæ sollemnitas : septem diebus azyma comedentur. *Ezech.* 45. 21.

Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha, etc. *Matth.* 26. 19. *V. Marc.* 14. 12.

Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. *Luc.* 22. 9.

FESTUM *Pentecostes.*

Et solemnitatem custodies) messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro : sollemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. *Exod.* 23. 16.

Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, et solemnitatem, quando redeunte anni tempore, cuncta conduntur. *Ibid.* 34. 22.

Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit : omne opus servile non facietis in ea. *Num.* 28. 26.

Septem hebdemadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris, etc. *Deut.* 16. 9.

Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam, etc. *Joan.* 5. 1.

Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, etc. *Act.* 2. 1.

Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia : festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis. *Ibid.* 20. 16.

FESTUM *Tubarum.*

Loquere filiis Israel : Mense septimo, prima die mensis, erit vobis Sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum : omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino. *Levit.* 23. 24.

Mensis enim septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est et tubarum. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem, etc. *Num.* 29. 1.

Venerunt itaque ad regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi, etc. 2. *Paral.* 5. 3.

FESTUM *Expiationum.*

In hac die expiatio erit vestri, atque mudatio ab omnibus peccatis vestris : coram Domino mundabimini. *Levit.* 16. 30.

Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et voca-

bitur sanctus : affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. *Ibid.* 23. 27.

Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, et affligetis animas vestras : omne opus servile non facietis in ea. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos aniculos immaculatos septem. *Num.* 29. 7. *V. Joan.* 7. 37.

FESTUM *Tabernaculorum.*

Et solemnitatem (custodies) mensis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro : solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. *Exod.* 23. 16.

Loquere filiis Israel : A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ Tabernaculorum, septem diebus Domino. *Levit.* 23. 34.

Solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area et torculari fruges tuas : et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus, filia tua, servus tuus, et ancilla. *Deut.* 16. 13.

Præcepitque eis, dicens : Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate Tabernaculorum, etc. *Ibid.* 31. 10.

Feceruntque solemnitatem Tabernaculorum, sicut scriptum est, et holocaustum diebus singulis per ordinem, secundum præceptum, opus die in die suo. 1. *Esdr.* 3. 4.

Et invenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israel in tabernaculis, in die solemni, mense septimo : et ut prædicent, et divulgent vocem in universis urbibus suis : et in Jerusalem, dicentes : Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos palmarum, et frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est, etc. 2. *Esdr.* 8. 14. Fecit ergo universa ecclesia eorum, qui redierant de captivitate, tabernacula, et habitaverunt in tabernaculis. *v.* 17.

Et nunc frequentate dies Scenopegiæ mensis Casleu. 2. *Mach.* 1. 9.

Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum; recordantes, quod ante modicum temporis, diem solemnem Tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant. *Ibid.* 10. 6.

Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. *Joan.* 7. 2.

FESTUM *Sabbati.*

Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat : et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret. *Gen.* 2. 2.

(Moyses ait Israelitis) : Hoc est, quod locutus est Dominus : requies Sabbati sanctificata est Domino cras : quodcumque operandum est, facite : et quæ coquenda sunt, coquite : quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane. *Exod.* 16. 23.

(Sexta die filii Israel in deserto colligebant Manna in duplici quantitate, ut die Sabbati vacarent ab omni opere), *supr. v.* 22.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices. *Ibid.* 20. 8. *V. v.* 11.

Sex diebus operaberis : septimo die cessabis, ut requiescat bos, et asinus tuus : et refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena. *Ibid.* 23. 12.

Custodite Sabbatum meum ; sanctum est enim vobis : qui polluerit illud, morte morietur : qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. *Ibid.* 31. 14. Pactum est sempiternum inter me et filios Israel, signumque perpetuum : sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et in septimo ab opere cessavit. *v.* 16.

Sex diebus operaberis : die septimo cessabis arare et metere. *Ibid.* 34. 21.

Sex diebus facietis opus : septimus dies erit vobis sanctus, Sabbatum, et requies Domini : qui fecerit opus in eo, occidetur. *Ibid.* 35. 2. *V. Levit.* 23. 3.

Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. Sabbata mea custodite. *Levit.* 19. 3. *V. c.* 26. 2.

Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus. Septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini : agrum non seres, et vineam non putabis. *Ibid.* 25. 3. *V. Exod.* 23. 10.

Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem

colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi et Aaron, et universæ multitudini, etc. *Num.* 15. 32.

Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, et liba, quæ rite funduntur per singula Sabbata in holocaustum sempiternum. *Ibid.* 28. 9.

Observa diem Sabbati, et sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, etc. *Deut.* 5. 12.

(Nehemias objurgat, et puniuntur Sabbati violatores). 2. *Esdr.* 3. 15.

Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes pisces et omnia venalia : et vendebant in Sabbatis filiis Juda in Jerusalem. Et objurgavi optimates Juda, et dixi eis : Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, et profanatis diem Sabbati? Numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc? *Ibid.* 13. 16. Dixi quoque Levitis, ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandam diem Sabbati : et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. *v.* 22.

Beatus vir qui facit hoc (scilicet judicium et justitiam), et filius hominis qui apprehendet istud : custodiens Sabbatum, ne polluat illud — Quia hæc dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint Sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum : dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus : nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. *Isa.* 56. 2.

Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris Sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem : tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui; os enim Domini locutum est. *Ibid.* 58. 13. 14. *V. c.* 66. 23.

Hæc dicit Dominus : Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem. Et nolite ejicere onera de domibus vestris in die Sabbati, et omne opus non facietis. Sanctificate diem Sabbati, sicut præcepi patribus vestris. *Jerem.* 17. 21. 22. Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem Sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die Sabbati, succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur. *v.* 27.

Et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Insuper et Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos : et scirent, quia ego Dominus sanctificans eos. *Ezech.* 20. 11. *V. Exod.* 20. 8. *et c.* 31. 13.

Sanctuaria mea sprevisti, et Sabbata mea polluisti. *Ibid.* 22. 8.

Et scripsit Rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus : et relinqueret unusquisque legem suam. Et consenserunt omnes gentes, secundum verbum regis Antiochi : et multi ex Israel consenserunt servituti ejus, et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt Sabbatum. Et misit Rex libros per manus nuntiorum in Jerusalem, et in omnes civitates Juda : ut sequerentur leges Gentium terræ, et prohiberent holocausta, et sacrificia, et placationes fieri in templo Dei, et prohiberent celebrari Sabbatum, et dies solemnes, et jussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israel, etc. 1. *Mach.* 1. 43. *et seq. Item c.* 2. *per totum. Item* 2. *Mach.* 8. 26.

Nicanor autem, ut comperit Judam esse in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die Sabbati committere bellum. Judæis vero, qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus : Ne ita ferociter et barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, et honora eum, qui universa conspicit, etc. 2. *Mach.* 15. 1. 2.

In illo tempore abiit Jesus per sata Sabbato : discipuli autem ejus esurientes, cœperunt vellere specicas, et manducare. *Matth.* 12. 1. *Item Marc.* 2. 23. *V. Matth.* 12. 10. *Marc.* 3. 2.

Et facto Sabbato, cœpit in Synagoga docere : et multi audientes, admirabantur in doctrina ejus. *Marc.* 6. 2.

Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam, di Sabbati, in Synagogam, et surrexit legere, etc. *Luc.* 4. 16. Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis. Et stupebant in doctrina ejus. *v.* 31.

Quidam autem Pharisæorum dicebant

illis : Quid facitis quod non licet in Sabbatis? Et respondens Jesus ad eos, dixit : Nec hoc legistis, quod fecit David, cum esuriret ipse, et qui cum illo erant : quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit — quos non licet manducare, nisi tantum Sacerdotibus? *Ibid.* 6. 2. *V. Exod.* 29.32. *Levit.* 24. 8.

Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis. *Ibid.* 13. 10. *V. v.* 14. *et* 15. *Item c.* 14. 1. *Item Joan.* 7. 22. *et c.* 9. 14.

Dicebant ergo Judæi, illi qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. *Joan.* 5. 10.

Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ : et ingressi Synagogam die Sabbatorum, sederunt, etc. *Act.* 13. 14. *V. v.* 27. Sequenti vero Sabbato : pene universa civitas convenit audire verbum Dei. *v.* 44. *V. c.* 15. 21. *et c.* 18. 4.

Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. *Ibid.* 20. 7.

Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit : ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. 1. *Cor.* 16. 2.

Dixit enim in quodam loco de die septima sic : Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis, etc. *Hebr.* 4. 4. *ut veram requiem adipiscamur.*

FESTUM *Sabbati a bono, bene observatur.*

Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis — Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas. *Exod.* 20. 8.

Sex diebus operaberis : septimo die cessabis arare et metere. *Ibid.* 34. 21.

Sex diebus facietis opus : dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo, etc. *Levit.* 23. 3. A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. *v.* 32.

Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum — Non facies in eo quidquam operis. *Deut.* 5. 12. *et* 14.

Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris Sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem : tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ. *Isa.* 58. 13.

Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die Sabbati. *Jerem.* 17. 21. Et erit : Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die Sabbati : et si sanctificaveritis diem Sabbati, ne faciatis in eo omne opus : impedientur per portas civitatis, hujus peges et principes, sedentes super solvum David — et habitabitur civitas hæc in sempiternum. *v.* 24. *et* 25.

Itaque licet Sabbatis benefacere. *Matth.* 12. 12.

Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbati. *Marc.* 2. 27. 28.

Interrogo vos, si licet Sabbatis benefacere, an male : animam salvam facere, an perdere? *Luc.* 6. 9.

Hypocritæ, unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare? *Ibid.* 13. 15.

FESTUM *Sabbati a malo male violatur.*

Sex diebus facietis opus : septimus dies erit vobis sanctus — qui fecerit opus in eo, occidetur. *Exod.* 35. 2.

(Colligens ligna Sabbato, præcepto Domini lapidatus fuit). *Num.* 15. 36.

Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum. *Tob.* 2. 6.

Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram ; iniqui sunt cœtus vestri : calendas vestras, et sollemnitates vestras odivit anima mea. *Isa.* 1. 13.

Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem Sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die Sabbati, succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur. *Jerem.* 17. 27.

Odi, et projeci festivitates vestras : et non capiam odorem cœtuum vestrorum. *Amos* 5. 21.

Et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum. *Ibid.* 8. 10.

FESTUM *Neomeniæ.*

In calendis autem (id est in mensium exordiis) offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, etc. *Num.* 28. 11.

Dixit autem David ad Jonathan : Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum : dimitte ergo me, ut abscondat in agro usque ad vesperam diei tertiæ, etc. 1. *Reg.* 20. 5.

Hæc dicit Dominus Deus : In primo mense, una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium. *Ezech.* 45. 18.

FESTUM. — *Festorum violatio quam graviter puniatur.*

Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi et Aaron et universæ multitudini : qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysen : Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. *Num.* 15. 32. *et seq.*

FIDEJUSSIO *cavenda.*

Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo. *Prov.* 11. 15.

Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo. *Ibid.* 17. 18.

Tolle vestimenta ejus, qui fidejussor extitit alieni, et pro extraneis aufer pignus ab eo. *Ibid.* 20. 16. *V. c.* 27. 13.

Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis: si enim non habes unde restituas, quid causæ est, ut tollat operimentum de cubili tuo? *Ibid.* 22. 26. 27.

Non spondeas super virtutem tuam : quod si spoponderis, quasi restituens cogita. *Eccli.* 8. 16.

Vir repromittit de proximo suo: et cum perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, et commovit illos, quasi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit, et vagati sunt in gentibus alienis. *Ibid.* 29. 23. *et seq.*

FIDEJUSSIO *diligenter redimenda.*

Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera : quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de manu aucupis. *Prov.* 6. 1. *et seq.*

FIDEJUSSIO *recognoscenda.*

Vir bonus fidem facit pro proximo suo: et qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam. Repromissorem fugit peccator, et immundus. Bona repromissoris sibi adscribit peccator : et ingratus sensu derelinquet liberantem se. *Eccli.* 29. 19. Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi, ne incidas. *v.* 27.

FIDELITAS *erga hominem.*

(Servus Abrahæ fideliter implevit jussum a domino suo sibi commissum). *Gen. c.* 24.

(Fideliter servivit Jacob avunculo suo Laban, quando gregem pascens die noctuque æstu urebatur et gelu). *Ibid. c.* 31. *v.* 6. *et.* 40.

(Joseph erga dominum suum fideliter se habuit, qui uxorem ejus tangere noluit). *Ibid. c.* 39.

(Rahab meretrix fideliter egit cum exploratoribus, quos miserat Josue. Et postea Josue egit fideliter cum ea). *Jos. c.* 2. *et.* 6.

(Quamvis Gabaonitæ fefellissent Josue et filios Israel, tamen juramenta et pacta eis servaverunt, et eos contra hostes postea fideliter adjuverunt). *Ibid. c.* 9. *et.* 10.

(Fideliter Jonathas indicavit David iram patris sui, et ipsum quantum potuit excusavit, et postea confortavit). 1. *Reg. c.* 20.

(Occiso patre Abiathar occasione David): Ego (inquit) sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas : si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis. *Ibid.* 22. 22. *et* 23.

(Noluit David percutere Saul regem, et dominum suum, licet malum et persequentem eum). *Ibid.* 24. 7.

(Viri Jabes Galaad fideliter se habuerunt ad Saul dominum suum, licet malum, reverenter sepelientes eum). *Ibid.* 31. 11. *et seq.*

(Instante captione civitatis Rabbath, quam obsederat Joab, misit ad David, ut veniret et illam caperet; ut domino suo, non sibi, honor victoriæ deferretur). 2. *Reg*. 12. 27.

(Cum fugeret David a facie Absalom, dixit illi Ethai) : Vivit Dominus — quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. *Ibid*. 15. 21.

(Separato omni Israel a David, secutoque Sebam filium Bochri, viri Joab etc. adhæserunt regi suo fideles et constantes). *Ibid*. 20. 7.

(Commendat Dominus fidelitatem servorum, qui multiplicaverunt sibi tradita talenta). *Matth*. 15. 14.

FIDES *accipitur pro fidelitate Dei in servandis promissis.*

Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? *Num*. 23. 19.

Quia rectum est verbum Domini : et omnia opera ejus in fide. *Psal*. 32. 4.

Et erit justitia cingulum lumborum ejus : et fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno : et pardus cum hædo accubabit. *Isa*. 11. 5. 6.

Novi diluculo, multa est fides tua. *Thren*. 3. 23.

Et sponsabo te mihi in fide : et scies, quia ego Dominus. *Oseæ* 2. 20.

Ephraim in desolatione erit in die correptionis : in tribubus Israel ostendi fidem. *Ibid*. 5. 9.

Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? etc. *Rom*. 3. 3.

Si non credimus, ille fidelis permanet, etc. 2. *Tim*. 2. 13.

FIDES... *pro veritate et verborum constantia inter homines.*

In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit (uxor Putipharis) marito revertenti domum. *Gen*. 39. 16.

Ego proprie servus tuus sim (ait Judas Joseph), qui in meam hunc (scil. Benjamin) recepi fidem, et spopondi, etc. *Ibid*. 44. 32.

Anima, quæ peccaverit, et contempto Domino, negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, etc. *Lev*. 6. 2.

Fide posside cum amicis in paupertate illius, ut et in bonus illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis. *Eccli*. 22. 28. 29.

Et illi dixerunt ad Jeremiam : Sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei, si non juxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. *Jerem*. 42. 5.

Et nunc perserverate adhuc conservare ad nos fidem, et retribuemus vobis bona pro his, quæ fecistis nobiscum. 1. *Mach*. 10. 27.

In quo (Christo) positus sum ego prædicator, et Apostolus (veritatem dico, non mentior), doctor Gentium in fide et veritate. 1. *Tim*. 2. 7.

FIDES... *pro virtute Theologica.*

Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum : apparet autem eis, qui fidem habent in illum. *Sap*. 1. 1. 2.

Qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima : dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. *Ibid*. 3. 14,

Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet. *Habac*. 2. 4.

Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. *Matth*. 8. 13.

At Jesus conversus, et videns eam, dixit : Confide, filia : fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. *Ibid*. 9. 22. *Item Marc*. 5. 34.

Dixit illis (discipulis suis) Jesus : Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. *Ibid*. 17. 19. *V. Luc*. 17. 6.

Quorum fidem, ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua. *Luc*. 5. 20.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. *Rom*. 4. 3.

Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. *Ibid*. 5. 1.

FIDES... *pro fide viva et formata caritate.*

Justus autem in fide sua vivet. *Habac* 2. 4.

Confide, filia : fides tua te salvam fecit. *Matth.* 9. 22.

Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi, sicut vis. *Ibid.* 15. 28.

Filia, fides tua te salvam fecit : vade in pace, et esto sana a plaga tua. *Marc.* 5. 34. *Idem habetur Luc.* 7. 50. *et. c.* 8. 48.

Jesus autem ait illi (cæco) : Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum. *Ibid.* 10. 52.

Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes, qui credunt in eum : non enim est distinctio. *Rom.* 3. 22.

Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per caritatem operatur. *Galat.* 5. 6.

(Fidem magnifice commendat Paulus ex actis patrum, a mundi exordio usque ad David et Prophetas, et in universum quanta patrarint, ac passi sint per fidem, nec tamen plenam adhuc acceperint retributionem). *Hebr. c.* 11.

FIDES... *pro fide mortua absque caritate.*

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. *Matth.* 7. 21. *V. c.* 25. 11. *et Luc.* 6. 46.

Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam ; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13. 2. 3.

Per quod (Evangelium) et salvamini : qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. *Ibid.* 15. 2.

Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est. *Jacob.* 2. 26.

FIDES... *pro sponsione seu voto.*

Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 1. *Tim.* 5. 12.

FIDES... *pro fiducia.*

Postulet autem in fide nihil hæsitans, etc. *Jacob.* 1. 6.

FIDES *caritate inferior. V.* **Caritas.**

FIDES *fundatur in veritate Dei.*

Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis : credite Prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. 2. *Paral.* 20. 20.

Credidit Abraham Deo : et reputatum est illi ad justitiam. *Rom.* 4. 3. *Galat.* 3. 5.

Fides ex auditu, auditur autem per verbum Christi (qui est verus Deus). *Ibid.* 10. 17.

Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 2. *Cor.* 10. 4.

Quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut vere est) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. 1. *Thess.* 2. 13.

Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 2. *Petr.* 1. 21.

FIDES *viva, quæ per caritatem operatur, magnæ est virtutis.*

Et ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili : remittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9. 1. Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. *v.* 22. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus : Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine, etc. *v.* 28. *V. Marc.* 2. 3. *Luc.* 5. 18.

Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Ibid.* 21. 22.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16.

Et Jesus dixit illi (cæco) : Respice, fides tua te salvum fecit. *Luc.* 18. 42.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Joan.* 1. 12.

Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Ibid.* 3. 15. *V.* 1. *Joan.* 4. 9.

Dixit autem eis (turbis) Jesus : Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam. *Ibid.* 6. 35.

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Ibid.* 7. 38. *V. Deut.* 18. 15.

Dixit ei (Marthæ) Jesus : Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet : et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. *Ibid.* 11. 25.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. *Ibid.* 14. 12.

Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis, et nostis, confirmavit nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. *Act.* 3. 16.

Huic (Jesu) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. *Ibid.* 10. 43. *V. Jerem.* 31. 35. *Mich.* 7. 18.

Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis (Gentibus) Spiritum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. *Ibid.* 15. 8.

Crede in Dominum Jesum : et salvus eris tu, et domus tua. *Ibid.* 16. 31.

Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti *Rom.* 1. 16. *V. c.* 3. 22.

Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ. *Galat.* 3. 8. *V. Ephes.* 2. 7.

Sine fide autem impossibile est placere Deo. *Hebr.* 11. 6.

FIDES. — *Fidem colentium felicitas, deserentium infelicitas.*

(Moyses ob retentum veræ religionis cultum et zelum, non curavit bonis spoliari, et in exilium profugere : ex quo factum est, ut ad tantam dignitatem ac potestatem evectus sit, quantam ante ipsum nemo legitur assecutus) *Exod. c.* 2. *et* 3. *et seq.*

(Joas, quamdiu veram religionem coluit, feliciter regnavit : at ubi defecit, multis languoribus a Syris excruciatus, a suis tandem interfectus est). 2. *Paral. c.* 24. *Idem legitur de Salamone.* 3. *Reg. c.* 3. *et* 11.

(Daniel propter actus veræ religionis summa honorum et bonorum temporalium felicitate auctus est). *Dan. c.* 6.

Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus. *Hebr.* 4. 3.

FIDES *sine operibus non justificat V. et.* **Justificatio.**

Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam ; caritatem autem nonhabuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam ; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13. 2. 3.

Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per caritatem operatur. *Galat.* 5. 6.

Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum ? *Jacob.* 2. 24. *V. totum Caput.*

FIDES *ipsa vocatur opus bonum.*

Confidens hoc ipsum (ait Paulus), quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. *Philipp.* 1. 6.

FIDES. — *Fidei necessitas.*

Circuite vias Jerusalem, et aspicite et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem : et propitius ero ei. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint : et hoc falso jurabunt. Domine, oculi tui respiciunt fidem. *Jerem.* 5. 1. 2.

Qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16.

Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. *Rom.* 14. 23.

In omnibus sumentes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Ephes.* 6. 16.

Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. *Hebr.* 11. 6.

Si enim non credideritis — moriemini. *Joan.* 8. 24.

FIDES *est una.*

Non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. 1. *Cor.* 1. 10.

Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. *Ephes.* 4. 5.

FIDES. — *Fidei vivæ et operanti tribuitur justitia et salus.*

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. *Gen* 15. 6. *V. Rom.* 4. 3. 18. *et* 23. *Item Gal.* 3. 6. *Jac.* 2. 23.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16.

Et beata, quæ credidisti (loquitur Elisabeth ad B. Virginem), quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. *Luc.* 1. 45.

At ipse (Jesus) dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit : vade in pace. *Ibid.* 8. 48.

Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte in vitam. *Joan.* 5. 24.

Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. *Ibid.* 17. 3.

Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari : in hoc omnis, qui credit, justificatur. *Act.* 13. 38.

Crede in Dominum Jesum : et salvus eris tu, et domus tua. *Ibid.* 16. 31.

Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes, qui credunt in eum : non enim est distinctio, etc. *Rom.* 3. 22.

(Dicit Paulus : ex fide justificati non solum spe gloriamur, verum etiam in adversitatibus ; nam si Christus pro nobis adhuc impiis mortuus est, multo magis salvabit jam justificatos per sanguinem ipsius). *Ibid. c.* 5.

Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. *Ibid.* 10. 10.

Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei : propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu. *Philipp.* 3. 8. *V. Ephes.* 2. 7.

Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur. 1. *Petr.* 2. 6. *V. Isa.* 28. 16. *Rom.* 9. 33.

Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus : quemadmodum dixit (*Psal.* 94. 11) : Sicut juravi in ira mea : si introibunt in requiem meam : et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. *Hebr.* 4. 3.

FIDES. — *Non sola fides justificat. V.* **Justificatio.**

FIDES. — *Fidei predicatio cum præfectis Ecclesiæ conferenda.*

Ascendi autem secundum revelationem : et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse : ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. *Galat.* 2. 2.

FIDES. — *Fidem gentium etiam respicit Deus.*

Et liberabo te in die illa, ait Dominus : et non traderis in manus virorum, quos tu formidas : sed eruens liberabo te, et gladio non cades : sed erit tibi anima tua in salutem ; quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. *Jerem.* 39. 17.

Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum. *Matth.* 8. 5. Vade, et sicut credidisti, fiat tibi ; et sanatus est puer in illa hora. *v.* 13.

Jesus ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. *Ibid.* 15. 28.

Quo audito (quod Centurio dixerat, scilicet : Domine, noli vexari : non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres, etc.), Jesus miratus est : et conversus sequentibus se turbis dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni, etc. *Luc.* 7. 9.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum : et videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligavit

vulnera ejus, infundens oleum et vinum. *Ibid.* 10. 33.

Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; et hic erat Samaritanus. *Ibid.* 17. 15.

Hic (Regulus) cum audisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet, et sanaret filium ejus : incipiebat enim mori, etc. *Joan* 4. 47.

Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge, et vade, contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam : hæc est deserta, etc. *Act.* 8. 26.

Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper : is vidit in visu manifeste quasi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi : Corneli, etc. *Ibid.* 10. 1. 2. 3.

FIDES *proximo recte servanda.*

(Sic Josue Gabaonitis promissam servavit fidem, dicens) : Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel, et idcirco non possumus eos contingere. *Josue* 9. 19.

Multi homines misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inveniet? *Prov.* 20. 6.

Vir bonus fidem facit pro proximo suo. *Eccli.* 29. 17. *V. totum Caput.*

Non duplices sermonem auditus, de revelatione sermonis absconditi, et eris vere sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum. *Ibid.* 42. 1.

Qui incredulus est, infideliter agit. *Isa.* 21. 2.

FIDES... *cum periculo frangitur.*

Et qui dissolvit pactum, nunquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus Deus : quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. *Ezech.* 17. 15. Spreverat enim juramentum, ut solveret fœdus, et ecce dedit manum suam : et cum omnia hæc fecerit, non effugiet. *v.* 18.

mulierum. V. **Mulierum fides.**

FIDES. — *Fideles liberat a communi perditione impiorum Deus.*

(Hominis peccata fuere diluvii causa. Noe tamen justus inventus est, cui arca fabricanda mandatur, in qua ipse et cunctorum animantium genera serventur). *Gen. c.* 6.

(Ingresso Noe cum suis in arca, statim aqua omnium montium cacumina 150. diebus superavit, reliquaque animantia submersit). *Ibid. c.* 7.

(Imminutis paullatim aquis diluvii post corvi et columbæ emissiones, Noe cum universis, quæ in arca continebantur, egreditur; et altari extructo, offert holocausta). *Ibid. c.* 8.

(Lot Angelis hospitio susceptis, a Sodomitis vim patitur; cum uxore et utraque filia a Sodomitico ereptus incendio, uxorem in viam amisit, tandemque cum utraque filia incestum ignorans commisit, unde ortum habuerunt Moabitæ, et Ammonitæ). *Ibid. c.* 19.

Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ; et scies, quoniam ego Dominus in medio terræ. Ponamque divisionem inter populum meum, et populum tuum : cras erit signum istud. *Exod.* 8. 22. 23.

Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones Israel, et possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad filios Israel. *Ibid.* 9. 4. Fecit ergo Dominus verbum altera die : mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum : de animalibus vero filiorum Israel, nihil omnino periit. *v.* 6. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. 26.

Sin autem resistis, et non vis dimittere eum : ecce ego inducam cras locustam in fines tuos : quæ operiant superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur, quod residuum fuerit grandini : corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum : quantam non viderunt patres tui et avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem, etc. *Ibid.* 10. 4. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat . ubicumque autem habitabant tibi Israel, lux erat. *v.* 23. Cuncti greges pergent nobiscum : non remanebit ex eis ungula : quæ neces-

saria sunt in cultum Domini Dei nostri, præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. *v.* 26.

Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus : ut sciatis, quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israel. *Ibid.* 11. 7.

(Loquens Dominus ad Moysen et Aaron, ait) : Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. *Num.* 16. 20. Dixit (Moyses) ad turbam : Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum, etc. *v.* 26. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum. *v.* 31.

Et liberabo te in illa die, ait Dominus : et non traderis in manus virorum, quos tu formidas : sed eruens liberabo te, et gladio non cades : sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. *Jerem.* 39. 17.

Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi : quia coram eo justitia inventa est in me : sed et coram te, Rex, delictum non feci. *Dan.* 6. 12.

Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit : exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens : et justum Lot oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit. 2. *Petr.* 2. 6. 7.

FIDES. — *Fideles tenentur Pastoribus suis necessaria tribuere, et pro eis orare. V.* **Ecclesia** : *item* **Evangelizans.**

FIDES. — *Infidelitas, seu incredulitas punitur.*

Et eos, qui foris erant, percusserunt (Angeli) cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. *Gen.* 19. 11. Eduxeruntque eum (Lot), et posuerunt extra civitatem : ibique locuti sunt ad eum, dicentes : Salva animam tuam : noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in montem salvum te fac, ne et tu simul pereas. *v.* 17. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. *v.* 26. *V. Sap.* 10. 6. *et c.* 19. 16.

Et ait Moyses (ad Dominum) : Sexcenta millia peditum hujus populi sunt, et tu dicis : Dabo eis esum carnium mense integro? *Num.* 11. 21.

Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel, dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto : et in hac vasta solitudine utinam pereamus. *Ibid.* 14. 1. Et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detrahit mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam. *v.* 11.

Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. *Ibid.* 20. 12.

Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum. *Deut.* 9. 20.

Respondens unus de ducibus — homini Dei ait : Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poterit esse quod loqueris? Qui ait : Videbis oculis tuis, et inde non comedes. 4. *Reg.* 6. 2. (Adduxit Rex ducem hunc ad portam, ubi impletus est sermo, quem vir Dei dixerat, et ibi hic incredulus conculcatus est a turba). *v.* 17. *et* 20.

Quoniam omnis incredulus in incredulitate sua morietur. 4. *Esdr.* 15. 4.

In omnibus his peccaverunt adhuc : et non crediderunt in mirabilibus ejus. *Psal.* 77. 32.

Væ, dissolutis corde, qui non credunt Deo; et ideo non protegentur ab eo. *Eccli.* 2. 15.

Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis, modicæ fidei? *Matth.* 8. 25. *Item c.* 14. 30. *Marc.* 4. 40. *Luc.* 8. 25.

Respondens autem Jesus, ait : O generatio incredula, et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? *Ibid.* 17. 16.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16.

Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. *Luc.* 1. 20.

Et ipse dixit ad eos : O stulti et tardi

corde ad credendum, etc. *Ibid.* 24. 25. *V. Matth.* 13. 58. *c.* 17. 19.

Qui credit in eum, non judicatur : qui autem non credit, jam judicatus est quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. *Joan.* 3. 18. Qui credit in Filium, habet vitam æternam : qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. *v.* 36.

Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. *Ibid.* 6. 7.

Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. *Ibid.* 8. 24.

Qui spernit me, et non accipit verba mea : habet qui judicet eum : sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. *Ibid.* 12. 48.

Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis. *Ibid.* 20. 27.

Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20.

Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. *Coloss.* 3. 6.

Quibus autem jurasti non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? *Hebr.* 3. 18. *et c.* 44. 2.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. *Ibid.* 11. 4.

Sine fide autem impossibile est placere Deo. *Ibid.* 11. 6.

Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure ; quod est mors secunda. *Apoc.* 21. 8.

FIDUCIA.

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum : Veni — quia non est Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis. 1. *Reg.* 14. 6.

(Magnæ fiduciæ verbum fuit, cum pugnaturus David contra Goliath gigantem, dixit) : Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini, etc. *Ibid.* 17. 45. *V. et v.* 37.

(Itidem magnæ fiduciæ fuit verbum Asæ) : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus. 2. *Paral.* 14. 11.

(Dixit Josaphat rex Juda exercitui suo, ad pugnam congregato) : Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis : credite Prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. *Ibid.* 20. 20.

(Esdras venturus in Jerusalem, propter magnam et periculosam viam, noluit petere conductum a rege, sed convertit se ad jejunium et orationem). 1. *Esdr.* 8. 21.

(Videns Nehemias tot imminere pericula et labores, ædificantibus dixit) : Deus noster pugnabit pro nobis. Et nos ipsi faciamus opus. 2. *Esdr.* 4. 20. *V. v.* 14.

(Magnæ fiduciæ fuit verbum sociorum Danielis ad regem Nabuchodonosor) : Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare : quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus. *Dan.* 3. 17.

(Dixit Judas Machabæus sociis timidis) : Facile est concludi multos in manus paucorum : et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. 1. *Mach.* 3. 18.

(Mulier fluxum sanguinis patiens, fiducialiter intra se ait) : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. *Matth.* 9. 21.

FILII. — *Filiorum officium erga parentes.*

At vero Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis — faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt. *Gen.* 9. 23.

Dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respondit : Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna, ubi est victima holocausti ? *Ibid.* 22. 7.

Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat : vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei : Fili mi. Qui respondit : Adsum. *Ibid.* 27. 1.

Obediens Jacob parentibus suis, (ne acciperet uxorem de filiabus Chanaan, ivit) in Syriam. *Ibid.* 28. 7 *V. Judic.* 14 1.

(Dixit Jacob ad Joseph filium suum) : Veni, mittam te) in Sichem. Et respondit Joseph patri : Ecce), præsto sum. *Ibid.* 37. 13.

Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. *Exod.* 20. 12. *Idem. habetur verbatim Deut.* 5. 16.

Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. *Ibid.* 21. 17.

Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. *Levit.* 19. 3. Coram cano capite consurge, et honora personam senis: et time Dominum Deum tuum : ego sum Dominus. *v.* 32.

Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur : patri matrique qui maledixerit, sanguis ejus sit super eum. *Ibid.* 20. 9.

Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, et violarit nomen patris sui, flammis exuretur. *Ibid.* 21. 9.

Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris et matris imperium, et coercitus obedire contempserit : apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius noster iste protervus, et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. *Deut.* 21. 18. *et seq.*

Maledictus, qui non honorat patrem suum et matrem : et dicet omnis populus: Amen. *Ibid.* 27. 16.

Porro filii Heli (erant) filii Belial, nescientes Dominum. 1. *Reg.* 2. 12. V. *et v.* 22.

Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis : non erat visio manifesta, etc. *Ibid.* 3. 1. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. *v.* 7.

Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices in Israel. *Ibid.* 8. 1.

Egrediebatur quoque David ad omnia, quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat : posuitque eum Saul super viros belli et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul. *Ibid.* 18. 5.

Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia : et surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum : positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. 3. *Reg.* 2. 19.

Ascendit autem inde in Bethel (Elisæus): cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes : Ascende, calve, ascende ; calve! Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini : egressique sunt duo ursi de saltu et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. *Reg.* 2. 23. 24.

Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada sacerdos. *Ibid.* 12. 2.

Octavo autem anno regni sui, cum adhuc esset puer (Josias), cœpit quærere Deum patris sui David : et duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundavit Judam et Jerusalem ab excelsis, et lucis : simulacrisque et sculptilibus. 2. *Paral.* 34. 3.

Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei : Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe, etc. *Tob.* 4. 1. *Idem fere habetur cap.* 14. 5.

(Filii Job convivia faciebant per domos: sed pater sanctificabat illos, et offerebat holocausta, si forte peccaverint, etc). *Job.* 1. 4.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *Prov.* 1. 8.

Audite, filii, disciplinam patris, et attendite, ut sciatis prudentiam, etc. *Ibid.* 4. 1.

Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo. *Ibid.* 6. 20.

Filius sapiens lætificat patrem : filius vero stultus mœstitia est matris suæ. *Ibid.* 10. 1. *Idem fere habetur c.* 15. 20.

Filius sapiens, doctrina patris : qui autem illusor est, non audit cum arguitur. *Ibid.* 13. 1.

Nec pater in fatuo (filio) lætabitur. *Ibid.* 17. 21.

Qui affligit patrem, et fugat matrem,

ignominiosus est et infelix. *Ibid.* 19. 26.

Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus. *Ibid.* 20. 11. Qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. *v.* 20.

Stultitia colligata est in corde pueri : et virga disciplinæ fugabit eam. *Ibid.* 22. 15.

Audi, fili mi, et esto sapiens: et dirige in via animum tuum. *Ibid.* 23. 19. Exultat gaudio pater justi : qui sapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus et mater tua, et exultet quæ genuit te. *v.* 24. 25.

Qui subtrahit aliquid a patre suo, et a matre, et dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. *Ibid.* 28. 24.

Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. *Ibid.* 30. 17. *V. et. v.* 19.

Filii sapientiæ, Ecclesia justorum : et natio illorum, obedientia et dilectio. Judicium patris audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis : et judicium matris exquirens, firmavit in filios. *Eccli.* 3. 1. Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. *v.* 8. In opere, et sermone, et omni patientia honora patrem tuum ; ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat, etc. *v.* 9. *V. hoc Caput a v.* 1. *usque ad* 20, *pulcherrime nostram materiam tractans.*

Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. *Ibid.* 6. 18.

Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. *Ibid.* 7. 29.

Confusio patris est de filio indisciplinato : filia autem in deminoratione fiet. *Ibid.* 22. 3.

Memento patris et matris tuæ; in medio enim magnatorum consistis, etc. *Ibid.* 23. 18.

Homo, qui jucundatur in filiis, vivens et videns subversionem inimicorum suorum. *Ibid.* 25. 10.

Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. *Ibid.* 32. 24.

Firmaverunt igitur filii Jonadab, filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis : populus autem iste non obedivit mihi. *Jerem.* 35. 16.

Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam ; et inimici hominis domestici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. *Matth.* 10. 35. *V. Mich.* 7. 6. *Luc.* 14. 26.

Honora patrem et matrem : et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. *Ibid.* 15. 4. *V. Marc.* 7. 10.

Honora patrem tuum, et matrem tuam : et : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Ibid.* 19. 19.

Præcepta nosti : Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris. Honora patrem tuum et matrem. *Marc.* 10. 19. *Idem verbatim habetur Luc.* 18. 20. *V. et Luc.* 2. 48.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. *Ephes.* 6. 1. Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. *v.* 2. *V. Deut.* 5. 16.

Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. *Coloss.* 3. 20. 21.

Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate. 1. *Tim.* 5. 1.

Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. 1. *Petr.* 5. 5.

FILII *in bonis sunt intituendi, ut Deum timeant. V. et.* **Parentum officium.** *Item* **Liberorum eruditio.**

Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. *Deut.* 5. 16. *V. Exod.* 20. 12.

Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum : et cave, ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. *Tob.* 4 6.

Audite ergo, filii mei, patrem vestrum. Servite Domino in veritate, et inquirite, ut faciatis quæ placita sunt illi. Et filiis vestris mandate, ut faciant justitias et eelemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute sua. *Ibid.* 14. 10. 11.

Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis : ut cognoscat generatio altera. Filii, qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis : ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei : et mandata ejus exquirant. *Psal.* 77. 6. 7.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ : ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *Prov.* 1. 8.

In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes. *Ibid.* 14. 26.

Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. *Ibid.* 20. 7.

Audi, fili mi, et esto sapiens : et dirige in via animum tuum. *Ibid.* 23. 19.

Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. *Sap.* 8. 19.

Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur : ne oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, et ne respexeris in labores eorum. Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii. Et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. *Eccli.* 16. 1. *et seq.*

Pater filiis notam faciet veritatem tuam. *Isa.* 38. 19.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. *Ephes.* 6. 1. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educate illos in disciplina, et correptione Domini. *v.* 4.

FILII... *vitia caveant.*

Filio doloso nihil erit boni. *Prov.* 14 15.

Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet. *Ibid.* 17. 2. Natus est stultus in ignominiam suam : sed nec pater in fatuo lætabitur. *v.* 21. Ira patris, filius stultus : et dolor matris, quæ genuit eum. *v.* 25.

Qui custodit legem, filius sapiens est : qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum. *Ibid.* 28. 7.

Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam. *Eccli.* 7. 25. *et seq.*

Confusio patris est de filio indisciplinato : filia autem (fatua) in deminoratione fiet. *Ibid.* 22. 3. Filia prudens hæreditas viro suo : (at vivens turpiter, mœstitiam affert genitori. Imprudens, patrem et virum afficit ignominia). *v.* 4. 5.

A filiis tuis cave, et a domesticis tui attende. *Ibid.* 32. 26.

Lacta filium, et paventem te faciet : lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescent dentes tui. Non des illi (filio) potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius, etc. *Ibid.* 9. *et seq. usque ad* 13.

Filio et mulieri, fratri et amico non des potestatem super te in vita tua : et non dederis alii possessionem tuam, ne forte pœniteat te, et depreceris pro illis. *Ibid.* 33. 20. Melius est enim, ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. *v.* 22.

Filia patris abscondita est vigilia, et sollicitudo ejus aufert somnum, ne forte in adolescentia sua adulta efficiatur, et cum viro commorata, odibilis fiat : ne quando polluatur in virginitate sua, et in paternis suis gravida inveniatur : ne forte cum viro commorata transgrediatur, aut certe sterilis efficiatur. Super filiam luxuriosam confirma custodiam : ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate, et objectione plebis, et confundat te in multitudine populi. *Ibid.* 42. 9. *et seq.*

Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint. *Tit.* 2. 6.

FILII... *honeste se habeant.*

Filius sapiens lætificat patrem : filius vero stultus mœstitia est matris suæ. *Prov.* 10. 1. *V. c.* 15. 20.

Exultat gaudio pater justi : qui sapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, et mater tua, et exultet quæ genuit te. *Ibid.* 23. 24. 25.

Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, et sollicitus fui. *Eccles.* 2. 18. 19.

Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua. *Sap.* 4. 6.

In filiis suis agnoscitur vir. *Eccli.* 11.30.

In filia non avertente se, firma custo-

diam : ne inventa occasione utatur se. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave, ne mireris, si te neglexerit. *Ibid.* 26. 13. 14.

FILII *sunt corrigendi.*

Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit : apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. *Deut.* 21. 18. *et seq.*

Filii abominationum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum. Filiorum peccatorum periet hæreditas, et cum semine illorum assiduitas opprobrii. De patre impio queruntur filii : quoniam propter illum sunt in opprobrio. *Eccli.* 41. 8. *et seq.*

FLETUS. *V.* **Lacrymæ.**

FŒNUM, *et herba cito transiens, omnis homo. V. et.* **Homo.**

Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat : vespere decidat, induret, et arescat. *Psal.* 89. 6.

Et ego sicut fœnum arui. *Psal.* 101. 12.

Fiant sicut fœnum tectorum, quod, priusquam evallatur, exaruit. *Psal.* 128. 6.

Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. *Eccli.* 14. 18.

Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus : exsiccatum est fœnum, et cecidit flos : Verbum autem Domini nostri manet in æternum. *Isa.* 40. 6. *et seq.*

Quia omnis caro ut fœnum : et omnis gloria ejus tanquam flos fœni : exaruit fœnum, et flos ejus decidit. 1. *Petr.* 1. 24.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua; dives autem in humilitate sua : quoniam sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet. *Jac.* 1. 9. *et seq.*

FŒNUS. *V. et.* **Usura.**

FŒNERATIO — *Fœnerationis conditio bona, etc.*

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor, nec usuris opprimes. *Exod.* 22. 25.

Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem : sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quod indiget, commodabis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam. *Deut.* 23. 19. 20.

Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius et iterum redde proximo in tempore suo. Confirma verbum, et fideliter age cum illo : et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est, etc. *Eccli.* 29. 2. 3. Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum : et non abscondas illam sub lapide in perditionem. *v.* 13.

FŒNERATIO *mala.*

Hodie fœneratur quis, et cras expetit : odibilis est homo hujusmodi. *Eccli.* 20. 16.

FŒNERATIO *est periculosa, quoad accipientem*

Qui accipit mutuum, servus est fœnerantis. *Prov.* 22. 7.

Multi non causa nequitiæ, non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. *Eccli.* 29. 10.

FŒNERATIO... *quoad facientem.*

Noli fœnerari homini fortiori te quod si fœneraveris, quasi perditum :habe. *Eccli.* 8. 15.

Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, et præstiterunt molestiam iis, qui se adjuverunt. Donec accipiant, osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam. Et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba tædii, et murmurationum, et tempus causabitur. Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, et computabit illud quasi inventionem. *Ibid.* 29. 4. *et seq.*

FORMA *corporis.*

(Rebecca erat) decora nimis, virgoque pulcherrima (sed simul castissima et humillima, adeo ut servo Abrahami, ejusque camelis ex puteo aquam hauriret). *Gen.* 24. 16. *Ita et Joseph. Ibid.* 39. 6.

(Samson, cætero fortissimus, forma Da-

lilæ rapitur; sed deceptus ab illa inimicis suis traditur). *Judic.* 16. 6.

(Thamar speciosissima, quia nimium fideret fratri suo Amnon, ab eo fuit oppressa et stuprata; sed dein odio habita, et e domo ejecta). 2. *Reg.* 13 2. *et* 15.

Erat Absalom pulcherrimus in omni Israel, et decorus nimis : a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula : (præ cæteris vane sibi complacebat in capillis suis. Sed pulchritudinem suam multis vitiis fœdavit, et ipsi capilli ejus exitio ei fuerunt). *Ibid.* 14. 25. *et c.* 18. 9.

Erat autem (Judith) eleganti aspectu nimis (sed et castitatis amans : et hac sua pulchritudine liberavit urbem suam ab excidio). *Judith* 8. 7. *et c.* 10. *et seq.*

(Esther) pulchra nimis et decora facie, (imo incredibili pulchritudine; tamen noluit) muliebrem cultum. *Esther* 2. 7. *et* 15.

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. *Eccli.* 9. 5. *V. tot. cap. V. et. Gen.* 6. 2.

FORMIDO *et pusillanimitas. V. et.* **Pusillanimitas** : *item* **Timor humanus**.

(Cum dixissent Angeli ad Lot) : In monte salvum te fac. *Gen.* 19. 17. (respondit) : Non possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum. *v.* 19. *Tunc pejus ei accidit. v.* 30. *et seq.*

(Videntes filii Israel Ægyptios persequentes se, timuerunt valde, licet vidissent tot miracula facta pro eis, potestate divina). *Exod.* 14. 10.

(Loquente Domino Moysi in monte), populus videbat voces, et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem : et perterriti ac pavore percussi, steterunt procul, dicentes Moysi : Loquere tu nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, etc. *Ibid.* 20. 18. 19.

(Relatione facta de conditionibus terræ promissionis, quæ habebat) cultores fortissimos — et urbes grandes atque muratas, *Num. c.* 13. (dixerunt quidam de populo) : Utinam mortui essemus in Ægypto. *Ibid. c.* 14. *Et* (præ formidine dixerunt): Nuntii terruerunt cor nostrum. *Deut.* 1. 28.

Quis est homo formidolosus et corde pavido? vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. *Deut.* 20. 8. *Item Judic.* 7. 3.

Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore : et erit vita tua quasi pendens ante te, etc. *Ibid.* 28. 65. 66. Mane dices : Quis mihi det vesperum? et vespere : Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quæ tuis videbis oculis. *v.* 67.

(Exploratoribus, qui venerant ex parte Josue, dixit Rahab) : Novi quod Dominus tradiderit vobis terram : etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. *Josue* 2. 9.

(Gabaonitæ, audientes cuncta, quæ fecerat Josue Jericho et Hai, timuerunt, et venientes ad Josue, fecerunt pactum ad voluntatem ipsius). *Ibid c.* 9.

(Saul et omnes Israelitæ audientes sermones Goliath Philisthæi, singulare certamen petentis), metuebant et stupebant nimis. 1. *Reg.* 17. 11.

Congregavit autem et Saul universum Israel, et venit in Gelboe. Et vidit Saul castra Philisthiim, et timuit, et expavit cor ejus nimis. *Ibid.* 28. 4.

Porro Roboam erat rudis, et corde pavido. 2. *Par.* 13. 7.

Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt. *Judith* 15. 1.

Bestias terræ non formidabis. *Job* 5. 22.

Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes ejus. *Ibid.* 18. 11.

Exspectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. *Psal.* 54. 9.

Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. *Prov.* 3. 25.

Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum. *Ibid.* 30. 30.

Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Eccli.* 7. 9.

(Nuntiatum est domui David, quod rex Israel, et rex Syriæ confœderati, præliaturi sint contra Jerusalem) : et commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti. *Isa.* 7. 2.

Dominum exercituum ipsum sanctificate : et ipse pavor vester, et ipse terror vester : et erit vobis in sanctificationem. *Ibid.* 8. 2.

Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ *Ibid.* 24. 17.

Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere. *Ibid.* 35. 4.

Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. *Jerem.* 17. 17. Paveant illi, et non paveam ego. *v.* 18.

Non formidabunt ultra, et non pavebunt. *Ibid.* 23. 4.

Et non erit, quem formidet : quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te. *Ibid.* 30. 10. 11. *V. totum versum* 10.

Noli timere a facie regis Babylonis (diaboli), quem vos pavidi formidatis : nolite metuere eum, dicit Dominus : quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, etc. *Ibid.* 42. 11.

Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum eorum ne formidetis. 1. *Mach.* 4. 8. Da illis formidinem, et tabefac audaciam virtutis eorum, et commoveantur contritione sua. *v.* 32.

Quid timidi estis, modicæ fidei? *Matth.* 8. 26.

(Ambulans super mare Petrus), videns — ventum validum, timuit. *Ibid.* 14. 30.

(Parentes cæci nati, a Domino illuminati, responderunt timide Pharisæis). *Joan.* 9. 22.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Ibid.* 14. 27.

Consolamini, pusillanimes. 1. *Thess.* 5. 14.

FORNICATIO. *V. et.* **Adulterium.**

FORNICATIO *iram Dei provocat.*

Ejicient eam (scilicet puellam, si amiserit virginitatem) extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur : quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui : et auferes malum de medio tui. *Deut.* 22. 21.

Fovea enim profunda est meretrix, et puteus angustus, aliena. *Prov.* 23. 27.

Qui se jungit fornicariis, erit nequam : putredo et vermes hæreditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus. *Eccli.* 19. 3.

Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, et jurant in his, qui non sunt Dii : saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. *Jerem.* 5. 7.

Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras, cum adulteraverint : quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effœminatis sacrificabant, et populus non intelligens vapulabit. *Oseæ* 4. 14.

Neque fornicarii, — neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores — regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. *V. porro v.* 13. 15. 16. 18.

Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. *Ibid.* 7. 9. *V. Coloss.* 3. 5.

Fornicatores autem et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4.

FORNICATIO *corpus enervat, et facultates absumit.*

Ne attendas fallaciæ mulieris : favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus : novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps. *Prov.* 5. 2. 3. 4. (Cave ergo) ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli. Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena. Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas, et corpus tuum, etc. *Ibid.* 9. 10. 11. *V. tot. Cap.*

Fovea enim profunda est meretrix, et puteus angustus, aliena. *Ibid.* 23. 27. *V. Job.* 31. 12.

Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum : qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. *Ibid.* 29 3. *V. Luc.* 15. 13.

Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges. *Ibid.* 31. 3.

Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, et hæreditatem tuam. *Eccli.* 9. 6. *V. c.* 41. 21.

FORNICATIO. — *Fornicationis occasiones vitandæ.*

Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. *Eccli.* 9. 4. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum : et non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem. *v.* 12.

Omni homini noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari : de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. *Ibid.* 42. 12.

FORNICATIO *non solum in opere externo, sed et in affectu prohibetur.*

Non concupisces domum proximi tui : nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. *Exod.* 20. 17.

Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 5. 27. 28.

FORNICATIO *infamiam affert.*

Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. *Eccli.* 9. 10.

Erubescite a patre et matre de fornicatione : et a præsidente, et a potente de mendacio. *Ibid.* 41. 21.

FORNICATIO *spiritualis, quæ est Hæresis et Idololatria.*

Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea : ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. *Deut.* 31. 16.

Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus : sed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum Diis alienis, et adorantes eos. *Judic.* 2. 16.

Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in Deum. *Ibid.* 8. 33.

Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in ea : nunc autem homicidæ. *Isa.* 1. 21.

Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri, et fornicariæ. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, et ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax? *Ibid.* 57. 3.

Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus. *Jerem.* 3. 1.

Et recordabuntur mei, liberati vestri in Gentibus, ad quas captivi ducti sunt : quia contrivi cor eorum fornicans, et recedens a me : et oculos eorum fornicantes post idola sua : et displicebunt super malis, quæ fecerunt in universis abominationibus suis. *Ezech.* 6. 9. *V. Cap.* 16. *per totum.*

Et dixit Dominus ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum : quia fornicans fornicabitur terra a Domino. *Oseæ* 1. 2.

Et filiorum illius non miserebor : quoniam filii fornicationum sunt. Quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos. *Ibid.* 2. 4.

Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda : et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis : Vivit Dominus. Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel. *Ibid.* 4. 15.

(Angelus) exclamavit in fortitudine, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna : et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ, et odibilis : quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes : et reges terræ cum illa fornicati sunt : et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. *Apoc.* 18. 2. 3.

FORTITUDO.

(Audiens Abraham, nepotem suum Lot esse captum, assumptis vernaculis suis et aliis sociis, irruit nocte super quatuor reges, qui ceperant illum. Et, percussis hostibus, reduxit Lot cum tota sua substantia). *Gen.* 14. 14. *et seq.*

Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum : illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat. *Josue* 14. 10. *V. Eccli.* 46. 11.

(Samson leonem manibus inermis laceravit : et alia opera fortitudinis multa fecit). *Judic. c.* 14. *V. c.* 15. *et* 16.

Non in fortitudine sua (sed Dei) roborabitur vir. 1. *Reg.* 2. 9.

(David in pueritia sua fortiter superavit et ursum, et leonem, et Goliath Philisthæum). *Ibid.* 17. 34. 35, *et* 49.

Confortamini, et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis. 2. *Paral.* 19. 11.

Expecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Psal.* 26. 14.

Domus justi plurima fortitudo : et in fructibus impii conturbatio. *Prov.* 15. 6.

Mulierem fortem quis inveniet? *Ibid.* 31. 10.

Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine. *Eccles.* 9. 16.

Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua. *Isa.* 25. 4.

Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere : Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis : Deus ipse veniet, et salvabit vos. *Ibid.* 35. 4.

Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion. *Ibid.* 52. 1.

(Miram fortitudinem habuerunt Mathathias et filii ejus, quia ita restiterunt Antiocho regi, et prævaluerunt toties contra eum). 1. *Mach. c.* 2.

(Eleazar cucurrit audacter ad elephantem et superposuit se ei, et occidit eum, etc). *Ibid.* 6. 45. 46.

(Dixit Eleazar) : Fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter, pro gravissimis ac sanctissimis legibus, honesta morte perfungar. *Mach?* 6. 28.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. *Luc.* 11. 21.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur, etc. 2. *Cor.* 4. 8.

FORTITUDO *bona Deum quærit.*

(Dixit Angelus ad Jacob) : Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ? *Gen.* 32. 28.

Fortitudo mea et laus mea Dominus. *Exod.* 15. 2.

Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ : erit enim merces operi vestro. 2. *Paral.* 15. 7.

Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. *Ibid.* 16. 9.

Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. 2. *Esdr.* 8. 10.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino. *Psal.* 30. 25.

Fortitudinem meam ad te custodiam : quia Deus susceptor meus es. *Psal.* 58. 10.

Mirabilis Deus in sanctis suis : Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. *Psal.* 67. 36.

Mea est prudentia, mea est fortitudo (non tua). *Prov.* 8. 14.

In timore Domini fiducia fortitudinis *Ibid.* 14. 26.

Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Ibid.* 18. 10.

Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum — ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo. *Eccli.* 46. 11.

(David) cum leonibus lusit, quasi cum agnis : et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium, in juventute sua. Numquid non occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente ? — Nam invocavit Dominum omnipotentem, etc. *Ibid.* 47. 3. *V.* 1. *Reg. c.* 17.

Quia fortitudo mea, et laus mea Dominus : et factus est mihi in salutem. *Isa.* 12. 2. *Item. Psal.* 117. 14.

Quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua : spes a turbine, umbraculum ab æstu. *Ibid.* 25. 4.

In silentio, et in spe erit fortitudo vestra. *Ibid.* 30. 15.

Qui dat lasso virtutem : et in his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. *Ibid.* 40. 29. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. *v.* 31.

Et Deus meus factus est fortitudo mea. *Ibid.* 49. 5.

Viriliter agite, et confortamini (in Domino). 1. *Cor.* 16. 13.

De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. *Ephes.* 6. 10.

Scio — et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. *Philipp.* 4. 12. 13.

Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu. 2. *Tim.* 2. 1.

In Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. 1. *Petr.* 5. 10.

FORTITUDO *vitia subjicit.*

Et tenebit justus viam suam, et mundus manibus addet fortitudinem. *Job* 17. 9.

Fortitudo simplicis via Domini : pavor his, qui operantur malum. *Prov.* 10. 29.

Si desperaveris lassus in die angustiæ: imminuetur fortitudo tua. *Ibid.* 24. 10.

Vigilate, state in fide, viriliter agite;

et confortamini. Omnia vestra in caritate fiant. 1. *Cor*. 16. 13.

Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes : et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur. *Hebr*. 12. 4.

FORTITUDO *hosti resistit.*

Fugit impius, nemine persequente ; justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. *Prov*. 28. 1.

Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, Salvator tuus. *Isa*. 43. 1. *et seq*.

Si Deus pro nobis, quis contra nos ? *Rom*. 8. 31.

De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, etc. *Ephes*. 6. 10.

Scribo vobis, adolescentes : quoniam vicistis malignum — Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum. 1. *Joan*. 2. 13. 14.

FORTITUDO *reproba et mala Deum offendit.*

(Cain fuit fortior quam Abel, quando consurrexit adversus eum, et interfecit eum). *Gen*. 4. 8.

(Multis et magnis periculis et laboribus Saul se exposuit ad persequendum David, et numquam propositum potuit obtinere). 1. *Reg. c*. 18. *et seq*.

Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est, etc. *Job*. 15. 25. 26.

Melior est sapientia, quam vires : et vir prudens, quam fortis. *Sap*. 6. 1. *V*. *Eccles*. 9. 18.

Et erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat. *Isa*. 1. 31.

FORTITUDO *mulierum*. *V*. **Mulierum fortitudo.**

FRATERNITAS.

Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma : et judicia, quasi vectes urbium. *Prov*. 18. 19.

Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit. *Eccli*. 40. 24.

Numquid non pater unus omnium nostrum ? Numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum ? *Malach*. 2. 10.

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est. *Matth*. 12. 50.

Omnes autem vos fratres estis. *Ibid*. 23. 8.

Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum per passionem consummare. *Hebr*. 2. 10.

FRATERNITAS. — *Fratres et sorores Christi qui sint.*

Et extendens (Jesus) manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea, et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est. *Matth*. 12. 49. *Idem habetur verbatim*. *Marc*. 3. 34.

Nolite timere : ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. *Ibid*. 28. 10.

Et nuntiatum est illi : Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre. Qui respondens, dixit ad eos : Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt. *Luc*. 8. 20.

Dicit ei (Mariæ) Jesus : Noli me tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis, etc. *Joan*. 20. 17.

Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te. *Hebr*. 2. 12. *Idem habetur verbatim Psal*. 21. 23.

FRAUS. *V*. **Dolus.**

FRUITIO *Dei*. *V*. **Desiderium præmii et fruitionis Dei.**

FRUCTUS *operis bonus*. *V*. *et*. **Opus bonum.**

Bonorum enim laborum gloriosus est fructus. *Sap*. 3. 15.

Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi : ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. *Rom*. 7. 4.

Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Galat.* 5. 22.

Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. *Ephes.* 5. 9.

In omni opere bono fructificantes. *Coloss.* 1. 10.

Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem. *Jac.* 3. 18.

FRUCTUS *malus.*

Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. *Sap.* 4. 5.

Confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini. *Jerem.* 12. 13.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? *Rom.* 6. 21.

FUNDAMENTUM *Ecclesiæ.*

FUNDAMENTUM *est Christus.*

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur : et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. 1. *Cor.* 3. 11. *et seq.*

Ipso summo angulari lapide Christo Jesu. *Ephes.* 2. 20.

Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur. 1. *Petr.* 2. 6. *V. totum Cap. Item Psal.* 117. 22. *Isa.* 28. 16. *Matth.* 21. 42. *Rom.* 9. 33. *Act.* 4. 21.

FUNDAMENTUM *sunt Apostoli.*

Jam non estis hospites et advenæ : sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini, in habitaculum Dei in Spiritu. *Ephes.* 2. 19. *usque ad finem.*

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. *Apoc.* 21. 14.

FUNDAMENTUM *peculiariter Petrus dicitur.*

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. *Matth.* 16. 18. 19.

Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit illi tertio, Amas me? Et dixit ei : Domine, tu omnia nosti : tu scis, quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas. *Joan.* 21. 15. *et seq.*

FUNDAMENTUM... *cujus fides nunquam deficiet.*

Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire. *Luc.* 22. 31. *et seq.*

FUNUS. *V.* **Exequiæ.**

FURTUM *prohibetur, committitur, et punitur.*

Non furtum facies. *Exod.* 20. 15. *Item Levit.* 19. 11. *et Deut.* 5. 18.

Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. *Ibid.* 21. 16.

Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit, vel vendiderit : quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove. *Ibid.* 22. 1. *V.* 2. *Reg.* 12. 6.

Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui. *Deut.* 24. 7.

Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Responditque Achan Josue, et dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic, et sic feci. Vidi enim inter spolia

pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, etc. *Josue* 7. 19. *et seq.*

Cujus cum vocem balantis vir ejus audiisset, dixit : Videte, ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis; quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. *Tob.* 2. 21.

Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit : furatur enim, ut esurientem impleat animam : deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet. *Prov.* 6. 30.

Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. *Oseæ.* 4. 2.

Jesus autem dixit : Non homicidium facies : non adulterabis : non facies furtum : non falsum testimonium dices. *Matth.* 19. 18.

Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10.

Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis. *Apoc.* 9. 21.

FURTUM *sacrilegum.*

(Joas Rex, qui thesauros templi temere surripuerat, a servis suis interficitur). 4. *Reg.* c. 12.

(Balthassar, qui vasis sacris, e templo Jerosolymitano ablatis, cum principibus et concubinis abutebatur, a Deo corripitur, et postea occiditur). *Dan.* c. 5.

(Antiochus ob spoliatum et profanatum templum, variis malis ac doloribus oppressus, miserrima morte periit). 1. *Mach.* 6. 12.

(Heliodorus a Seleuco rege missus ad rapiendos thesauros templi, ab Angelis flagellatur, et nonnisi ad Oniæ summi Sacerdotis preces liberatur). 2. *Mach.* 3. 24.

(Lysimachus multis commissis in templo sacrilegiis et rapinis, ante ærarium interficitur). *Ibid.* 4. 39.

(Judas ex ærario Apostolico clam pecunias surripit; sed hoc furtum fuit origo ejus interitus). *Joan.* 12. 6.

FURES *dicuntur, qui verbum Dei pervertunt et veram doctrinam.*

Propterea ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. *Jerem.* 23. 30.

Amen, amen dico vobis : qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. *Joan.* 10. 1.

G

GAUDIUM. — *Gaudere et lætari honeste licet.*

(David reduxit arcam Domini in Jerusalem, cum suo et totius populi ingenti gaudio. 1. *Paral.* 15. 26.

Lætatusque est populus cum vota sponte promitterent : quia corde toto offerebant ea Domino : sed et David rex lætatus est gaudio magno. Et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait : Benedictus es, Domine, Deus Israel patris nostri, ab æterno in æternum. *Ibid.* 29. 9. 10.

Reversusque est omnis vir Juda, et habitatores Jerusalem, et Josaphat ante eos in Jerusalem, cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis, etc. 2. *Paral.* 20. 27.

Et clare cecinerunt cantores, et Jezraia præpositus : et immolaverunt in die illa victimas, et læti sunt : Deus enim lætificaverat eos lætitia magna : sed et uxores eorum, et liberi gavisi sunt, et audita est lætitia Jerusalem procul. 2. *Esdr.* 12. 41. 42.

(Tobiam peregrinatione reducem pater ejus) osculatus est eum cum uxore sua, et cœperunt ambo flere præ gaudio, etc. *Tob.* 11. 11.

Reliquum vero vitæ suæ (Tobiæ) in gaudio fuit, et cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. *Ibid.* 14. 4.

Erat autem populus jucundus secundum faciem Sanctorum. *Judith* 16. 24.

(Esther de se testatur : Tu scis, Domine, quod) nunquam lætata sit ancilla tua, nisi in te, Domine, Deus Abraham. *Esther* 14. 18.

Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. *Psal.* 67. 4.

Renuit consolari anima mea : memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum et defecit spiritus meus. *Psal.* 70. 4.

(Angelus ait Zachariæ) : Et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt : erit enim magnus coram Domino, etc. *Luc.* 1. 14.

(Discipulos lætantes, quod dæmones ejecissent, monet Christus) : Verumtamen in hoc nolite gaudere — gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Ibid.* 10. 20.

Ibant (Apostoli) gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5. 41.

Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti. 1. *Thess.* 1. 6.

Semper gaudete. Sine intermissione orate. *Ibid.* 5. 16.

GAUDIUM. — *Gaudendum non est more Gentilium.*

(Magnum fuit gaudium Adoniæ filii David, dum senescente patre se ipsum regni successorem constituit, et splendida convivia instituit. Sed hoc gaudium brevi evanuit, cum audivit in convivio, Salomonem a Davide constitutum regem, etc.) 3. *Reg.* 1. 9. *et seq.*

Qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. *Prov.* 2. 14.

Risum reputavi errorem : et gaudio dixi : Quid frustra deciperis? *Eccles.* 2. 2.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. *Ibid.* 7. 3.

Noli lætari, Israel, noli exultare sicut populi : quia fornicatus est a Deo tuo, etc. *Oseæ.* 9. 1.

(Gaudium malorum describit Propheta Amos) : Væ — qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris — Qui canitis ad vocem psalterii — Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti : et nihil patiebantur super contritione Joseph (pauperis). *Amos* 6. 3. *et seq.*

Et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna : (sed breve fuit gaudium ; nam una nocte viruit, et diluculo exaruit). *Jonæ.* 4. 6.

(Filii Jambri cum læti processissent ad nuptias, occisi sunt). Et conversæ sunt nuptiæ in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum. 1. *Mach.* 9. 37.

Miseri estote, et lugete, et plorate : risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. *Jacob.* 4. 9.

GAUDIUM *in persecutione.*

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint vobis (homines), et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. *Matth.* 5. 10. *et seq.*

Et illi quidem (Apostoli) ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5. 41.

Sed nihil horum vereor : nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. *Ibid.* 20. 24.

Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus : scientes, quod tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem : probatio vero spem : spes autem non confundit, etc. *Rom.* 5. 3.

Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Coloss.* 1. 24.

Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. *Hebr.* 10. 34.

Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem : majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi : aspiciebat enim in remunerationem. *Ibid.* 11. 24. *et seq.*

GAUDIUM *spiritus.*

(Quale gaudium habuerit Anna, mater Samuelis, indicat in suo Cantico) : Exultavit cor meum in Domino, etc. — quia lætata sum in salutari tuo. 1. *Reg.* 2. 1.

(Magi) videntes — stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. *Matth.* 2. 10.

In ipsa hora exultavit Spiritu Sancto (Jesus), et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti

hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Luc.* 10. 21.

Spe gaudentes, in tribulatione patientes orationi instantes necessitatibus Sanctorum communicantes. *Rom.* 12. 12.

Non est enim regnum Dei, esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. *Ibid.* 14. 17.

(Paulus de se testatur): Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 2. *Cor.* 7. 4.

Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, etc. *Gal.* 5. 22.

Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. *Philipp.* 4. 4.

Semper gaudete. Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5. 16.

GAUDIUM *salutis æternæ. V. et.* **Beatitudo.**

In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda. *Isa.* 26. 1.

Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur: quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster, etc. *Ibid.* 33. 20.

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis, etc. *Sap.* 3. 1. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. *v.* 7. *V. Matth.* 13. 43. *Item.* 1. *Cor.* 6. 2.

GEMITUS *quis probandus, quis improbandus.*

Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob. Et respexit Dominus filios Israel, et cognovit eos. *Exod.* 2. 24.

Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis, dicens: Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ, misericordia, et veritas, et judicium. *Tob.* 3. 1.

Gemitus matris tuæ ne obliviscaris. *Eccli.* 7. 29.

Et dixit Dominus ad eum (Angelum): Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem: et signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio ejus. *Ezech.* 9. 4.

Sed, cum plagis perimeretur, ingemuit (Eleazarus), et dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, tu scis quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. 2. *Mach.* 6. 30.

Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. *Rom.* 8. 22.

Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini: ecce judex ante januam assistit. *Jacob.* 5. 9.

GENERATIO *mala.*

Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans: generatio, quæ non direxit (cum Deo) cor suum. *Psal.* 77. 8.

Nationis enim iniquæ, diræ sunt consummationes. *Sap.* 3. 19.

Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. — Vos facitis opera patris vestri diaboli. *Joan.* 8. 39.

Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. 1. *Joan.* 3. 8.

GENERATIO *bona.*

Quoniam Dominus in generatione justa est. *Psal.* 13. 6.

Generatio rectorum benedicetur. *Psal.* 111. 2.

Qui non ex sanguinibus — sed ex Deo nati sunt. *Joan.* 1. 13.

Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est. *Ibid.* 3. 6.

Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. 1. *Joan.* 4. 7.

GENTIUM *vocatio.*

Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. *Gen.* 49. 10.

Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel; et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17.

Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur:

et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui. *Deut.* 32. 43.

Salvabis me a contradictionibus populi mei : custodies me in caput gentium : populus, quem ignoro, serviet mihi, etc. 2. *Reg.* 22. 14. Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus ; et nomini tuo cantabo. *v.* 50.

Insuper et alienigena; qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum, ubique) ; cum venerit ergo et oraverit in hoc loco ; tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena, etc. 3. *Reg.* 8. 41. *et seq.*

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam : et possessionem tuam terminos terræ. *Psal.* 2. 8.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, etc. *Psal.* 21. 28.

Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo. *Psal.* 67. 32. *Item. Psal.* 71. 9.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula ; ante solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum. *Psal.* 71. 17.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum. *Psal.* 85. 8.

Memor ero Rahab et Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. *Psal.* 86. 4.

Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. *Isa.* 2. 2.

In die illa, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. *Ibid.* 11. 10.

In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. Et erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. *Ibid.* 19. 19.

In die illa clangetur in tuba magna, et venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, et qui ejecti erant in terra Ægypti, et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem. *Ibid.* 27. 13. *V. Cap.* 19. 17.

(Agitur de futura consolatione, lætitia, securitate, et felicitate perpetua eorum, qui in Christum sunt credituri). *Ibid. c.* 35.

Suscitavi ab Aquilone, et veniet ab ortu solis : vocabit nomen meum, et adducet magistratus quasi lutum, et velut plastes conculcans humum. *Ibid.* 41. 25.

Noli timere, quia ego tecum sum : ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te, etc. *Ibid.* 43. 5.

Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : post te ambulabunt, vincti manicis pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur, etc. *Ibid.* 45. 14.

(Constituitur Christus dux gentium ac Judæorum salvandorum, daturque in fœdus populi ex omni orbis parte vocandi : et ostensa magna felicitate credentium in Christum, hortatur eos ad gratiarum actionem, etc.) *Ibid. c.* 49.

Prope est justus meus, egressus est salvator meus et brachia mea populos judicabunt : me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. *Ibid.* 51. 5.

(Ecclesiam invitat ad lætitiam, quod ex gentibus futura sit numerosior, quam erat Synagoga, et per orbem propaganda, etc.) *Ibid. c.* 54. *V. c.* 55. 5.

Adducam eos (filios advenæ, qui adhærent mihi) in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo : quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. *Ibid.* 56. 7.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, etc. *Ibid.* 60. 3.

Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi : Ecce ego : ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. *Ibid.* 65. 1. *V. c.* 66. 19.

Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in

mulis, et in carrucis ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus. *Ibid.* 66. 20.

Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis : ad te gentes venient ab extremis terræ, et dicent : Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit. *Jerem.* 16. 19.

Et dicam non populo meo : Populus meus es tu : et ipse dicet : Deus meus es tu. *Oseæ* 2. 24.

Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. *Joel.* 2. 28.

Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob : et docebit nos de viis suis, ibimus in semitis ejus, etc. *Mich.* 4. 2.

Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. *Soph.* 3. 9.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui : et scies, quia Dominus exercituum misit me ad te. *Zach.* 2. 11. *V. c.* 8. 22.

Et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. *Ibid.* 9. 10.

Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. *Matth.* 2. 2.

Dico vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum. *Ibid.* 8. 11.

Dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. *Ibid.* 21. 43.

Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. *Ibid.* 22. 9.

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. *Joan.* 10. 16.

Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge, et vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam, hæc est deserta, etc. *Act.* 8. 26.

(Jussu Angeli accersit Cornelius Centurio Petrum, qui per lintei visionem admonitus, gentes ad Evangelium admittendas esse, venit ad illum, etc.) *Ibid. c.* 10.

Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus. 1. *Cor.* 12. 13.

GENTILIUM *mores non sunt nobis imitandi.*

Juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis, et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. *Lev.* 18. 3.

Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas. *Ibid.* 20. 23.

Hæc dicit Dominus : Juxta vias gentium nolite discere : et a signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes : quia leges populorum vanæ sunt, etc. *Jerem.* 10. 2.

GENU *omne flectendum Domino. V. et.* **Oratio flexis genibus.**

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram. *Psal.* 21. 30.

In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur : quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. *Isa.* 45. 23. 24.

Scriptum est enim : Vivo ego — quoniam mihi flectetur omne genu : et omnis lingua confitebitur Deo. *Rom.* 14. 11.

Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum. *Philipp.* 2. 8. *et seq.*

GLADIUS *non cuivis permittendus.*

Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus, etc. *Matth.* 26. 51. *Idem verbatim habetur Marc.* 14. 47. *Luc* 22. 49. *Joan.* 18. 10.

GLADIUS *spiritus est verbum Dei.*

Et ecce, ut vidit impetum multitudinis venientis, non levavit manum suam, neque frameam tenebat, neque aliquod vas bellicosum, nisi solummodo ut vidi, quoniam emisit de ore suo sicut flatum ignis, et de labiis ejus spiritus flammæ, et de lingua ejus emittebat scintillas, et tempestates, et commixta sunt omnia simul, hic flatus ignis, et spiritus flammæ, et multitudo tempestatis. 4. *Esdr.* 13. 9. *et v.* 27. *repetuntur hæc eadem verba.*

Sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ : et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. *Isa.* 11. 4.

In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est. *Ibid.* 27. 1.

Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, et fugiet non a facie gladii, etc. *Ibid.* 31. 8.

Et posuit os meum quasi gladium acutum ; in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam : in pharetra sua abscondit me *Ibid.* 49. 2.

In igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino. *Ibid.* 66. 16.

Et galeam salutis assumite : et gladium spiritus, quod est verbum Dei. *Ephes.* 6. 17.

Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum. 2. *Thess.* 2. 8.

Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, etc. *Hebr.* 4. 12.

Et habebat in dextera sua stellas septem : et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat : et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. *Apoc.* 1. 16.

Similiter pœnitentiam age : si quominus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. *Ibid.* 2. 16.

Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes. *Ibid.* 19. 15.

GLORIA *V. et.* **Honor.**

GLORIA *vana.*

(Salomon, oblata sibi a Deo optione aliquid petendi, non petit gloriam coram mundo, sed sapientiam. Et ob hoc ipsum addita illi fuit ingens gloria). 3. *Reg.* 3. 5. *et* 13.

(Ezechias ex vana gloria ostendit omnes suos thesauros nuntiis Regis Babylonis; sed propterea a Propheta graviter increpatur, eique Dei nomine denuntiatur, quod omnes isti thesauri sint ab Assyriis in Babylonem tranferendi). 4. *Reg.* 20. 13. *et* 17.

Porro Judith omnia vasa bellica Holofernis — obtulit in anathema oblivionis : (ut videlicet oblivisceretur præclaræ victoriæ a se reportatæ, et nullam inde caperet vanam gloriam). *Judith* 16. 23.

(Nabuchodonosor vana gloria tumens, ait) : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo fuit : Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : Regnum tuum transibit a te, et ab hominibus ejicient te, etc. *Dan.* 4. 27. *et seq.*

(Septuaginta duo discipuli gloriabantur, quod dæmones haberent subjectos : sed redarguit eos Christus exemplo Luciferi, qui ob vanam gloriam e cœlo cecidit). *Luc.* 10. 17.

Fide Moyses grandis factus, negavit, se esse filium filiæ Pharaonis — majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. *Hebr.* 11. 24.

GLORIA *Dei in omnibus quærenda.*

(Joseph omnia, quæ in Ægypto gessit, refert ad Deum, et nullam pro se vult gloriam; ait enim) : Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni *Gen.* 41. 16. Quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. *v.* 25. Deus, fecit ne quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. *c.* 45. 8. Vos cogitastis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum ; ut exaltaret me — et salvos faceret multos populos. *c.* 50. 20.

Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. *Josue* 7. 19.

Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis. *Psal.* 115. 1.

(David suam dignitatem regiam, et præclara gesta, soli Deo adscribit, ait enim) : Dextera Domini fecit virtutem : dextera Domini exaltavit me. *Psal.* 117. 16.

Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, etc. *Matth.* 6. 9.

Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo ; nos scimus, quia hic homo peccator est. *Joan.* 9. 24.

Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam *Ibid.* 17. 4.

(S. Petrus, cum sanasset claudum, plausum sibi a populo datum repressit his verbis) : Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? etc. *Act.* 3. 12.

Confestim autem percussit eum Angelus Domini (Herodem), eo quod non dedisset honorem Deo : et consumptus a vermibus, expiravit. *Ibid.* 12. 23.

Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. 1. *Cor.* 6 20.

Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite. *Ibid.* 10. 31. *V. Philipp.* 1. 20.

Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. *Coloss.* 3. 17.

Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. 1. *Tim.* 1. 17.

GLORIA *Beatorum. V.* **Beatitudo.**

GRATIA *in Scripturis accipitur pro beneficio.*

Benedictus sit a Domino (Booz) : quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. *Ruth* 2. 20.

Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem : sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. 2. *Reg.* 2. 6.

Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quo iturus sum : revertere et reduc tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem. *Ibid.* 15. 20.

Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te. *Prov.* 4. 9.

Gratia dati in conspectu omnis viventis, et mortuo non prohibeas gratiam. *Eccli.* 7. 37.

Gratiam fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam. *Ibid.* 29. 20.

GRATIA .. *pro favore.*

Noe vero invenit gratiam coram Domino. *Gen.* 6. 8.

Et dixit (Abraham) : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum. *Ibid.* 18. 3. *V. c.* 19. 18.

Fuit autem Dominus cum Joseph, et misertus illius, dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. *Ibid.* 39. 21.

Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis : et spoliaverunt Ægyptios. *Exod.* 12. 36.

Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis. *Tob.* 1. 13.

Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, etc. *Esth.* 2. 17.

Doctrina bona dabit gratiam, in itinere contemptorum vorago. *Prov.* 13. 15.

Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. *Eccli.* 4. 25.

Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis Eunuchorum. *Dan.* 1. 9.

Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. *Act.* 2. 46.

Biennio autem expleto, accepit successorem Felix, Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum. *Ibid.* 24. 27.

Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit : Vis Jerosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me? *Ibid.* 25. 9.

GRATIA... *pro præmio, quod a Deo expectatur.*

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ : ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *Prov.* 1. 8.

Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino : qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. *Ibid.* 12. 2.

Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? *Luc.* 6. 33.

Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. 1. *Petr.* 2. 19.

GRATIA... *pro dono aliquo gratis dato.*

Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum. *Esth.* 15. 17.

Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Psal.* 44. 43.

Fili mi — custodi legem atque consilium : et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis. *Prov.* 3. 21.

Cor sapientis erudiet os ejus : et labiis ejus addet gratiam. *Ibid.* 16. 23.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. *Ibid.* 22. 11. *V.* 1. *Cor.* *c.* 12. *per totum.*

Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. *Ephes.* 4. 7. *V. Rom.* 12. 3. *Item.* 1. *Cor.* 12. 11.

Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 1. *Petr.* 4. 10.

GRATIA... *pro dono supernaturali, Deo gratum faciente.*

Misericordia ejus (Dei) præveniet me. *Psal.* 58. 11.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus. *Psal.* 83. 12.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave gratia plena, Dominus tecum, etc. *Luc.* 1. 28.

Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo. *Ibid.* 2. 40.

Et de plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia. *Joan.* 1. 16.

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. *Rom.* 1. 7.

Non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1. *Cor.* 15. 10.

Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen. *Ibid.* 16. 23. 24.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo. 2. *Cor.* 1. 21.

Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini : a gratia excidistis. *Gal.* 5. 4.

Optimum est enim gratia stabilire cor. *Hebr.* 13. 9.

Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Jacob.* 4. 6. *V. Prov.* 3. 34. *Item* 1. *Petr.* 5. 5.

GRATIA. — *Præter gratiam efficacem, admittenda est gratia sufficiens.*

Vocavi, et non respondistis. *Isa.* 65. 12. *V. Prov.* 1. 24. *Jerem.* 7. 13.

Quoties volui congregare filios tuos, etc. et noluisti? *Matth.* 23. 37.

Vos semper Spiritui Sancto resistitis. *Act.* 7. 51.

GRATIA. — *Sine auxilio gratiæ supernaturalis non potest homo exercere ullum opus per se ad salutem pertinens, seu supernaturale.*

Sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15. 5.

Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate. *Philipp.* 2. 13.

GRATIA. — *Ad quemvis actum vero moraliter tantum, non supernaturaliter honestum, non opus est gratia supernaturali.*

Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. *Rom.* 2. 14.

GRATIA. — *Pro re grata, pulchra, accepta, amabili.*

Fallax gratia et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Prov.* 31. 30.

Verba oris sapientis, gratia : et labia insipientis præcipitabunt eum. *Eccles.* 10. 12.

Noli discedere a muliere sensata et bona, quam sortitus es in timore Domini : gratia enim verecundiæ illius super aurum. *Eccli.* 7. 21. *et. c.* 21. 19.

Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. *Ibid.* 26. 16. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. *v.* 19.

Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus, et super hæc virides sationes. *Ibid.* 40. 22.

Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ proce-

debant de ore ipsius (Christi scilicet). *Luc.* 4. 22.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. *Ephes.* 4. 29.

GRATIA. — *Gratiæ donnm sit occultum, et nemo debet illud facile sibi arrogare.*

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem (me) ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ. *Job.* 9. 20. 21.

Servite Domino in timore : et exultate ei cum tremore. *Psal.* 2. 11.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me; et ab alienis parce servo tuo. *Psal.* 18. 13.

Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Psal.* 142. 2. *V. Prov.* 14. 12.

Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato? *Prov.* 20. 9.

Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem. Sunt justi atque sapientes : et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti, etc. *Eccles.* 9. 1, Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. *v.* 12.

De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. *Eccli.* 5. 5.

Pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. *Jerem.* 17. 9.

Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. 1. *Cor.* 4. 4. *V.* 2. *Cor.* 10. 14.

Vosmetipsos tentare, si estis in fide : ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. 2. *Cor.* 13. 5.

Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, etc. *Gal.* 6. 3.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? 1 *Petr.* 4. 18.

Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. 2. *Petr.* 1. 10.

Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint. 1. *Joan.* 4. 1.

GRATIA *coram hominibus, qua quis et hominibus gratus est, etiam a Deo est.*

Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis : et cum egrediemini, non exibitis vacui. *Exod.* 3. 21. *Item c.* 11. 3. *c.* 12. 36 *V.* 2. *Esdr.* 2. 5.

Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis. *Tob.* 1. 13.

Et dedit eos in misericordia in conspectu omnium, qui ceperant eos. *Psal.* 105. 46. *V. Jer.* 40. 2. 3. 4.

Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis Eunuchorum. *Dan.* 1. 9.

Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere *Act. V. c.* 24. 23. *et. c.* 28. 16.

GRATIA *a solo Deo datur.*

Gratiam et gloriam dabit Dominus. *Psal.* 83. 12.

(Oculi tui vias Domini custodiant), ut addatur gratia capiti tuo. *Prov.* 1. 9.

Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino. *Ibid.* 12. 2.

Gratia dati in conspectu omnis viventis. *Eccli.* 7. 37.

Est datum, quod non est utile : et est datum, cujus retributio duplex. *Ibid.* 20. 10.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Isa.* 12. 3.

Omnes sitientes, venite ad aquas : et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. *Ibid.* 55. 1.

De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia : quia — gratia et veritas per Jesum Christum facta est. *Joan.* 1. 16. 17.

Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. *Ibid.* 3. 27.

Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. *Rom.* 3. 23.

Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem : ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Ibid.* 5. 20.

Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro. *Ibid.* 6. 23.

Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Ibid.* 9. 16.

Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra; petra autem erat Christus. 1. *Cor.* 10. 4.

Sufficit tibi gratia mea. 2. *Cor.* 12. 9.

Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. *Ephes.* 4. 7.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* 4. 16.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. *Petr.* 5. 5.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. *Apoc.* 21. 6.

Et qui sitit, veniat : et qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. *Ibid.* 22. 17.

GRATIA *bonum operatur.*

Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet. *Eccli.* 40. 17.

In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, etc. *Joan.* 7. 37. *et seq.*

Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. *Rom.* 7. 24.

Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1. *Cor.* 15. 10.

Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus : ut ne quis glorietur. *Ephes.* 2. 8.

GRATIA *bonitate conservatur.*

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est : eruntque dies illius centum viginti annorum. *Gen.* 6. 3.

Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit. *Matth.* 25. 29. *V. c.* 13. 12.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. *Cor.* 6. 1.

Noli negligere gratiam — quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14.

GRATIÆ *agendæ ante et post cibum.*

Ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. *Deut.* 8. 10.

Neque enim comesurus est populus, donec ille veniat : quia ipse benedicit hostiæ, et deinceps comedunt, qui vocati sunt. 1. *Reg.* 9. 13.

Quia qui congregant illud, comedent, et laudabunt Dominum : et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. *Isa.* 62. 9.

Et cum jussisset (Jesus) turbas discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. *Matth.* 14. 19. *Item c.* 15. 36. *Item Marc.* 6. 41 *et. c.* 8. 6. *Luc.* 9. 16. *Joan.* 6. 11. 23.

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, etc. *Ibid.* 26. 26 *V. Marc.* 14. 22.

Et cum hæc dixisset, sumens panem (Paulus), gratias egit Deo in conspectu omnium : et cum fregisset, cœpit manducare. *Act.* 27. 35.

Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo *Rom.* 14. 6.

Si ego cum gratia participo, quid blas-

phemor pro eo, quod gratias ago? Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite. 1. *Cor.* 10. 30. *V.* 1. *Tim.* 4. 3.

GRATITUDO *sive gratus animus erga Deum et homines commendatur.*

Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. *Gen.* 4. 3.

Ædificavit autem Noe altare Domino : et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. *Ibid.* 8. 20.

Dixit autem rex Sodomorum ad Abraham : Da mihi animas, cætera tolle tibi. *Ibid.* 14. 21.

(Sara mortua plangitur : atque in spelunca duplici, quam Abraham ab Ephron cum agro præsenti emit pecunia, sepelitur). *Ibid. c.* 23.

Pronusque adoravi Dominum, benedidicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus. *Ibid.* 24. 48. *V. versus sequentes.*

Itaque ædificavit (Isaac) ibi altare : et invocato nomine Domini, extendit tabernaculum : præcepitque servis suis, ut foderent puteum. *Ibid.* 26. 25.

(Sollicite gratias agebat Deo Jacob, dicens : Domine), minor sum cunctis miserationibus tuis. *Ibid.* 32. 10.

(Pincerna et Pharao multum fuerunt grati Josepho pro expositione somniorum; ille commendavit eum Pharaoni, et hic eum magnifice sublimavit). *Ibid.* 41. 9. *et.* 40.

(Jethro sacerdos in terra Madian gratus fuit, pro eo, quod Moyses filias ejus defenderat, quando apd gregem adaquandum iverant. Unde fecit eum vocari, ut comederet, et dedit ei filiam suam in uxorem). *Exod.* 2. 16.

(Voluit Dominus, ut liberatio filiorum Israel de Ægypto nunquam excideret ab eorum memoria) : Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto — Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos, etc. *Ibid.* 13. *v.* 3. *et* 9. *V. et Num.* 15. 17.

Tunc cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt : Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare, etc. *Ibid.* 15. 1.

(Obtenta de inimicis mirabili victoria, venerunt ad Moysen principes exercitus Israel, dicentes, quod nullus fuerit de filiis Israel in bello occisus, et tamen magnam auri et aliarum rerum prædam fecerint : et ob hanc causam dona magna obtulerunt). *Num.* 31. 48. *et seq.*

Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite : ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui. *Deut.* 4. 9.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua, etc. *Ibid.* 6. 5.

(Valde sollicitus fuit Josue, ne Rahab meretrix, quæ nuntios ab eo missos absconderat, civitate Jericho ruente, periret). *Josue* 6. 22.

(Post victoriam de Sisara habitam, Domino cecinerunt Debbora, et Barac). *Judic.* 5. 1.

(Cum liberasset Gedeon ab inimicis filios Israel, dixerunt omnes ad eum) : Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui : quia liberasti nos de manu Madian. *Ibid.* 8. 22.

Benedictus sit a Domino (Booz) : quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. *Ruth* 2. 20.

(Oravit Anna : et laudavit Dominum pro filio sibi dato). 1. *Reg.* 2. 1.

(Dixit David ad Abiathar, cujus pater dilexerat ipsum David) : Mane mecum, ne timeas : si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, etc. *Ibid.* 22. 23.

(Misit David ad viros Jabes Galaad, qui sepelierunt corpora Saul, et filiorum ejus, et gratias egit eis). 2. *Reg.* 2. 5. *V. et* 1. *Reg.* 31. 11.

Faciam (dixit David) misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. *Ibid.* 10. 2.

Dixit itaque rex ad Berzellai : Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. *Ibid.* 19. 33.

Sed et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua. 3. *Reg.* 2. 7.

(Elias pie compassus est viduæ, apud quam sustentabatur, et efficaciter oravit pro ejus filio defuncto, ita ut ipsum a mortuis suscitaverit). *Ibid. c.* 17.

Et benedixit Domino (David) coram universa multitudine, et ait : Benedictus es, Domine Deus Israel patris nostri, ab æterno in æternum. 1. *Paral.* 29. 10.

Præcepit autem David universæ ecclesiæ : Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum : et inclinaverunt se, et adoraverunt Deum, et deinde regem. *v.* 20. *V.* 2. *Paral.* 15. 11.

Die autem quarto congregati sunt in valle benedictionis, etc. 2. *Paral.* 20. 26. *V. Esther c.* 6. *per totum caput.*

(Cum Tobias recuperasset : visum, uxor ejus, et omnes, qui sciebant eum prius cœcum), glorificabant Deum. *Tob.* 11. 16.

Tunc vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei : Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? *Ibid.* 12. 1. Etenim Sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. *v.* 7. *V. et. v.* 2. 3. *et* 4. (quanta gratitudine Tobias junior retulerit patri suo beneficia a Raphaele percepta). *V. et c.* 9. 1.

Omnis populus, post victoriam (de exercitu Holofernis habitam) venit in Jerusalem adorare Dominum. *Judith* 16. 22.

Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam *Eccli.* 7. 22.

Qui credit Deo, attendit mandatis : et qui confidit in illo, non minorabitur. *Ibid.* 32. 28.

Quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi. *Ibid.* 35. 13.

(Revelata Danieli visione Nabuchodonosor regis Babylonis, benedixit Deo cœli, et ait) : Sit nomen Domini benedictum a sæculo et usque in sæculum : quia sapientia et fortitudo ejus sunt. *Dan.* 2. 19.

(Nabuchodonosor, audita expositione somnii sui, Danielem in sublime extulit, et magna munera illi dedit : similiter et Balthassar honoravit eum propter expositionem scripturæ, quam in pariete viderat). *Ibid. c.* 4. *et* 5.

Et conversi, hymnum canebant, et benedicebant Deum in cœlum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus. 1. *Mach.* 4. 24.

Et ascenderunt in montem Sion cum lætitia et gaudio, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace. *Ibid.* 5. 54.

(Judas Machabæus, et populus scripserunt Aristobulo, dicentes) : De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi. 2. *Mach.* 1. 11. *V. et. c.* 10. 38.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui : quia sæpe me refrigeravit, etc. 2. *Tim.* 1. 16.

In illo tempore respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11. 25.

Et non admisit eum (qui vexabatur a dæmonio), sed ait illi : Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui. *Marc.* 5. 19.

Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. *Luc.* 18. 43.

Tulerunt ergo lapidem : Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. *Joan.* 11. 41.

Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. *Rom.* 6. 17.

Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. *Ephes.* 5. 20. *V. Coloss.* 2. 7.

Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philipp.* 4. 6.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore : et grati estote. *Coloss.* 3. 15.

Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat caritas uniuscujusque vestrum in invicem. 2. *Thess.* 1. 3.

GULA *et Ebrietas.*

(Primum hominis peccatum, vitio gulæ fuit completum). *Gen. c.* 3.

(Noe bibens vinum, inebriatus et nudatus est). *Ibid.* 9. 21.

(Lot inebriatus, incestum cum propriis filiabus commisit, etc). *Ibid.* 19. 32.

(Esau pro lentis edulio vendidit primogenita sua). *Ibid.* 25. 31.

Et sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. *Exod.* 32. 6.

Dixit quoque Dominus ad Aaron : Vinum et omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu, et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. *Levit.* 10. 8.

Flagravit (populus) desiderio (carnium) sedens et flens — et ait : Quis dabit nobis ad vescendum carnes? etc. *Num.* 11. 4.

(Cum) comederis et saturatus fueris, cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. *Deut.* 6. 12. *et* 13.

Filius noster — comessationibus vacat et luxuriæ, atque conviviis : lapidibus eum obruet populus, etc. *Ibid.* 21. 20.

(In trecentis viris, qui aquas lamberunt, et moderate biberunt, liberavit Dominus Israel). *Judic.* 7. 5.

(Inter epulas et pocula fiunt homines audaciores et loquaciores. *Ibid.* 9. 27.

(Epulantibus Philisthæis et lætantibus, domus cecidit super eos). *Ibid.* 16. 23.

(Amnon filius David in convivio ab Absalom temulentus fuit occisus). 2. *Reg.* 13. 28.

(Benadab Rex Syriæ temulentus in tabernaculo suo habebat maximam multitudinem bellatorum, et tamen vectus fuit, et fugatus per pueros principum provinciarum). 3. *Reg.* 20. 16.

Et comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te ad iracundiam, etc. 2. *Esdr.* 9. 25.

Bibitque vinum (Holofernes) multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua. (Et post pauca sequitur) : Eratque Judith sola in cubiculo. Porro Holofernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. (Ex quo Judith habuit occasionem occidendi eum). *Judith* 12. 20. *et. c.* 13. 3. 4.

(Noverat Job multa in conviviis fieri peccata ; idcirco postquam epulati fuerant filii et filiæ ejus), consurgensque diluculo, offerebat holocausta pro singulis. *Job.* 1. 4.

Anima saturata, calcabit favum (spiritualium dulcedinum) : et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. *Prov.* 27. 7.

Omnis labor hominis in ore ejus : sed anima ejus non implebitur (bonis). *Eccles.* 6. 7.

Ne cum manducas multum, odio habearis. *Eccli.* 31. 19. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum ! et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem. *v.* 22.

(Somno salubri fruuntur viscera temperantis ; mane surgit, idem et compos est animi : labor autem, vigilia, et cholera, torsionesque exercent hominem insatiabilem). *Ibid. v.* 23. *et* 24.

Sacerdos et Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino — Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, etc. *Isa.* 28. 7.

Ab ea, quæ dormit in sinu tuo (concupiscentia), custodi claustra oris tui. *Mich.* 7. 5.

(Ptolemæus fecit Simoni sacerdoti convivium, et ipsum cum filiis ejus, cum inebriati essent, occidit). 1. *Mach.* 16. 16.

Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. *Matth.* 6. 25. *V. Luc.* 12. 22.

Qui enim voluerit animam suam (animalitatem) salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit — propter me, inveniet eam. *Ibid.* 16. 25.

Væ vobis, qui saturati estis : quia esurietis. *Luc.* 6. 25.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ. *Ibid.* 21. 34.

Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. *Rom.* 8. 5.

Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione et æmulatione : sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13. 13. 14.

Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi : quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis (quid sapidum, vel insipidum) ? *Coloss.* 2. 20.

Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis. *Hebr.* 13. 9.

GULA *delectationem, non necessitatem quærit.*

(Sic primi parentes). Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. *Gen.* 3. 6.

(Sic filii Israel fastidientes manna, carnes concupierunt). *Num.* 11. 4.

GULA *Deum offendit.*

(Unde primi parentes graviter sunt puniti). *Gen. c.* 3.

Mulieri quoque dixit (Deus) : Multiplicabo ærumnas, et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate

eris, et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *Ibid. v.* 16. *et seq.*

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus : et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. *Num.* 11. 33.

Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. *Job* 20. 14.

Manducaverunt, et saturati sunt nimis, etc. *Psal.* 77. 29. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum : et ira Dei ascendit super eos. *v.* 30. 31.

Vinum multum potatum, irritationem, et iram, et ruinas multas facit, etc. *Eccli.* 31. 38.

Esca ventri, et venter escis ; Deus autem hunc et has destruet. 1. *Cor.* 6. 13. *V. et supra, præsertim* 2. *Esdr.* 9. 25.

GULA *intellectum deprimit.*

Et sic accepto pane et lentis edulio, comedit et bibit (Esau), et abiit parvipendens, quod primogenita vendidisset. *Gen.* 25. 34.

Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint, et saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis : detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum. *Deut.* 31. 20.

Quam prævalet vinum omnibus, qui bibunt illud ! seducit mentem : item regis et orphani facit mentem vanam, etc. 3. *Esdr.* 3. 18. 19. *V. Prov.* 31. 4.

Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau : qui propter unam escam vendidit primitiva sua. *Hebr.* 12. 16.

GULA *affectum inficit.*

Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri. *Rom.* 16. 18.

Quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Philipp.* 3. 19.

GULA *corpus interficit.*

Multos enim exterminavit vinum *Eccli.* 31. 30.

Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Ibid.* 37. 34. *V. supra de Holoferne. Item* 1. *Mach. c.* 16.

GULA *substantiam perdit.*

(Sic Esau pro lenticulæ edulio primogenita vendidit). *Gen.* 25. 34.

Qui diligit epulas, in egestate erit : qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur. *Prov.* 21. 17.

In diebus Noe — edebant et bibebant : uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam : et venit diluvium, et perdidit omnes. *Luc.* 17. 27.

H

HÆREDITAS *superna.*

Dominus pars hæreditatis meæ, etc. *Psal.* 15. 5.

Salvum fac populum tuum; Domine et benedic hæreditati tuæ. *Psal.* 27. 9.

Sustinentes — Dominum, ipsi hæreditabunt terram. *Psal.* 36. 9.

Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *Psal.* 141. 6.

Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Rom.* 8. 17.

In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. *Ephes.* 1. 13.

Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. *Tit.* 3. 7.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? *Jac.* 2. 5.

(Christus deglutivit) mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur. 1. *Pet.* 3. 22.

HÆREDITAS *terrena.*

Homo cum mortuus fuerit absque filio,

ad filiam ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod etsi fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt. *Num.* 27. 8. *et seq.*

Bonus relinquit hæredes filios, et nepotes : et custoditur justo substantia peccatoris. *Prov.* 13. 22.

Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. *Ibid.* 20. 21.

Nonne aliis relinques dolores, et labores tuos in divisione sortis? *Eccli.* 14. 15.

HÆRETICI. *V. et.* **Prophetæ mali.**

HERÆTICI. — *Hæreticos et Infideles relinquit Deus ad justorum probationem.*

Hæ sunt gentes, quas Dominus derelinquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes, qui non noverant bella Chananæorum. *Judic.* 3. 1.

Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 1. *Cor.* 11. 19.

HÆRETICI *jam inde a temporibus Apostolorum extiterunt.*

Ex quibus est Hymenæus et Alexander (qui circa fidem naufragium fecerunt) : quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. 1. *Tim.* 1. 20.

Profana autem et vaniloquia, devita : multum enim proficiunt ad impietatem : et sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem. etc. 2. *Tim.* 2. 16.

Filioli, novissima hora est : et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt : unde scimus, quia novissima hora est. 1. *Joan.* 2. 18.

Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem : hic est seductor et Antichristus. 2. *Joan.* *v.* 7.

Sed habeo adversus te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari : ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age, etc. *Apoc.* 2. 14. *et seq.*

HÆRETICI. — *Hæreticos futuros et nostris temporibus, prædictum est.*

Multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus . et multos seducent. Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum. *Matth.* 24. 5. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ : et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. *v.* 24.

Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. *Joan.* 5. 43.

Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, etc. 1. *Tim.* 4. 1.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis, quam Dei : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. *Tim.* 3. 1. *et seq.* Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes et in errores mittentes, etc. *v.* 12. *et* 13. *V. Act.* 20. 29.

Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem, etc. 2. *Petr.* 2. 1.

Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, etc. *Ibid.* 3. 3.

Vos autem, carissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, etc. *Judæ* *v.* 17. 18.

HÆRETICI. — *Hæreticorum mores et doctrina. Ibidem per totam Epistolam.*

HÆRETICI *vitandi sunt.*

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et præ-

dixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, annon, in toto corde, et in tota anima vestra. *Deut.* 13. 1. 2. 3. *V. totum Caput.*

Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Matth.* 7. 15.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis, etc. *Rom.* 16. 17.

Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur : et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 2. *Thess.* 3. 14.

Et sermo eorum, ut cancer serpit : ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui a veritate exciderunt (quos devita). 2. *Tim.* 2. 17.

Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita. *Ibid.* 3. 5.

Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem, devita : sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. *Tit.* 3. 10.

HÆRETICI... *quia Deum offendunt.*

Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos : magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes. 2. *Petr.* 2. 9. 10.

HÆRETICI... *lucris propriis intendunt.*

Voluptatum amatores magis, quam Dei : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. *Tim.* 3. 4. 5.

Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes. 2. *Petr.* 3. 3.

Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. 1. *Joan.* 2. 19.

Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. *Judæ v.* 4. *V. totam Epist.*

HÆRETICI... *proximum seducunt.*

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth.* 7. 15.

Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus et multos seducent. *Ibid.* 24. 4. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos. *v.* 11. Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic : nolite credere. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ : et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. *v.* 23.

Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. *Act.* 20. 29.

Nam oportet et hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 1. *Cor.* 11. 19.

Nam ejusmodi pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum : ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ : quorum finis erit secundum opera ipsorum. 2. *Cor.* 11. 13.

Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur : et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. 2. *Petr.* 2. 1. 2. 3. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paullulum effugiunt, qui in errore conversantur : libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. *v.* 18.

Propter quod, carissimi, hæc expectantes, satagite, immaculati et inviolati ei inveniri in pace. Et Domini nostri lon-

ganimitatem, salutem arbitremini : sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit nobis. Sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his : in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. *Ibid.* 3. 14. *et seq.*

Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1. *Joan.* 4. 1. Ipsi de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos : qui non est ex Deo, non audit nos : in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris. *v.* 5. *et* 6.

HÆRETICI *factis se ipsos produnt.*

A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. *Matth.* 7. 16.

Amen, amen dico vobis : qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. *Joan.* 10. 1.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis, quam Dei : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. *Tim.* 3. 1. *et seq.*

HÆRETICI *male tolerantur a Præfectis.*

Sed habeo adversus te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari : ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age : si quo minus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. *Apoc.* 2. 14.

HÆRETICI *tollendi e medio.*

Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur : quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit vos de domo servitutis : ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus : et auferes malum de medio tui. *Deut.* 13. 5.

Propheta autem, qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. *Ibid.* 18. 20.

Apprehendite Prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. 3. *Reg.* 18. 40.

Factum est autem, cum completum esset holocaustum ; præcepit Jehu militibus et ducibus suis : Ingredimini, et percutite eos, nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii, et projecerunt milites et duces : et ierunt in civitatem templi Baal, et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt. 4. *Reg.* 10. 25.

HÆRESIS, *seu Fornicatio spiritualis. V.* **Fornicatio.**

HERUS *et* **HERA.** *V.* **Dominus** *et* **Domina.**

HOMO *creatus ad imaginem Dei.*

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, etc. *Gen.* 1. 26.

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. *Ibid.* 2. 7.

Hic est liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. *Ibid.* 5. 1.

Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo. *Ibid.* 9. 6.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente præcipitas me? *Job* 10. 8.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me : da mihi intellectum, et discam mandata tua. *Psal.* 118. 73.

Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. *Sap.* 2. 23.

Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. *Eccli* 17. 1. *V. Coloss.* 3. 10.

In ipsa (lingua) benedicimus Deum et Patrem : et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. *Jacob.* 3. 9.

HOMO *maledicitur.*

Adæ vero dixit (Deus) : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, etc. *Gen.* 3. 17.

HOMO. — *Hominis humilitas ob materiæ vilitatem.*

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. *Gen.* 2. 7.

Manus tuæ (Domine) fecerunt me — Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. *Job* 10. 8.

Homo vanitati similis factus est. *Psal.* 143. 4.

Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. *Sap.* 7. 6.

Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, et in vanitate malitiæ placuerunt. *Eccli.* 17. 29.

Ecce, vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est : abominatio est qui elegit vos. *Isa.* 41. 24.

Væ, qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ : nunquid dicet lutum figulo suo : Quid facis, et opus tuum absque manibus est? *Ibid.* 45. 9.

Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet. *Jacob.* 1. 11.

HOMO. — ... *ob vitæ brevitatem. V. et.* **Fœnum.**

Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. *Job* 1. 21.

Hesterni quippe sumus, et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. *Ibid.* 8. 9.

Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? *Ibid.* 10. 20.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, etc. *Ibid.* 14. 1.

Ecce enim breves anni transeunt, et semitam, per quam non revertar, ambulo. *Ibid.* 16. 23.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos : et subtantia mea tamquam nihilum ante te. *Psal.* 38. 6.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur : dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni. *Psal.* 89. 10.

Dies mei sicut umbra declinaverunt : et ego sicut fœnum arui. *Psal.* 101. 12.

Dies ejus (hominis) sicut umbra prætereunt. *Psal.* 143. 4.

Peregrini enim sumus coram te, et advenæ — Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. *Par.* 29. 15.

Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. *Eccles.* 9. 12.

Umbræ enim transitus est tempus nostrum. *Sap.* 2. 5.

Transierunt omnia illa tamquam umbra : et tamquam nuntius percurrens — Sic et nos nati continuo desivimus esse. *Ibid.* 5. 9. *et* 13. *V. c.* 2. 5.

Et nescit, quod tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat (homo) omnia aliis, et morietur. *Eccli.* 11. 20.

Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, et alia dejiciuntur : sic generatio carnis, et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur. *Ibid.* 14. 18. 19.

Numerus dierum hominum ut multum centum anni : quasi gutta aquæ maris deputati sunt : et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. *Ibid.* 18. 8.

Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus. *Isa.* 40. 6.

Quia omnis caro ut fœnum; et omnis gloria ejus tamquam flos fœni : exaruit fœnum, et flos ejus decidit. Verbum autem Domini manet in æternum. 1. *Petr.* 1. 24. *V. Jacob.* 1. 10.

HOMO. — ... *ob miseriæ multiplicitatem.*

In sudore vultus tui vesceris pane tuo *Gen.* 3. 19.

Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. *Job* 5. 7.

Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii, dies ejus. *Ibid.* 7. 1.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra : et nunquam in eodem statu permanet. *Ibid.* 14. 1. 2.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur

— et amplius eorum labor et dolor. *Psal.* 89. 10.

Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies ejus doloribus, et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit : et hoc nonne vanitas est? *Eccles.* 2. 22. 23.

Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. *Ibid.* 5. 12. Quid ergo prodest ei, quod laboravit in ventum? *v.* 15.

Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. *Sap.* 9. 15.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium, etc. *Eccli.* 40. 1. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur, et omnes aquæ in mare revertentur. *v.* 11.

HOMO *benedicitur in Christo.*

Benedicam benedicentibus tibi, et maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. *Gen.* 12. 3. *V. c.* 18. 18.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Ibid.* 22. 18. *V. Cap.* 26. 4. *Item. Eccli.* 44. 25. *Act.* 3. 25.

Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes Gentes, etc. *Gal.* 3. 8.

HOMO. — *Hominis regeneratio.*

Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth.* 18. 2.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Joan.* 1. 12. *et* 13.

Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. *Ibid.* 3. 3. Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex spiritu, spiritus est. *v.* 6.

Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ibid.* 4. 14.

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Ibid.* 7. 38.

Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 1. *Cor.* 4. 15.

Primus homo de terra, terrenus : secundus homo (Christus) de cœlo, cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cælestis, tales et cælestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni : portemus et imaginem cælestis. *Ibid.* 15. 47. *et seq.*

Sed licet is, qui fortis est, noster homo corrumpatur : tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. 2. *Cor.* 4. 16.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *Gal.* 4. 19. *V. Jac.* 1. 18.

In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. *Ibid.* 6. 15.

Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu. Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. *Ephes.* 4. 20. *et seq. V. Rom.* 6. 4.

Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundam imaginem ejus, qui creavit illum. *Coloss.* 3. 8. *et seq. V. et v.* 12.

Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. *Tit.* 3. 4. 5.

Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum. 1. *Petr.* 1. 23.

Sicut modo geniti infantes. *Ibid.* 2. 2. *V. Jacob.* 1. 18.

HOMO *pulvis et lutum.*

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. *Gen.* 2. 7.

In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *Ibid.* 3. 19.

Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. *Ibid.* 18. 27.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu : et sic repente præcipitas me? etc. *Job.* 10. 8.

Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. *Ibid.* 34. 15.

Et recordatus est, quia caro sunt : spiritus vadens, et non rediens. *Psal.* 77. 39.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. *Psal.* 145. 4.

Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Eccles.* 12. 7.

Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute. *Eccli.* 17. 1. 2.

Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur; sic impii a maledicto in perditionem. *Ibid.* 41. 13. *V. Job.* 4. 19.

Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloris ejus quasi flos agri. *Isa.* 40. 6.

HOMICIDIUM, *latrocinium, et sanguinis effusio, et eorum punitio.*

(Impius Cain pium Abel fratrem suum occidit, et a Deo punitur, ac profugus vitam agens Enoch genuit, etc.). *Gen.* 4. 8. *V.* 1. *Joan.* 3. 12.

Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. *Ibid.* 9. 6. *V. Matth.* 26. 52.

Non occides. *Exod.* 20. 13. *Et Deut.* 5. 17. *idem omnino habetur. Item. Matth.* 5. 21. *c.* 19. 18. *Rom.* 13. 9.

Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit : percussor non erit reus sanguinis. *Ibid.* 22. 2.

Qui percusserit hominem, punietur. *Lev.* 24. 23. *V. Deut.* 19. 4.

Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit, qui percussus est : reus erit homicidii, et ipse morietur. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit : similiter punietur. Si ligno percussus interierit : percussoris sanguine vindicabitur. *Num.* 35. 16. *et seq.* Homicida sub testibus punietur : ad unius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur. *v.* 30. *et* 31.

Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, et arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. *Deut.* 19. 11. *V. et. Josue* 20. 3.

Maledictus, qui clam percusserit proximum suum; et dicet omnis populus : Amen. *Ibid.* 27. 25. *V. Thren.* 4. 13.

Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem (odit Dominum). *Prov.* 6. 17. *V. c.* 28. 17.

Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. *Eccli.* 34. 25. *et seq.*

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea, etc. *Ezech.* 24. 6,

Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. *Oseæ.* 4. 2.

Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc. invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia : quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Galat.* 5. 19. *et seq.*

Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. *Apoc.* 13. 10.

HOMICIDIUM *frequenter oritur ex invidia.*

Sciebat enim (Pilatus), quod per invidiam tradidissent eum (Christum). *Matth.* 27. 18.

(Sic Judæi Christum cruci affigi jusserunt). *Ibid. v.* 23.

Vos ex patre diabolo estis, et desideria

patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio. *Joan.* 8. 44.

Væ illis, qui in via Cain abierunt, etc. *Judæ.* 11.

HOMICICIUM... *ex avaritia.*

(Sic Jezabel ob vineam habendam occidi fecit Naboth). 3. *Reg.* 21. 13.

Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem : per noctem vero erit quasi fur. *Job* 24. 14.

HOMICIDIUM... *ex luxuria.*

(Sic David Uriam bello occumbere procuravit). 2. *Reg.* 11. 15.

(Item Herodes decollavit Joannem). *Marc.* 6. 27.

HOMICIDIUM... *ex ambitione.*

(Unde Abimelech septuaginta fratres, ut ipse solus regnare posset, occidit). *Judic.* 9. 5.

(Sic Athalia omne regium interfecit semen). *Reg.* 11. 1.

HONOR *temporalis non magnifaciendus V. et.* **Gloria..**

Quid vobis est melius (ait Abimelech filius Jerobaal), ut dominentur vestri septuaginta viri, omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? simulque considerate, quod os vestrum, et caro vestra sum. *Judic* 9. 2. *V. Num.* 16. 1. *Item* 2. *Reg.* 15. 1.

Non zeles gloriam et opes peccatoris : non enim scis, quæ futura sit illius subversio. *Eccli.* 9. 16. *V. Esther.* 3. 1. *et. c.* 6. 6.

Noli extollere te in faciendo opere tuo, et noli cunctari in tempore angustiæ. Melior est qui operatur, et abundat in omnibus, quam qui gloriatur, et eget pane. *Ibid.* 10. 29. *V.* 3. *Reg.* 1. 5. *Item Prov.* 12. 9.

Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra. *Jerem.* 9. 23. 24.

Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matth.* 6, 1.

Ait illi Jesus : Vide, nemini dixeris : sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium, illis. *Ibid.* 8. 4. *Item Marc.* 1. 44. *V. Matth.* 9. 30. *et. c.* 17. 9.

Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. *Ibid.* 20. 26. *Item Marc.* 10. 43. *Luc.* 22. 27. *V. et v.* 24.

Ego autem non quæro gloriam meam : est qui quærat, et judicet. *Joan.* 8. 50. *V. c.* 6. 15.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. *Ibid.* 12. 43.

(Paulus et Barnabas dixerunt) : Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, et omnia, quæ in eis sunt. *Act.* 14. 14, *V. c.* 10, 26.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam : sed in humilitate, superiores sibi invicem arbitrantes. *Philipp.* 2. 3.

Nec quærentes ab hominibus gloriam (loquitur Paulus de se ipso), neque a vobis, neque ab aliis. 1. *Thess.* 2. 6. *V.* 1. *Petr.* 5. 3.

Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide, ne feceris : conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. *Apoc.* 19. 10. *Idem habetur c.* 22. 9.

HONOR *debite exhibendus.*

Gloriam sapientes possidebunt : stultorum exaltatio, ignominia. *Prov.* 3. 35.

Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem. *Ibid.* 26. 8.

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum : semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. *Eccli.* 10. 23.

Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere eum faciet. *Ibid.* 11. 1.

Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum. *Ibid.* 37. 29.

HONOR *honeste conservandus.*

Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 1. *Reg.* 2. 30.

Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli. *Prov.* 5. 9.

Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est : noli despicere hominem justum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem. *Eccli.* 10. 25. 26. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum Peccantem in animam suam quis justificabit? et quis honorificabit exhonorantem animam suam? etc. *v.* 31. *et* 32.

HONOR *inique non ambiendus.*

Inscius non honorabitur. *Eccli.* 10. 28. Et est homo, qui honorificatur propter substantiam suam. *v.* 33.

Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis : qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. *Luc.* 20. 46. *V. c.* 11. 43. *Item Matth.* 23. 6.

HONOR *Dei. V.* **Gloria.**

HONOR. — *Honorandi parentes. V.* **Parentes.**

HONOR *templorum. V.* **Templum.**

HOSPITALITAS *commendatur.*

Dominus Deus vester — amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ, etc. *Deut.* 10. 17. 19.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam ; cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7.

Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me. *Matth.* 25. 35.

Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Luc.* 14. 13.

Necessitatibus sanctorum communicantes : hospitalitatem sectantes. *Rom.* 12. 13.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum : non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. 1. *Tim.* 3. 2. *Item Tit.* 1. 7.

Et hospitalitatem nolite oblivisci ; per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. *Hebr.* 13. 2. *V. Jacob.* 1. 27.

(Estote) hospitales invicem sine murmuratione. 1. *Petr.* 4. 9.

Carissime, fideliter facis, quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos. 3. *Joan. v.* 6.

HOSPITALITAS. — *Hospitalitatis exempla.*

(Angeli ab Abraham hospitio recepti, filium ei ex Sara promittunt, quæ ob id ridens, corripitur, etc). *Gen. c.* 18. (Dixit Abraham Angelis tribus ei apparentibus): Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum : sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque bucellam panis, et confortate cor vestrum: postea transibitis. *v.* 3. *et seq.*

Et dixit (Lot duobus Angelis Sodomam advenientibus) . Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi : lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium, et coxit azyma, et comederunt. *Ibid.* 19. 2. 3.

Dixitque (Laban) ad eum (servum Abrahæ): ingredere, benedicte Domini; cur foris stas? præparavi domum et locum camelis tuis. Et introduxit eum in hospitium, etc. *Ibid.* 24. 31. 32.

(Jethro recepit peregrinum Moysen hospitio, etc). *Exod.* 2. 20.

(Exploratores, quos misit Josue, excepit hospitio meretrix liberaliter, et custodivit fideliter). *Josue. c.* 2.

Dixitque Manue ad Angelum Domini : Obsecro te, ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hœdum de capris. *Judic.* 13. 15.

Occurrit ei (Levitæ) lætus (socer ejus), et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo, et bibens familiariter. *Ibid.* 19. 3. Cui rursum locutus est socer : Considera. quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum : mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et cras proficisceris, ut vadas in domum tuam. *v.* 9.

Cumque venisset (Elias) ad portam civitatis (Sarephtæ), apparuit ei mulier vidua, colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei : Da mihi paullulum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit (Elias) post tergum ejus, dicens : Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua, etc. 3. *Reg.* 17. 10. 11.

Facta est autem quædam dies, et transibat Eliseus per Sunam (civitatem) : erat autem ibi mulier magna, qeæ tenuit eum, ut comederet panem : cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam, ut comederet panem. 4 *Reg,* 4. 8. *V. Job.* 1. 4.

(Tobias) dixit filio suo : Vade, et adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. *Tob.* 2. 2.

Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea, etc. *Job.* 31. 17. Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur. *v.* 22. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. *v.* 32.

Factum est autem dum irent, et ipse (Jesus) intravit in quoddam castellum : et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, etc. *Luc.* 10. 38.

Et dixit ad eum (Jesus) : Zachæe, festinans descende : quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. *Ibid.* 19. 5.

Cum autem baptizata esset (Lydia purpuraria), et domus ejus, deprecata est, dicens : Si judicastis me fidelem Domino esse, introite (Paule et Timothee) in domum et manete : et coegit nos. *Act.* 16. 15.

In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit, etc. *Ibid.* 28. 7.

HOSPITALITAS. — *Inhospitalitas.*

Præ lassitudine (Gedeon cum suis trecentis viris) fugientes persequi non poterant. Dixitque ad viros Soccoth : Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valde defecerunt : ut possimus persequi Zebee, et Salmana reges Madian. Responderunt principes Soccoth : Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas, ut demus exercitui tuo panes. Quibus ille ait (Gedeon) : Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. Et inde conscendens (Gedeon) venit in Phanuel : locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt sicut responderunt viri Soccoth. Dixit itaque et eis (Gedeon) : Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc, etc. (Comprehensis autem Zebee et Salmana, dixit Gedeon) : En Zebee, et Salmana, super quibus exprobrastis mihi, dicentes : Forsitan manus Zebee, et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas, ut demus viris, qui lassi sunt et defecerunt, panes. Tulit ergo (Gedeon) seniores civitatis, et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. *Judic.* 8. *a v.* 4. *usq. ad* 17.

Quo cum intrassent (Levita, et servus ejus), sedebant in platea civitatis (Gabaa), et nullus eos recipere voluit hospitio. Et ecce apparuit homo senex, revertens de agro et de opere suo vesperi — Et dixit ad eum : Unde venis? et quo vadis? Qui respondit ei : Profecti sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem : et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere — Cui respondit senex : Pax tecum sit, ego præbebo omnia, quæ necessaria sunt : tantum, quæso, ne in platea maneas. *Ibid.* 19. *a v.* 15. *usq ad* 20. *V.* 1. *Reg.* 25. 9. *et* 14.

Etenim detestabiliorem inhospitalitalitatem instituerunt : alii quidem ignotos non reciepiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant. (Loquitur de Ægyptiis persequentibus Hebræos). *Sap.* 19. 13.

HUMILITAS *Deo grata est.*

(Dixit Angelus ad Agar) : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. *Gen.* 16. 9.

Respondensque Abraham ait (ad Dominum) : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis. *Ibid.* 18. 27.

Vidit Dominus humilitatem meam. *Ibid.* 29. 32. *V. et versus sequentes.*

(Multum humiliavit se Jacob coram Esau, et sic compescuit iram ejus). *Ibid. c.* 33.

Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet : uno tantum regni solio te præcedam. *Ibid.* 41. 40

(Quinquies excusavit se Moyses, antequam vellet accipere ducatum populi, quem tamen ei imponebat Deus; nec acquievit, donec Dominum intellexisset iratum). *Exod.* 3. 10. *Unde cap.* 4. 14. *extat :* Iratus Dominus in Moysen, etc.

(Moyses utile consilium pagani hominis non despexit, sed ei humiliter acquievit). *Ibid.* 18. 24.

(Gedeon respondens ait ad Dominum) : Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse : et ego minimus in domo patris mei. Dixitque ei Dominus : Ego ero tecum : et percuties Madian, quasi unum virum, etc. *Judic.* 6. 6. 15. 16.

Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo : dilatatum est os meum super inimicos meos : quia lætata sum in salutari meo. (Sic canabat Anna ad Dominum). 1. *Reg.* 2. 1. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. *v.* 8. *V. Ibid. c.* 1. *et* 2. *Reg.* 6. 16.

Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino : et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. Factum est autem cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel. *Ibid.* 7. 9. 10.

Dixitque David ad Michol : Ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, et quam omnem domum ejus, et præcepit mihi, ut essem dux super populum Domini in Israel, et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum : et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. 2. *Reg.* 6. 21. 22.

Dixitque ad eos (scilicet Roboam; et principes Suda Semeias Propheta) : Hæc dicit Dominus : Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac (regis Ægypti, qui diripuit Jerusalem). Consternatique principes Israel et rex, dixerunt : Justus est Dominus. Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. 2. *Paral.* 12. 5. *et seq.*

Humiliatusque est (Ezechias) postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quam habitatores Jerusalem : et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ibid.* 32. 26.

Qui postquam coangustatus est (scilicet Manasses), oravit Dominum Deum suum, et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. *Ibid.* 33. 12. 13.

Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Dei, super his, quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me : ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. *Ibid.* 34. 26. 27.

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum, etc. (scilicet quia metuerunt Holofernem vehementer). *Judith.* 4. 8. Tunc Eliachim sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos, dicens : Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini. *v.* 11. *et* 12.

Et ideo humiliemus illi (Deo) animas nostras, et in spiritu constituti humiliato servientes illi. *Ibid.* 8. 16. Exspectemus humiles consolationem ejus. *v.* 20.

Non enim in multitudine est virtus tua, Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi : sed humilium, et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *Ibid.* 9. 16.

(Esther regina confugit ad Dominum,

et corpus suum humiliavit jejuniis, oransque inter cætera dixit) : Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum susuperbiæ, et gloriæ meæ, etc. *Esther* 14. 16. *V. Isa.* 37. 1.

Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria : et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. *Job* 22. 29.

Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit. *Psal.* 33. 19.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. *Prov.* 11. 2.

Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis. *Ibid.* 16. 19.

Antequam conteratur, exaltatur cor hominis : et antequam glorificetur, humiliatur. *Ibid.* 18. 12.

Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende huc, quam ut humilieris coram principe. *Ibid.* 25. 6. 7.

Superbum sequitur humilitas : et humilem spiritu suscipiet gloria. *Ibid.* 29. 23.

Humilia valde spiritum tuum : quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. *Eccli.* 7. 19.

Hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem : et sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. *Isa.* 58. 15.

Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *Ibid.* 66. 2.

(Jonas) clamavit et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum : et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem, etc. *Jonæ* 3. 4.

Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare : ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. *Matth.* 3. 11.

Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Ibid.* 5. 3.

Et respondens Centurio, ait : Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. *Ibid.* 8. 8. *V. c.* 15. 27.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. *Ibid.* 11. 29.

Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. *Ibid.* 18. 4.

Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. *Ibid.* 20. 26. *V. c.* 18. 1. *Item Marc.* 10. 43. *et. c.* 9. 33. *Luc.* 9. 48. *et c.* 22. 26. *Philipp.* 2. 7. *et* 8.

Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. *Ibid.* 21. 5.

Vos autem nolite vocari Rabbi : unus est enim Magister vester. *Ibid.* 23. 8. Qui major est vestrum, erit minister vester. *v.* 11.

In via inter se disputaverant (Apostoli), quis eorum major esset. Et residens vocavit duodecim, et ait illis : Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. *Marc.* 9. 33. *V. Luc.* 9. 46.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Luc.* 1. 48.

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo : et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum : et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere, etc. *Ibid.* 14. 8. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. *v.* 11

Pater, peccavi in cœlum, et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Ibid.* 15. 18.

Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. *Ibid.* 18. 13.

Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20. *V. c.* 12. 16. *Item* 1. *Cor.* 4. 6.

Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. 1. *Cor.* 15. 9.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam : sed in humilitate, superio-

res sibi invicem arbitrantes. *Philipp.* 2. 3. *V. Hebr.* 11. 24.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. *Coloss.* 3. 12. 13.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua. Dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. *Jacob.* 1. 9.

Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. *Ibid.* 4. 10.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. *Petr.* 5. 5. *V. Act.* 10. 26.

Et cecidi ante pedes ejus (ait Joannes de Angelo ei apparente), ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide, ne feceris : conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora, etc. *Apoc.* 19. 10. *V. c.* 4. 10.

HYPOCRISIS *et Simulatio. V. et.* **Simulatio.**

Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœnitet me, quod constituerim Saul regem : quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte. 1. *Reg.* 15. 10.

(Amnon filius David, simulavit languorem, ut posset decipere Thamar, quam libidinose amabat). 2. *Reg.* 13. 5.

Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. *Job.* 8. 13.

Et ipse (Deus) erit salvator meus : non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. *Ibid.* 13. 16.

Congregatio enim hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Ibid.* 15. 34.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit : quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent; Ubi est? etc. *Ibid.* 20. 4. *et seq.* Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus : devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo. Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum. *v.* 26. *et* 27.

Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? Numquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit super eum angustia? etc. *Ibid.* 27. 8. *et* 9. Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo, etc. *v.* 21.

Simulatores, et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effœminatos. *Ibid.* 36. 13. 14.

Generatio, quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ (scilicet insaturabiles sunt). *Prov.* 30. 12. 13.

Ne accesseris ad illum (Dominum) duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. *Eccli.* 1. 36. 37.

Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo. *Ibid.* 19. 23.

Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis, etc. *Isa.* 29. 13. Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos, et quis novit nos ? *v.* 15.

(Reprehendit Isaias Judæorum hypocrisim, ostendens eorum jejunium non esse Deo acceptabile, et quæ debeant illud comitari, quibus adhibitis, multa præstantur a Deo beneficia). *Ibid. c.* 58. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt : quasi gens, quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit : rogant me judicia justitiæ : appropinquare Deo volunt, etc. *v.* 2. *V. Ezech.* 13. 3.

Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est : in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. *Jerem.* 9. 8. *V. Psal.* 27. 3.

Non enim ætati nostræ dignum est, inquit (Eleazarus) fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, etc. 2. *Mach.* 6. 24.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6. 2. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. *v.* 16.

Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. *Ibid.* 7. 5. *V. Rom. c.* 2. *per totum Caput.*

Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens : Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me. *Ibid.* 15. 7. *V. Marc.* 7. 6. *Isa.* 29. 13. *Item. Matth.* 22. 18

(Scribis et Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus, præcepit Jesus obedire, opera autem ipsorum non imitari, retegens ipsorum hypocrisim et ambitionem : discipulos vero docens contrariam humilitatem : deinde multiplex væ ob hypocrisim, et alias iniquitates illis interminatur). *Ibid. c.* 23.

(Pars hypocritarum) fletus et stridor dentium. *Ibid.* 24. 51.

Væ vobis, quia estis ut monumenta, quæ non apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt. *Luc.* 11. 44. *V. Gal.* 2. 13.

Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *Ibid.* 12. 1.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum : raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbato : decimas do omnium, quæ possideo, etc. *Ibid.* 18. 11. 12.

Vir autem quidam, nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum, et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua — Audiens autem (Ananias verba Petri), cecidit et expiravit. *Act.* 5. 1. 2. *et* 5. *V. c.* 8. 18.

Ab omni specie mala abstinete vos. 1. *Thess.* 5. 22.

Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, etc. 1. *Tim.* 4. 1. 2.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, etc. 2. *Tim.* 3. 1. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita. *v.* 5.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. 1. *Petr.* 2. 1. 2.

HYPOCRISIS *conditio.*

Quia omnis hypocrita est nequam. *Isa.* 9. 17.

Qui dicunt : Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es : isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. *Ibid.* 65 5.

Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, etc. *Matth.* 23. 5. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ: quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi : intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. *v.* 27. *et* 28.

Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus. Deus autem novit corda vestra. *Luc.* 16. 15.

Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ : quorum finis erit secundum opera ipsorum. 2. *Cor.* 11. 14. 15.

HYPOCRISIS *punitio.*

Spes hypocritæ peribit. Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia ejus. *Job* 8. 13. 14.

Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. *Ibid.* 13. 16.

Congregatio enim hypocritæ, sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum. *Ibid.* 15. 34.

Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit : quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent : Ubi est ? Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna. *Ibid.* 20. 5. *et seq.* Filii ejus atterentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum, etc. *v.* 10.

Quæ est enim spes hypocritæ. si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? Nunquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit super eum angustia? *Ibid.* 27. 8. 9.

Vidi impios sepultos : qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum : sed et hoc vanitas est. *Eccles.* 8. 10.

Cor ingrediens duas vias, non habebit successus. *Eccli.* 3. 28.

(Væ illis, quid devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis : hi accipient prolixius judicium). *Matth.* 23. 14.

Partemque ejus (servi mali) ponet cum hypocritis : illic erit fletus, et stridor dentium. *Ibid.* 24. 51.

I

JACTANTIA. *V. et.* **Arrogantia.**

(Gaal filius Obed clamabat) : Quis est Abimelech, et quæ est Sichem, ut serviamus ei? — Utinam daret aliquis populum istum manu mea, ut auferrem, etc. *Judic.* 9. 28. 29.

Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. 1. *Reg.* 2. 3.

(Goliath Philisthæus exprobravit exercitui Israel, ut aliquis veniret cum eo ad) singulare certamen. *Ibid.* 16. 10.

(Benadad rex Syriæ misit nuntios regi Israel), et ait : Hæc faciant mihi Dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me. (Sed pulchre responsum est ei) : Ne glorietur accinctus, æque ut discintus, etc. 3. *V. totum Cap. V. et Isa c.* 10. *et* 14. *Jerem.* 38. 7.

(Grandia verba et jactantia dixit Rabsaces) : Nunquid liberaverunt Dii gentium terram suam de manu Regis Assyriorum? etc. *Reg.* 18. 33.

Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. (Nam superbiæ conjunctus est interitus, multaque perturbatio). *Tob.* 4. 14.

(Holofernes dixit Achior) : Cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc et ipse cum illis Assyriorum gladio interibis. *Judic.* 6. 3.

(Aman invitatus ad convivium Esther, vocavit amicos et uxorem suam), et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, etc. (et quod apud reginam solus cum rege prandere debebat). *Esther* 5. 11. (Sed nota, quod suspensus fuit in crastino, in eadem trabe, quam paraverat Mardocheo). *Ibid. c.* 7. 10.

Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. *Psal.* 11. 4.

Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua. *Prov.* 27. 2.

Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea? *Dan.* 3. 15. *V. et. Cap.* 4. 27.

Tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, et non adjicies exaltari amplius in monte meo. *Soph.* 3. 11.

(Audivit Seron, quod congregavit Judas Ecclesiam fidelium), et ait : Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Judam, etc. 1. *Mach.* 3. 14. (Sed ipse e contra cito fuit debellatus ab eo). *v.* 23.

(Demetrius misit ad Jonatham, dicens) : Descende ad nos in campum, et comparemus illic invicem, quia mecum est virtus bellorum : interroga, et disce, quis sum ego, etc. (Sed paullo post male successit ei). *Ibid.* 10. 71.

(Nicanor pugnaturus contra Judam, vocavit negotiatores), promittens se nonaginta mancipia (Judæorum) talento distracturum, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura. 2. *Mach.* 8. 11.

(Anthiocus superbe locutus), se venturum Jerosolymam, et congeriem sepulchri Judæorum eam facturum (a Deo graviter punitus est). *Ibid.* 9. 4.

(Nicanor) infelix interrogavit (Judæos), si est potens in cælo, qui imperavit agi diem Sabbatorum. Et respondentibus illis : Est Dominus vivus ipse in cœlo potens, qui jussit agi septimam diem. At ille ait : Et ego potens sum super terram, etc. *Ibid.* 45. 3.

(Petrus valde audacter dixit Domino) : Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. (Sed postea longe aliter accidit). *Marc.* 14. 29.

(Contra jactantes se, et arrogantes, inducit Dominus exemplum illius Pharisæi

dicentis) : Non sum sicut cæteri hominum, etc. *Luc.* 18. 11.

Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom.* 1. 22.

Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos commendant : sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis, etc. 2. *Cor.* 10. 12. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. *v.* 18.

Lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat (et etiam parva), etc. *Jacob.* 3. 5.

IDOLOLATRIA. — *Idololatriæ prohibitio stricta.*

Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. *Exod.* 20. 23. *V. Lev.* 26. 1.

Non adorabis deos eorum, nec coles eos : non facies opera eorum, etc. *Ibid.* 23. 24.

Noli adorare Deum alienum. *Ibid.* 34. 14.

Nolite converti ad idola, nec Deos constatiles facietis vobis. Ego Dominus Deus vester. *Levit.* 19. 4.

Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis : ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium, qui sub terra morantur in aquis : ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas Solem et Lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et colas. *Deut.* 4. 15. *et seq. V.* 20. 4. *et c.* 34. 17.

Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui. Nec facies tibi, neque constitues statuam : quæ odit Dominus Deus tuus. *Ibid.* 16. 21. *V. Ezech. c.* 23.

Fornicatusque est omnis Israel in eo (Ephod, quod fecerat Gedeon), et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam. *Judic.* 8. 27.

Non erit in te Deus recens : neque adorabis Deum alienum. *Psal.* 80. 10.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia. *Psal.* 95. 5.

Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Numquid sculptile conflabit faber? aut aurifex auro figurabit illud, et laminis argenteis argentarius? *Isa.* 40. 18. 19.

Neque idololatræ efficiamini. 1. *Cor.* 10. 7.

IDOLOLATRIA. — ... *conditio vana.*

Mortuus est autem Josue filius Nun — feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum. *Judic.* 2. 8. 11. *et* 12.

Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? — Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. *Ibid.* 6. 31.

Cumque jam esset senex (Salomon sapiens), depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. 3. *Reg.* 11. 4.

Et excogitato consilio (Jeroboam), fecit duos vitulos aureos, et dixit eis : Ecce Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. *Ibid.* 12. 28.

Nec suffecit ei (Achab regi Israel), ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat : (sed insuper) servivit Baal, et adoravit eum. *Ibid.* 16. 31. *V.* 4. *Reg. c.* 16. *et* 17.

(Manasses Rex Juda) erexit aras Baal — et adoravit omnem militiam cœli, et coluit eam. 4. *Reg.* 21. 3.

Simulacra gentium, argentum, et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt : aures habent, et non audient : nares habent, et non odorabunt : manus habent, et non palpabunt : pedes habent, et non ambulabunt, etc. *Psal.* 113. 4. *et seq. V. Psal.* 134. 15. *Sap.* 15. 15.

Infelices autem sunt, inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum, et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. *Sap.* 13 10. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est : et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adjutorium inutilem invocat : et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest, et de acquirendo, et de operando, et de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis. *v.* 17. *et seq.*

Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium et finis.

Aut enim dum lætantur, insaniunt : aut certe vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut pejerant cito. *Ibid.* 14. 27. 28.

Numquid est Deus absque me, et formator, quem ego non moverim? Plastæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum, non vident, neque intelligunt, ut confundantur. *Isa.* 44. 8. 9.

Cui assimilastis me, et adæquastis me, et comparastis me, et effecistis similem? Qui confertis aurum de sacculo, et argentum statera ponderatis : conducentes artificem, ut faciat Deum : et procidunt, et adorant. Portant illum in humeris gestantes, et ponentes in loco suo : et stabit, ac de loco suo non movebitur, etc. *Ibid.* 46. 5. Sed et cum clamaverint ad eum, non audiet : de tribulatione non salvabit eos. Mementote istud, et confundamini : redite, prævaricatores, ad cor. *v.* 7. *V. Baruch c.* 6. *per totum Caput.*

(Nabuchodonosor fecit statuam auream, et præcepit, ut omnis populus, tribus, et linguæ cadentes adorarent eam). *Dan.* 3. 1.

(Darius proposuit edictum, quod nullus intra triginta dies peteret aliquid a quocumque Deo vel homine, nisi ab ipso Dario rege). *Ibid.* 6. 7.

(Erat idolum in Babylone, nomine Bel, quod rex quotidie adorabat : quod cum Daniel subvertisset, Babylonii Draconem adoraverunt). *Ibid.* 14. 3. *et* 22.

(Antiochus jussit adorari idola, ædificari aras et templa, et immolari carnes suillas, et relinqui filios suos incircumcisos, etc.). 1. *Mach.* 1. 50. 51.

(Cum Paulus maneret Athenis, incandescebat spiritus ejus, cum videret simulacrorum cultui deditam civitatem). *Act.* 17. 16.

Filioli, custodite vos a simulacris. 1. *Joan.* 5. 21.

IDOLOLATRIA. — ... *punitio.*

Si genueritis filios ac nepotes, et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis : testes invoco hodie cœlum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possesuri estis. *Deut.* 4. 25. 26.

Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, amicus, quem diligis ut animan tuam, clam dicens : Eamus et serviamus Diis alienis, quos ignoras tu et patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ; non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum : sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum : et postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo. *Ibid.* 13. 6. *et seq.*

Maledictus homo, qui facit sculptile et conflatile abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito. *Ibid.* 27. 15.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia : et qui gloriantur in simulacris suis. *Psal.* 96. 7.

Gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. *Isa.* 42. 8. Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili : Vos dii nostri. *v.* 17.

Transite ad insulas Cethim — et videte si factum est hujusmodi. Si mutavit gens deos suos : et cette ipsi non sunt dii : populus vero meus mutavit gloriam suam in dolum. Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus, etc. *Jerem.* 2. 10. *et seq.*

Idololatris—pars illorum erit in stagno ardenti, etc. *Apoc.* 21. 8.

IDOLOLATRIA. — ... *occasio voluptuosa.*

Surgentesque mane obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. *Exod.* 32. 6.

Et fornicatus est populus (Israel) cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum. *Num.* 25. 1. 2.

Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum : et adinventio illorum corruptio vitæ est. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Supervacuitas enim hominum hæc adinvenit, etc. Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem : et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. *Sap.* 14. 12. *et seq.*

JEJUNIUM. *V. et.* **Abstinentia et Quadragesima.**

JEJUNIUM *ecclesiasticum.*

Bona est oratio cum jujunio, et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere. *Tob.* 12. 8.

Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joel.* 2. 12.

Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. *Matth.* 6. 16.

Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt in illis diebus. *Marc* 2. 20. *Item Luc.* 5. 35.

Quæ non discedebat de templo (loquitur de Anna prophetisssa), jejuniis, et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 57.

Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. *Act.* 13. 2. 3.

Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. *Ibid.* 14. 22.

Visum est enim Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria : ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato. *Ibid.* 15. 28. 29.

(Custodite) præcepta Apostolorum et seniorum. *v.* 41.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus — in carceribus, in laboribus, in vigiliis, in castitate — in longanimitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, etc. 2. *Cor.* 6. 4.

In labore (fuit Paulus) et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore, et nuditate, etc. *Ibid.* 11. 27.

JEJUNIUM. — *Jejunii meritum.*

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum. *Judith.* 4. 8.

(Describitur pœnitentia Judith, quæ) in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, et Neomenias, et festa domus Israel. *Ibid.* 8. 5. 6.

Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum : et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui. *Jerem.* 35. 14. Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rachab, stans in conspectu meo cunctis diebus. *v.* 19.

Et clamavit (Jonas), et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines et jumenta et boves et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant, etc. *Jonæ* 3. 7. Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus : et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. *v.* 9. *et* 10.

Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, etc. *Matth.* 6. 17.

Hoc autem genus (dæmoniorum) non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. *Ibid.* 17. 20. *V. Luc.* 2. 37.

JEJUNIUM. — *Jejunatur pro mortuis.*

(Saul cum filiis suis in pugna cæsi corpus, truncato capite, in muro Bethsan suspenditur, armaque ejus in templo Astaroth. Viri autem Jabes, ablatis Saul et filiorum ejus corporibus), sepelierunt in nemore Jabes, et jejunaverunt septem diebus. 1. *Reg. c.* 31. 13. *V.* 2. *Reg.* 1. 12. *Item* 1. *Paral.* 10. 12.

JEJUNIUM. — *Jejunii exempla.*

Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem : et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. *Exod.* 24. 18.

(Dicitur de Moyses, quod fuit) ibi cum Domino quadraginta dies, et quadragiuta noctes : panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. *Ibid.* 34. 28.

Quando ascendi in montem (ait Moyses) ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Deus : et perseveravi in monte quadraginta diebus

ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens, etc. *Deut.* 9. 9. Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis, etc. *v.* 18.

Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino : jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta atque pacificas victimas, et super statu suo interrogaverunt. *Judic.* 20. 26. 27.

Et convenerunt (Israelitæ) in Masphath : hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi : Peccavimus Domino. 1. *Reg.* 7. 6.

Juravit David, dicens : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam. 2. *Reg.* 3. 35.

Deprecatusque est David Dominum pro parvulo : et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram. *Ibid.* 12. 16.

(Ammonitis, Moabitis, ac Syriis, contra Josaphat insurgentibus, ipse prædicato jejunio una cum populo suo supplex ad Deum confugit : sicque ab eis se mutuo cædentibus liberatus, spolia collegit). 2. *Paral. c.* 20.

Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino nostro, et peteremus ab eo viam rectam nobis et filiis nostris, universæque substantiæ nostræ. 1. *Esdr.* 8. 21.

Cumque audissem verba hujuscemodi (de afflictione magna in Jerusalem eo tempore, eo quod dissiparetur populus, et murus civitatis), sedi, et flevi, et luxi diebus multis : jejunabam, et orabam ante faciem Dei cœli. 2. *Esdr.* 1. 4.

Numquid et occidere me vis, sicut jam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ : et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit neque bibit : sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. *Tob.* 3. 10. 11.

Et fecerunt filii Israel, secundum quod constituerat eis Sacerdos Domini Eliachim. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. *Judith* 4. 7. 8. *V. c.* 8. 6.

(Luctus Mardochæi ac aliquorum Judæorum ob paratum ipsis interitum. Esther autem jussu Mardochæi Judæorum neci occurrens, et non vocata ad regem ingressura, jubet cum jejunio pro se triduo orari, idem ipsa faciente). *Esth. c.* 4.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in jejunio animam meam : et oratio mea in sinu meo convertetur. *Psal.* 34. 13.

Prædicaverunt (Jeremias et Baruch) jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem, et universæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem. *Jerem.* 36. 9.

Panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum : donec complerentur trium hebdomadarum dies. *Dan.* 10. 3.

Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum : et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. *Jonæ* 3. 5.

Et cum jejunasset (Jesus) quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. *Matth.* 4. 2. *V. Marc.* 1. 12 *Luc.* 4. 1. 2.

Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter : discipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt. *Ibid.* 9. 14. *Item Marc.* 2. 18. *Luc.* 5. 33.

Et hæc vidua (scil. Anna) usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 5. 33.

Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. *Act.* 13. 3 *V. c.* 14. 22.

JEJUNIUM *indictum.*

Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa : adjuravit autem Saul populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. 1. *Reg.* 14. 24.

Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum,

et prædicavit jejunium universo Juda. 2. *Paral.* 20. 3.

Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, et peteremus ab eo viam rectam nobis et filiis nostris, universæque substantiæ nostræ. 1. *Esdr.* 8. 21.

Vade, et congrega omnes Judæos, quos in Susan repereris, et orate pro me (ait Esther). Non comedatis, et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo. *Esther* 4. 16.

Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum : et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem, et pervenit verbum ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. et clamavit et dixit in Ninive ex ore regis, et principum ejus, dicens : Homines et jumenta et boves, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum, etc. *Jonæ.* 3. 5. *et seq.*

JERUSALEM *spiritualis, Ecclesia sancta.*

Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus ejus. *Tob.* 13. 19.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. *Psal.* 121. 3.

Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit : nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur : quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster, etc. *Isa.* 33. 20. *usq. ad fin.*

Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris : et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, etc. *Ibid.* 54. 11. *et seq.*

(Ecclesiam ad exultationem hortatur, quod in ea Domini gloria reluceat, ad quam accessuræ sint plurimæ nationes, et quæ ad eam non venerint, peribunt : in qua pax, justitia, et laus Dei invenientur, ablata iniquitate ; eritque Dominus in lucem sempiternam et gloriam). *Ibid.* c. 60.

Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. *Ibid.* 62. 6.

Sed gaudebitis, et exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo : quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, et populum ejus gaudium. Et exultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo : et non audietur in eo ultra vox fletus, et vox clamoris. *Ibid.* 65. 18. *usq. ad fin.*

Exue te, Jerusalem, stola luctus, et vexationis tuæ : et indue te decore et honore ejus, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. *Baruch.* 5. 1. *V. et v.* 5.

Illa autem, quæ sursum est, Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. *Gal.* 4. 26. *V. Hebr.* 11. 10.

Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum. *Hebr.* 12. 22. 23.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius : et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. *Apoc.* 3. 12.

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, etc. *Ibid.* 21. 2. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei : et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. *v.* 10. *et* 11.

JERUSALEM. — *Contra Jerusalem et ejus incolas.*

Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego inducam mala super Jerusalem et Judæam : ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus. Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab : et delebo

Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ : et delens vertam et ducam crebrius stylum super faciem ejus. 4. *Reg.* 21. 12. 13

Dixit itaque Dominus : Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel : et projiciam civitatem hanc, quam elegi, Jerusalem, et domum, de qua dixi : Erit nomen meum ibi. *Ibid.* 23. 27.

Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem, et a Juda validum, et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ : fortem et virum bellatorem, judicem, et prophetam, et ariolum, et senem. *Isa.* 3. 1. 2.

(Sermo Domini contra Jerusalem, cujus deflet Propheta vastitatem, et quod neglecto Deo, frustra se muniat ad resistendum Assyriis : carpuntur, quod cum plangere deberent, gulæ indulgeant). *Ibid.* *c.* 22.

Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David : additus est annus ad annum : solemnitates evolutæ sunt. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihi quasi Ariel, etc. *Ibid.* 29. 1. Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum : et erit quasi pythonis de terra vox tua : et de humo eloquium tuum mussitabit, etc. *v.* 4.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. *Ibid.* 65. 2.

Hæc enim dicit Dominus viro Juda, et Jerusalem : Novate vobis novale, et nolite serere super spinas: circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem ; ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum. *Jerem.* 4. 3. Et erit in die illa, dicit Dominus : Peribit cor regis, et cor principum : et obstupescent Sacerdotes, et Prophetæ consternabuntur. *v.* 9.

(Quod frustra confidant in templo, pessima perpetrantes, et Prophetas audire nolentes, sicut et patres eorum ; quapropter denuntiat Deus templum abjiciendum, et terram Juda redigendam in solitudinem, nec profuturam orationem Jeremiæ pro eis, nec oblata ab eis sacrificia, etc). *Ibid.* *c.* 7.

Hæc dicit Dominus : Sic putrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Jerusalem multam : populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui, etc. *Ibid.* 13. 9. Hæc dicit Dominus : Ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus, et reges, qui sedent de stirpe David super thronum ejus, et Sacerdotes et Prophetas, et omnes habitatores Jerusalem, ebrietate, et disperdam eos, virum a fratre suo, et patres et filios pariter, ait Dominus. *v.* 13.

Hæc dicit Dominus ad me : Vade, et sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Juda, et egrediuntur, et in cunctis portis Jerusalem. Et dices ad eos : Audite verbum Domini, reges Juda, et omnis Juda, cunctique habitatores Jerusalem, qui ingredimini per portas istas. Hæc dicit Dominus : Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem, etc. *Ibid.* 17. 19. *et seq.*

Audite verbum Domini, reges Juda, et habitatores Jerusalem : hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis, qui audierit illam, tinniant aures ejus : eo quod dereliquerint me, et alienum fecerint locum istum : et libaverunt in eo diis alienis, quos nescierunt ipsi, et patres eorum, et reges Juda : et repleverunt locum istum sanguine innocentum, etc. *Ibid.* 19. 3. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus : et non vocabitur amplius locus iste, Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis occisionis. Et dissipabo consilium Juda et Jerusalem in loco isto : et subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, et in manu quærentium animas eorum : et dabo cadavera eorum, escam volatilibus cœli, et bestiis terræ. *v.* 6. *et* 7.

(Respondet Jeremias nuntiis Sedeciæ regis super obsidione Nabuchodonosor, Judam vastandum peste, gladio, fame, et captivitate, solosque eos victuros, qui transfugerint ad Chaldæos). *Ibid.* *c.* 21. *Item.* *c.* 25. 8.

Propterea ecce ego tollam vos portans, et derelinquam vos, et civitatem quam dedi vobis, et patribus vestris, a facie mea. Et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur. *Ibid.* 23. 39. 40.

Clauserat enim eum (Jeremiam) Sedecias rex Juda, dicens : Quare vaticinaris,

dicens : Hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo civitatem istam in manus regis Babylonis (Nabuchodonosor), et capiet eam? et Sedecias rex Juda non effugiet de manu Chaldæorum : sed tradetur in manus regis Babylonis, etc. *Ibid.* 32. 3. *Item v.* 28.

Hæc dicit Dominus Deus Israel : Vade, et loquere ad Sedeciam regem Juda, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, et succendent eam igni. Et tu non effugies de manu ejus (Nabuchodonosor) ; sed comprehensione capieris, et in manu ejus traderis. *Ibid.* 34. 2. *Item c.* 38. 3.

Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me : omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde. *Ezech.* 3. 7.

(Jubetur Propheta figurare obsidionem Jerusalem, ac dormire super latus sinistrum 390 diebus ; super dextrum vero 40, ac vilem cibum et fæde confectum sibi præparare, quibus designet calamitatem filiorum Israel, obsidionem, et afflictionem habitantium Jerosolymis). *Ibid. c.* 4.

(Per detonsos capitis et barbæ Prophetæ pilos jussu Domini, varieque consumptos, designantur Judæi, propter sua peccata fame et gladio consumendi, ita ut patres filios, et filii patres comedant ; reliqui vero in captivitatem ducendi, ubi sint opprobrium, ac stupor gentibus, quarum superarunt scelera). *Ibid. c.* 5.

(Sicut de vite præcisum lignum soli servit igni, ita Judæos ob inveterata peccata cum Jerusalem dicit exurendos). *Ibid. c.* 15. *V. c.* 16. 2. *c.* 21. 9.

(Varia narrat scelera Jerosolymis perpetrata, propter quæ dicit, se super eos effusurum indignationem suam : narratque scelera sacerdotum, principum, pseudoprophetarum, ac populi terræ, ut nullus inventus sit, qui pro avertendo furore Domini se opponeret). *Ibid. c.* 22. *V. et c.* 23.

(Arguit Jerusalem, et præcipue rectores ejus, quibus minatur celerem Dei vindictam, quod neque beneficiis, neque flagellis sint ad ipsum conversi). *Soph.* 3.

JESUS. *V.* **Christus.**

IGNORANTIA.

Usquequo — imprudentes odibunt scientiam? *Prov.* 1. 22.

Ubi non est scientia animæ, non est bonum. *Ibid.* 19. 2.

Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. *Eccles.* 10. 3.

Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. *Sap.* 7. 28.

Rex insipiens perdet populum suum : et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. *Eccli.* 10. 3.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. *Ibid.* 21. 14. Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. *v.* 17.

Verbum — Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. *Jerem.* 8. 9.

Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. 1. *Cor.* 8. 2.

IGNORANTIA *turpiter admittitur.*

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Sap.* 13. 1.

Ignorantiam enim Dei quidam habent. 1. *Cor.* 15. 34.

Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui. *Ephes.* 4. 17.

IGNORANTIA *graviter punitur.*

Et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 4. *Reg.* 17. 26.

Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. *Job* 4. 20.

Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. *Prov.* 8. 36.

Et qui evitat discere, incidet in mala. *Ibid.* 17. 16.

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. *Isa.* 5. 13.

Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum, et qui formavit eum, non parcet ei. *Ibid.* 27. 11.

Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. *Baruch* 3. 28.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi : et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. *Oseæ* 4. 6. Et populus non intelligens, vapulabit. *v.* 14.

Si quis autem ignorat, ignorabitur. 1. *Cor.* 14. 38.

ILLUMINATI *dicuntur Baptizati. Hebr.* 6. 4. *V.* **Baptismus.**

ILLUSTRATIO. *V.* **Contemplatio.**

IMAGO. — *Imagines jussit Deus fieri.*

Duos quoque Cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, alter in altero. *Exod.* 25. 18. 19.

Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem, cum percussi aspicerent, sanabantur. *Num.* 21. 8. *V. Joan.* 3. 14.

IMAGO. — *Imagines fecit Salomon.*

Et sculpsit Cherubim, et palmas, et cælaturas valde eminentes : operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. 3. *Reg.* 6. 35.

Et stabat (mare) super duodecim boves, ex quibus tres respiciebant ad Aquilonem, et tres ad Occidentem, et tres ad Meridiem, et tres ad Orientem, etc. *Ibid.* 7. 25. Et inter coronulas et plectas, leones, et boves, et Cherubim : et in juncturis similiter desuper : et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia. *v.* 29. Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, et in angulis, Cherubim, et leones, et palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. *v.* 36. *V. c.* 10. 19.

Fecit etiam (Salomon) in domo Sancti Sanctorum Cherubim duos, opere statuario : et texit eos auro. Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, etc. 2. *Paral.* 3. 10. *V. v.* 14.

Similitudo quoque boum erat subter illud (scilicet altare, quod struxerat Salomon). *Ibid.* 4. 3.

IMAGO. — *Imaginum usus et cultus.*

Oravitque Moyses pro populo (ut tollerentur serpentes ab eis), et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet — et posuit eum pro signo : quem, cum percussi aspicerent, sanabantur. *Num.* 21. 7. *et seq.*

Josue — pronus cecidit in terram coram Arca Domini — tam ipse, quam omnes senes Israel. *Josue* 7. 6. *V. et* 2. *Reg.* 6. 2.

Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, sed in testimonium inter nos et vos, et sobolem nostram, vestramque progeniem, ut serviamus Domino, etc. *Ibid.* 22. 26. Vocaveruntque filii Ruben et filii Gad altare, quod extruxerant (ante tabernaculum Domini), Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus, *v.* 34.

Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. *Psal.* 98. 5. (Per scabellum autem designari arcam, asseritur), 1. *Paral.* 28. 2.

Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem. *Sap.* 16. 6. (Sic erat serpens æneus figura Christi).

(Serpens æneus figura erat Christi futuri, ut habetur). *Joan.* 3. 14. (ubi ait) : Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, etc. *Philipp.* 2. 10. (Atqui nomen alicujus personæ est quasi imago seu repræsentatio rei nominatæ, sive personæ, quæ per hoc significatur. Ergo venerari alicujus nomen, est imaginem ejus venerari, et sic cum nomine etiam imaginem Jesu venerandam docemur).

IMITATIO. — *Imitandi sunt boni et non mali.*

Cave, ne imiteris eas. (scil. Gentes a te subversas etc.). *Deut.* 12. 30. *V. c.* 18. 9.

Imitatus (es) fornicationem domus Achab, etc. 2. *Par.* 21. 13.

Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. *Job* 15. 5.

Noli æmulari in malignantibus : neque zelaveris facientes iniquitatem. *Psal.* 36. 1. Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua. *v.* 7.

Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. *Prov.* 3. 31.

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. *Ibid.* 4. 14. *V. c.* 23. 17.

Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis. *Ibid* 24. 1.

Imitantur autem illum (Diabolum), qui sunt ex parte illius. *Sap.* 2. 25.

Phinees — in gloria est, imitando eum (scil. patrem suum Eleazarum) in timore Domini. *Eccli.* 45 28.

Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino : qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu. 1. *Cor.* 4. 16. 17.

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. *Ibid.* 11. 1. *V. Ephes.* 5. 1. *Philipp.* 3. 17. 1. *Thess.* 1. 6. *c.* 2. 14.

Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor vitæ in vitam. 2. *Cor.* 2. 15. 16.

Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos. 2. *Thess.* 3. 6. 7.

Cupimus autem, unumquemque vestrum eamdem ostentare solllicitudinem, ad expletionem spei, usque in finem : ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. *Hebr.* 6. 11. *et c.* 13. 7.

Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. 3. *Joan.* *v.* 11.

IMMISERICORDIA, *et ejus punitio.*

Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant. Oderantque filios Israel Ægyptii. *Exod.* 1. 12. 13.

Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum : quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Ægypto. *Deut.* 23. 3. *V.* 2. *Esdr.* 13. 1.

Dixitque (Gedeon) ad viros Soccoth : Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valde defecerunt : ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian. Responderunt principes Soccoth : Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas, ut demus exercitui tuo panes. *Judic.* 8. 5. Venitque (Gedeon) ad Soccoth, et dixit eis : En Zebee et Salmana, super quibus exprobrastis mihi, dicentes : Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas, ut demus viris, qui lassi sunt, et defecerunt, panes. Tulit ergo (Gedeon) seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. *v.* 15. *et seq.*

Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David ? et quis est filius Isai? Hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris, quos nescio unde sint?etc. 1. *Reg.* 25. 10. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est. *v.* 38.

Quoniam confringens nudavit pauperes : domum rapuit, et non ædificavit eam. *Job.* 20. 19.

Anima impii desiderat malum, non miserebitur proximo suo. *Prov.* 21. 10.

Redde, quod debes (dixit servus conservo suo). Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum, etc. *Matth.* 18. 28. Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus cœlestis (ait Christus) faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. *v.* 34. *et* 35.

Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, etc. *Ibid.* 25. 41.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat : sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. *Luc.* 16. 19. *et seq.*

Judicium enim sine misericordia (fiet) illi, qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia judicium. *Jacob.* 2. 13.

IMMORTALITAS *Animæ.* *V.* **Anima.**

IMPATIENTIA *et ejus punitio. V. et.* **Murmuratio.**

(Agar ancilla Saræ non ferens correptionem dominæ suæ, quæ affligebat eam propter ipsius superbiam, fugam inivit, sed ad mandatum Angeli rediit). *Gen.* 16. 6. 9.

Et dixerunt ad Moysen (filii Israel) : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine : quid hoc facere voluisti, ut educeres nos de Ægypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes : Recede a nobis, ut serviamus Ægyptiis? multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine. Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : state, et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie, etc. *Exod.* 14. 11. *et seq.*

Ascenderunt populi, et irati sunt : dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim, etc. *Ibid.* 15. 14. *V. c.* 17. 2.

Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine. Dixeruntque filii Israel ad eos: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate : cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen : Ecce, ego pluam vobis panes de cœlo, etc. *Ibid.* 16. 2. Et mane videbitis gloriam Domini (dicunt Moyses et Aaron illis murmurantibus) : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? *v.* 7.

Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, dixit : Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant. *Ibid.* 32. 1.

Interea ortum est murmur populi (Israelis), quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem, etc. *Num.* 11. 1. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde : sed et Moysi intoleranda res visa est. *v* 10.

Igitur vociferans omnis turba, flevit nocte illa, et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel, dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto : et in hac vasta solitudine utinam pereamus, etc. *Ibid.* 14. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus : sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. *v.* 26. *et seq.*

(Videns Achitophel, quod non fuisset factum juxta consilium suum, adeo impatiens fuit, ut recesserit ab Absalone, et abiens in domum suam, suspendio interierit). 2. *Reg.* 17. 23.

(Cum dixisset Tobias de hædo, ne forte furtivus sit : uxor ejus impatienter respondit). *Tob.* 2. 21.

(Sara unam de ancillis suis pro culpa increpabat : quod illa impatienter ferens, admodum injuriose respondit) : Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. *Ibid.* 3. 9.

Nuntiatumque est Holoferni — quod filii Israel præpararent se ad resistendum, etc. et furore nimio exarsit in iracundia magna. *Judith,* 5. 1. Cum cessasset loqui Achior, (indignatus est Holofernes vehementer). *v.* 26.

(Pro eo, quod Mardochæus noluit adorare Aman, adeo hic indignatus et impatiens fuit, ut procuraret mortem ejus, et omnium Judæorum : sed ipsi male successit). *Esth.* 3. 5.

Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? etc. *Job.* 3. 10. *et seq.*

(Videns Eliu, quod amici Job disputantes cum eo, non poterant eum convincere, ostendit multa signa impatientiæ in verbis suis). *Ibid.* 32. 2.

Fatuus statim indicat iram suam : qui autem dissimulat injuriam, callidus est. *Prov.* 12. 16.

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *Eccli.* 2. 16.

(Frater filii prodigi audiens festum, quod faciebat pater adolescentiori filio revertenti, indignatus nolebat introire). *Luc.* 15. 28.

IMPII. — *Impiorum dicta, facta, et cogitata contra pios.*

Dum superbit impius, incenditur pau-

per : comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, etc. *Psal.* 9. 23. Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione in generationem sine malo. Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo : sub lingua ejus labor et dolor. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem, etc. *v.* 27. *per totum Psal.*

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. *Psal.* 10. 3.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum : labia dolosa, in corde et corde locuti sunt, etc. *Psal.* 11. 3.

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum — Sepulcrum patens est guttur eorum : linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est ; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. *Psal.* 13. 1. *per totum Psal.*

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam : declina et desere eam. Non enim dormiunt, nisi malefecerint, etc. *Prov.* 4. 14. *et seq.*

Dixerunt enim (impii) cogitantes apud se non recte : Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis : quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus, etc. *Sap.* 2. 1. Venite ergo, et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus : et non prætereat nos flos temporis, etc : *v.* 6. *per totum Caput.*

IMPII. — *Impiorum prosperitas.*

Numquid meliora faciunt, qui habitant Babylonem ? Et propter hoc dominabitur Sion ? 4. *Esdr.* 3. 28. Nihil memini quomodo debeat derelinqui via hæc ? Numquid meliora facit Babylon, quam Sion ? *v.* 31. Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves ? etc. *Job.* 10. 3.

Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis ? *Ibid* 21. 7. Bos eorum concepit, et non abortivit : vacca peperit, et non est privata fœtu suo. *v.* 10.

Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam : iniquitatem in excelso locuti sunt. *Psal.* 72. 8.

Cum exorti fuerunt peccatores sicut fœnum : et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem. *Psal.* 91. 8.

Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur : bene est omnibus, qui prævaricantur, et inique agunt ? Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt, et faciunt fructum : prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. Et tu, Domine, nosti me, etc. *Jerem.* 12. 1. *et seq.*

Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris : quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se ? *Habac.* 1. 13.

IMPII. — *Impiorum prosperitas bonis admirationem parit.*

Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis ? etc. *Job* 21. 7. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. *v.* 13.

Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei : quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. *Psal.* 72. 2. *per totum Psal.*

Impius multo vixit tempore in malitia sua. *Eccles.* 7. 16.

Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur : bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt ? Plantasti eos, et radicem miserunt : proficiunt, et faciunt fructum : prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. Et tu, Domine, nosti me, etc. *Jerem.* 12. 1. *et seq.*

Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris : quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se ? etc. *Habac.* 1. 13.

Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : si quidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. *Malach.* 3. 15.

IMPII *incidunt in mala, quæ piis pararunt.*

Cumque inspexisset Philisthæus, et vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, et pulcher aspectu. Et dixit Philisthæus ad David : Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis. Dixitque ad David : Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ, etc. 1. *Reg.* 17. 42. Cum ergo surrexisset Philisthæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit : et circumducens, percussit Philisthæum in fronte : et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem snam super terram, etc. *v.* 48. *et seq.*

Dixitque Saul ad armigerum suum. Evagina gladium tuum, et percute me : ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus : fuerat enim nimio terrore perterritus : arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum (scilicet gladium). Quod cum vidisset argimer ejus (videlicet quod mortuus esset Saul), irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. Mortuus est ergo Saul, et tres filii ejus, et armiger illius ; et universi viri ejus in die illa pariter. *Ibid.* 31. 4. *et seq.*

Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo : et regis ira quievit. *Esth.* 7. 10. *V. Judith* 13. 4.

Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in foveam, quam fecit. *Psal.* 7. 16.

Exultabo in salutari tuo : infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt, etc. *Psal.* 9. 16.

Veniat illi laqueus, quem ignorat : et captio, quam abscondit, apprehendat eum : et in laqueum cadat in ipsum. *Psal.* 34. 8.

Gladium evaginaverunt peccatores : intenderunt arcum suum, ut dejiciant pauperem et inopem : ut trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum : et arcus eorum confringatur. *Psal.* 36. 14. 15.

Qui fodit foveam, incidet in eam : et qui volvit lapidem, revertetur ad eum *Prov.* 26. 27.

Qui fodit foveam, incidet in eam : et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. *Eccles.* 10. 8. *V. Judith* 13. 4. *Jerem. c.* 48. *per totum*

Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet : et plaga dolosa, dolosi dividet vulnera. Et qui foveam fodit, incidet in eam : et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo : et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. *Eccli.* 27. 28. 29.

Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis : cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. *Isa.* 33. 1.

Nam jussio regis urgebat : fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, et Abdenago, interfecit flamma ignis. *Dan.* 3. 22.

Jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem; et in lacum leonum missi sunt, ipsi, et filii, et uxores eorum : et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt. *Ibid.* 6. 24.

(Castissimam Susannam impudentissimi presbyteri, cum ejus concubitu frui non possent, falso adulterii accusant : sed cum ad mortem duceretur, orantem exaudivit Deus, et per puerum Danielem proprio ore convictos senes jure talionis populus interimit). *Ibid. c.* 13.

Reddite illi sicut et ipsa (loquitur de Babylone) reddidit vobis, et duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. *Apoc.* 18. 6.

IMPII *incidunt frequenter in malum, quod timent.*

Qui timent pruinam, irruet super eos nix, etc. *Job.* 6. 16.

Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis, id, quod timebatis, advenerit. *Prov.* 1. 26.

Quod timet impius, veniet super eum : desiderium suum justis dabitur. *Ibid.* 10 24.

Hæc omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. Unde et ego eligam illusiones eorum : et quæ timebant, adducam eis :

quia vocavi, et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt : feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui, elegerunt. *Isa.* 66. 3. 4.

IMPII. — *Impiorum subita et improvisa punitio et eversio.*

(Hominis peccata fuere diluvii causa). *Gen. c.* 6.

(Ingresso Noe cum suis in arcam, statim aqua omnium cacumina montium 150 diebus superavit, reliquaque animantia submersit). *Ibid. c.* 7.

Et divisis sociis, irruit super eos nocte (Abraham) : percussitque eos, et persecutus est eos (qui servierant Chodorlahomor) usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. *Ibid.* 14. 15.

Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo : et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia, etc. *Ibid.* 19. 24. *V. c.* 34. 25.

Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. *Exod.* 14. 24. 25.

Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. *Levit.* 10. 2.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum (Judæorum), nec defecerat hujuscemodi cibus : et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. *Num.* 11. 33.

Confestim igitur ut cessavit loqui (Moyses), dirupta est terra sub pedibus eorum (Core, Dathan et Abiron) : et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, et universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis, etc. *Ibid.* 16. 31. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. *v.* 35.

(Quinque reges oppugnantes Gabaon, immoto sole unius diei spatio, vincuntur a Josue, et ex spelunca extracti suspenduntur, pluresque aliæ civitates capiuntur). *Josue c.* 10.

(Expugnat Josue Jabin cum aliis plurimis regibus ac populis, omnia servans, quæ Dominus Moysi præceperat). *Ibid. c.* 11.

(Debbora Prophetissa ac Barac adversus Sisaram principem militiæ regis Jabin dimicant, quem profugum occidit Jahel, uxor Haber Cinæi). *Judic. c.* 4.

(Probatis ad aquas his, qui ad bellum essent progressuri, Gedeon audito unius e castris Madianitarum somnio, in eos irruit, tubis, lagenis, ac lucernis armatus, quos cum Oreb et Zeb principibus eorum devicit). *Ibid c.* 7.

(Ephraim insurgit adversus Gedeon, qui devictis Zebee, et Salmana, viros Socoth et Phanuel perdidit). *Ibid. c.* 8.

(Samson, observantibus eum custodibus, portas Gazæ urbis in montem defert : a Dalila autem, cui sæpius illuserat, cognita causa fortitudinis, detonsus, excæcatur ab hostibus, quos tandem una secum interimit). *Ibid. c.* 16.

Et percussit eos David (Amalecitas, qui incenderant Siceleg, ablata præda) a vespere usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, et fugerant. 1. *Reg.* 30. 17.

Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens : Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis : Percutite eum, et interficite : nolite timere : ego enim sum, qui præcipio vobis : roboramini, et estote viri fortes. 2. *Reg.* 13. 28.

Pro eo, quod exaltavi te de pulvere (sermo Domini ad Jehu filium Hanani), et posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Jeroboam, et peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum : ecce, ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus ejus : et faciam domum tuam, sicut domum Jeroboam filii Nabath. 3 *Reg.* 16. 2. 3.

(Dei zelo Elias 450 Pseudoprophetas occidi jubet, dato de cœlo igne ad consummationem holocausti, etc.) *Ibid. c.* 18. *et. c.* 20. 13. 19.

Recordare, obsecro te (ait Eliphaz Job), quis unquam innocens petiit? aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. *Job* 4. 7. *et seq.*

Sic viæ omnium, qui obliviscuntur

Deum, et spes hypocritæ peribit. *Ibid.* 8. 15.

Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus. *Ibid.* 15. 20.

(Job crudelitatis amicos arguens, se a Deo flagellari dicit immerito). *Job c.* 19.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit : quasi sterquilinium in fine perdetur : et qui eum viderant, dicent : Ubi est? etc. *Ibid.* 20. 4. *et seq.*

Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane. *Ibid.* 27. 14.

Si autem non audierint (correptionem Domini), transibunt per gladium, et consumentur in stultitia. *Ibid.* 36. 12.

Tunc loquetur ad eos in ira sua : et in furore suo conturbabit eos. *Psal.* 2. 5.

Quoniam tanquam fœnum velociter arescent : et quemadmodum olera herbarum, cito decident. *Psal.* 36. 2. *V. Prov.* 10. 25.

Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : venerit super vos tribulatio et angustia. *Prov.* 1. 27.

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. Huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam. *Ibid.* 6. 12. *V. c.* 10. 23. *et. c.* 12. 7.

Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit : sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium Sancti Israel blasphemarunt. *Isa.* 5. 24. *Et cap.* 47. 9. (Babylonis humiliatio prædicitur).

(Nec Moysis, nec Samuelis precibus flectendum se dicit Dominus, quin populum et Jerusalem tradet pesti, gladio, fami et captivitati, quia castigatus non est emendatus, etc.) *Jerem. c.* 15.

Et a verbis viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus, stercus, et vermis est. 1. *Mach.* 2. 62.

Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes; ita erit et adventus Filii hominis. *Matth.* 24. 38. *Item Luc.* 17. 27.

Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te : quœ autem parasti, cujus erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. *Luc.* 12. 20. *V. et v.* 46.

Elevans autem (dives epulo) oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus. *Luc.* 16. 23. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. *v.* 25.

Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, et sulphur de cœlo, et omnes perdidit. *Ibid.* 17. 29.

Cum enim dixerint pax et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. 1. *Thess.* 5. 3.

IMPII. — *Impiorum punitio bonis est ad timorem et cautelam.*

Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur : quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit vos de domo servitutis : ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus : et auferes malum de medio tui. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens : Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu et patres tui, etc. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum. Sed statim interficies (eum). Sit primum manus tua super eum, et postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur : quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis : ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile. *Deut.* 13. 5. *et seq.*

Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium : reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et au-

feres malum de medio tui : ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro pede exiges. *Ibid.* 19. 18. *usq. ad fin.*

Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coërcitus obedire contempserit : apprehendent eum et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis : et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. *Ibid.* 21. 18. *et seq.*

Pestilente flagellato stultus sapientior erit : si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. *Prov.* 19. 25.

Mulctato pestilente sapientior erit parvulus : et si sectetur sapientem, sumet scientiam. *Ibid.* 21. 11.

Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quam timor Dei; et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. *Eccli.* 23. 37. *V. Act.* 5. 11.

Peccantes coram omnibus argue : ut et cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 4. 20.

IMPII. — *Impios deridebit Deus.*

Qui habitat in cœlis, irridebit eos : et Dominus subsannabit eos. *Psal.* 2. 4.

Dominus autem irridebit eum : quoniam prospicit, quod veniet dies ejus. *Psal.* 36. 13.

Et tu, Domine, deridebis eos : ad nihilum deduces omnes gentes. *Psal.* 58. 9.

Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. *Prov.* 1. 26.

IMPII *se ipsos perdunt. In anima.*

Et si impius fuero, væ mihi est : et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. *Job* 10. 15.

Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. *Ibid.* 21. 30.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis — Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui — Quoniam declinaverunt in te mala. *Psal.* 20. 9. *et seq.*

Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, et in multitudine stultitiæ suæ decipietur. *Prov.* 5. 22. 23.

Et anni impiorum breviabuntur. *Ibid.* 10. 27.

Et in impietate sua corruet impius. *Ibid.* 11. 5.

In malitia sua expelletur impius : sperat autem justus in morte sua. *Ibid.* 14. 32.

Ne impie agas multum : et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. *Eccles.* 7. 18.

Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correctionem habebunt : qui neglexerunt justum et a Domino recesserunt. *Sap.* 3. 10.

Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt : quoniam spes impii, tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur : et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est : et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. *Ibid.* 5. 14.

Vindicta carnis impii, ignis et vermis. *Eccli.* 7. 19.

Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini : et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur : sic impii a maledicto in perditionem. *Ibid.* 41. 11. *et seq.*

Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 11.

Misereamur impio, et non discet justitiam (facere) : in terra Sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. *Ibid.* 26. 10.

Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur. *Ezech.* 18. 24.

IMPII... *In prole.*

Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio animæ. *Job* 11. 20.

Quoties lucerna impiorum extinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui? Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit. Deus servabit filiis illius

dolorem patris : et cum reddiderit, tunc sciet. *Ibid.* 21. 17. *et seq.*

Fructum eorum de terra perdes : et semen eorum a filiis hominum. *Psal.* 20. 10.

Injusti autem disperibunt simul : reliquiæ impiorum interibunt. *Psal.* 36. 38.

Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos. *Eccli.* 40. 15.

IMPII... *In fama.*

Et nomen impiorum putrescet. *Prov.* 10. 7.

Qui derelinquunt legem, laudant impium. *Ibid.* 28. 4.

Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longam vitam injusti. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominum. Videbunt, et contemnent eum : illos autem Dominus irridebit. Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum. *Sap.* 4. 16. *et seq.*

IMPII... *In substantia temporali.*

Et tabernaculum impiorum non subsistet. *Job* 8. 22.

Non sic impii, non sic : sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. *Psal.* 1. 4.

Vidi impium superexaltatum, et elevatum super cedros Libani : et transivi, et ecce non erat. *Psal.* 36. 35. 36.

Egestas a Domino in domino impii. *Prov.* 3. 33.

Quod timet impius, veniet super eum. *Ibid.* 10. 24.

Non roborabitur homo ex impietate. *Ibid.* 12. 3.

Domus impiorum delebitur. *Ibid.* 14. 11.

Fugit impius, nemine persequente. *Ibid.* 28. 1.

Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt. *Eccli.* 40. 13.

IMPOSITIO *manuum.*

IMPOSITIO *manuum varia in veteri Testamento.*

Qui (loquitur de Jacob ægrotante, et benedicente Joseph, cujus filios Manassen et Ephraim, Jacob sibi adoptat et benedicit) extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris : sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, etc. *Gen.* 48. 14.

Applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron, et filii ejus manus super caput illius, et mactabis eum in conspectu Domini, etc. *Exod.* 29. 10. 11.

Ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino, etc. *Lev.* 1. 4. 5.

Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum. *Ibid.* 2. 2.

Fecit Moyses, ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro Sacerdote, et omni frequentia populi. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus. *Num.* 27. 22. 23.

Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput ejus (Susannæ scilicet). *Dan.* 13. 34.

Et complexans eos (scilicet parvulos), et imponens manus super illos, benedicebat eos. *Marc.* 10. 16.

IMPOSITIO *manuum in Sacramento Ordinis et Confirmationis.*

Et elegerunt (Apostoli) Stephannm, virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum, Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus. *Act.* 6. 5.

Qui cum venissent (Petrus et Joannes in Samariam), oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. *Ibid.* 8. 15. *et seq.*

Segregate mihi Saulum, et Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. *Ibid.* 13. 2. 3.

His auditis, baptizati sunt (quidam discipuli Ephesii) in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. *Ibid.* 19. 5. 6.

Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14.

Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. *Ibid.* 5. 22.

Propter quam causam admoneo te (loquitur de fide Timothei, non ficta), ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. 2. *Tim.* 1. 6. 7.

IMPUDICITIA *contra naturam.*

Vocaveruntqne Lot (viri civitatis Sodomæ), et dixerunt ei : Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte ? (erant enim duo Angeli, quos Lot recepit in domum suam). Educ illos huc, ut cognoscamus eos. Egressus ad eos Lot post tergum occludens ostium, ait : Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum : educam eas ad vos, et abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei. *Gen.* 19. 5. *et seq.*

Cum masculo non commiscearis coitu fœmineo, quia abominatio est. *Lev.* 18. 22.

Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo : uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos. *Ibid.* 20. 13.

Illis epulantibus (Levita cum uxore sua, quam a parentum domo reduxerat), et post laborem itineris, cibo et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial, id est absque jugo, et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes : Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. Egressusque est ad eos senex, et ait : Nolite, fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia : habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam: educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis : tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum, etc. *Judic.* 19. 22. *et seq.*

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsos recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia : tradidit illos Deus in reprobum sensum : ut faciant ea, quæ non conveniunt, etc. *Rom.* 1. 26. *et seq.*

Nolite errare : Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. 10.

Lex justo non est posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis. fornicariis, masculorum concubitoribus, etc. 1. *Tim.* 1. 9. 10.

INCANTATIONES *et maleficia.*

Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos : et fecerunt etiam et ipsi per incantationes Ægyptiacas, et arcana quædam similiter. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed devoravit virga Aaron virgas eorum. *Exod.* 7. 11. 12.

Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, et non potuerunt : erantque sciniphes tam in hominibus, quam in jumentis. *Ibid.* 8. 18.

Maleficos non patieris vivere. *Ibid.* 22. 18.

Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos: ego Dominus Deus vester. *Lev.* 19. 31.

Anima, quæ declinaverit ad magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. *Ibid.* 20. 6. Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, divinationis fuerit spiritus, morte moriantur : lapidibus obruent eos : sanguis eorum sit super illos. *v.* 27

Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem : aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec

divinos, aut quærat a mortuis veritatem. *Deut.* 18. 15. 11.

(Philisthæi contra Saul armantur, ad quod bellum David pollicetur fidem Achis. Saul occisis magis, Pythonissam consulit, suscitari jubens Samuelem, a quo suam suorumque proximam mortem didicit). 1. *Reg. c.* 28.

Et consecraverunt (filii Israel, quorum facinora hic commemorantur) filios suos, et filias suas per ignem : et divinationibus inserviebant, et auguriis : et tradiderunt se, ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. 4. *Reg.* 17. 17.

Et traduxit (Manasses) filium suum per ignem : et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, et irritaret eum. *Ibid.* 21. 6.

Projecisti enim populum tuum, domum Jacob : quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philisthiim, et pueris alienis adhæserunt. *Isa.* 2. 6.

Ego sum Dominus — irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum : et scientiam eorum stultam faciens. *Ibid.* 44. 25.

Defecisti (Babylon) in multitudine consiliorum tuorum : stent, et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses : ut ex eis annuntiarent ventura tibi. *Ibid.* 47. 13.

Hæc dicit Dominus : Juxta vias gentium nolite discere ; et a signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt, etc. *Jerem.* 10. 2.

Præcepit autem rex (Nabuchodonosor), ut convocarentur arioli, et magi, et malefici, et Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua, etc. *Daniel.* 2. 2. *V. v.* 10. *et v.* 27. *Item cap.* 4. 4. 6. *et. c.* 5. 7.

Et perdam civitates terræ tuæ (Jerusalem), et destruam omnes munitiones tuas, et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te. *Mich.* 5. 11.

Vir autem quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum. *Act.* 8. 9. *V. c.* 13. 6. 8. *et. c.* 19. 13.

Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis, divinando. *Ibid.* 16. 16. *V. c.* 19. 16.

Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, etc. *Galat.* 5. 19.

Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda. *Apoc.* 21. 8.

INCESTUS *grave peccatum.*

Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies, etc. turpitudo enim patris tui est. *Levit.* 18. 6. *et seq.*

Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo : sanguis eorum sit super eos. *Ibid.* 20. 11. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est : vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. *v.* 14.

Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus. *Deut.* 22. 30.

Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. 1. *Cor.* 5. 1. 2.

INCONSTANTIA *populi.*

(Rediens Moyses de terra Madian in Ægyptum) narravit — omnia verba Domini, quibus miserat eum. *Exod.* 4. 28. *Sequitur.* Et credidit populus. Audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel — et proni adoraverunt. *v.* 31.

(Postea vero cum essent afflicti ab exactoribus Pharaonis, dixerunt Moysi et Aaron) : Videat Dominus, et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos. *Ibid.* 5. 21.

(Cum post multas Ægypti plagas, ditati et armati egrederentur filii Israel de Ægypto, Domino præcedente, et viam etiam eis per nubem et ignem ostendente). *Ibid.* 13. 18. *et* 21.

Viderunt Ægyptios post se (venientes) :

et timuerunt valde — et dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine? *Ibid.* 14. 10. (Deinde confortati sunt per Moysen, cum Dominus mare rubrum divisisset, et populus sicco pede transisset, et submersus esset exercitus Pharaonis). *v.* 13. *et seq.* Timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus. *v.* 31.

(Non multo post veniens in Mara), murmuravit populus (propter aquas nimis amaras). *Ibid.* 15. 24. (Quæ per lignum appositum dulces effectæ sunt). *v.* 25.

(Deinde murmuraverunt pro defectu cibi), dixeruntque filii Israel ad eos (scil. Moysen et Aaron) : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, etc. *Ibid.* 16. 3. (Et misit Dominus vespere coturnices, et manna pluit eis de cœlo mane). *v.* 13.

(Post hoc cum daturus esset eis legem, dixerunt) : Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. *Ibid.* 19. 8.

(Cum narrasset eis Moyses verba et præcepta quæ a Domino acceperat similia verba dixerunt). *Ibid.* 24. 3.

(Cum autem moram faceret Moyses in monte cum Domino in descriptione tabernaculi, congregatus est populus adversus Aaron, et ait) : Fac nobis deos, etc. *Ibid.* 32. 1.

(Deinde cum erectum esset tabernaculum, et factæ oblationes principum, post numerationem bellatorum et Levitarum, cum essent omnes ordinati, quomodo deberent proficisci in via, post modicum temporis) ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. *Num.* 11. 1.

(Paulo post audita relatione exploratorum, murmuravit populus, et flevit), dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. *Ibid.* 14. 1. *et seq.*

(Inconstans populus cum audierunt displicuisse Domino eorum murmur, voluerunt statim ascendere in montem, et pugnare contra Moysis voluntatem; sed fuerunt ab hostibus debellati). *Ibid. v.* 39. *et seq.*

(Rursus in seditione Core multi surrexerunt contra Moysen et Aaron; quibus terribiliter castigatis, tamen iterum) murmuravit — omnis multitudo filiorum Israel — contra Moysen et Aaron, dicens : Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio, et tumultus incresceret, etc. *Ibid.* 16. 41. 42.

(Cum autem per miraculum virgæ Aaron compescuissset eos Dominus, dixerunt) : Ecce consumpti sumus, omnes perivimus. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. *Ibid.* 17. 12.

(Ulterius procedentes venerunt ad aquas contradictionis, ubi taliter jurgati sunt adversus Moysen et Aaron, ut ipsi etiam diffisi sint de virtute divina; propter quod et puniti sunt a Domino). *Ibid.* 20. 5. *et* 12.

(Postea) fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua — initiatusque est Israel Beelphegor. *Ibid.* 25. 1. (Et præcepit Dominus, principes suspendi contra solem). *v.* 4.

(Cum liberasset Gedeon populum de manu Madian, dixerunt omnes ad eum) : Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui. *Judic.* 8. 22. (Ipso tamen mortuo, cum haberet septuaginta filios, nullum de ipsis assumere in principem, et dominum populus curavit). *v.* 32. *V. et. c.* 10.

(Samuel liberavit populum de manu hostium, et recuperavit urbes ablatas a Philisthæis). 1. *Reg.*. 7. 13.

(Sed postea congregati sunt majores natu Israel, et petierunt regem contra voluntatem Domini et Samuelis). *Ibid.* 8. 4. 5.

(Quamvis David ita bene populum rexisset, et tot victorias habuisset, tamen cito facta est conjuratio valida contra eum : populus vero inconstans augebatur cum Absalom). 2. *Reg.* 15. 12.

(Sic et sub Salomone filii Israel temporalium rerum abundantiam habuerunt, et honore maximo floruerunt : attamen inconstantes a filio suo majori parte, propter unicum durum verbum, cito recesserunt). 3. *Reg.* 12. 16.

(Audientes filii Israel terribilem potentiam Holofernis), præoccupaverunt omnes vertices montium, et muris circumderunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. *Judith* 4. 3. 4.

(Postmodum cum vidissent se arctari ab exercitu, congregati sunt ad Oziam omnes simul, et) dixerunt : Judicet Deus inter nos et te, quoniam fecisti in nos

mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, etc. *Ibid* 6. 13. *et seq.*

Cumque complesset Jeremias loquens omnia, quæ præceperat ei Dominus, ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes et prophetæ et omnis populus, dicens : Morte moriatur. *Jerem.* 26. 8. (Et post pauca) dixerunt principes, et omnis populus ad sacerdotes, et ad prophetas : Non est viro huic judicium mortis. *v.* 16.

(Accesserunt omnes a parvo usque ad maximum ad Jeremiam Prophetam, et dixerunt) : Omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus, sive bonum est, sive malum. *Ibid.* 42. 5. 6.

(Cumque post decem dies declarasset eis Jeremias Domini voluntatem, dixerunt ei) : Mendacium tu loqueris : non misit te Dominus — sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos — Et non audivit — universus populus vocem Domini, etc. *Ibid.* 43. 2. *et seq.*

(Cito credidit duobus presbyteris impiis multitndo), et condemnaverunt eam (Susannam) ad mortem. *Dan.* 13. 41. (Et paulo post) reversus est — populus cum festinatione — et consurrexerunt adversus duos presbyteros — feceruntque eis, sicut male egerant adversus proximum. *v.* 50. *et* 61.

(Cum quadam die esset Dominus in civitate Nazareth, et dicerent ei Judæi, ut faceret ibi miracula, sicut in Capharnaum fecerat). *Luc.* 4. 23. (post modicam increpationem, quam fecit eis, repleti sunt ira, et ejecerunt eum extra civitatem, et voluerunt eum præcipitare de supercilio montis). *v.* 29.

(Quando saturavit Dominus quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus, voluerunt turbæ eum rapere, et facere regem). *Joan.* 6. 15. (Deinde vero cœperunt inter se disputare, et quærere ab eo) : Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi ? *v.* 30.

(Videntes Judæi Lazarum suscitatum, et multa alia facta miracula per Dominum Jesum, venerunt ei obviam cum magno honore : attamen vespere circumspectis omnibus, Jesus non invenit, qui eum ad hospitium invitaret). *Ibid.* 11. 45. *et Marc.* 11. 11.

(Sex dies ante Pascha Jesum recepit populus cum magno tripudio et honore, et per hebdomadam omnis populus erat suspensus ad verba ejus, et mane veniebat ad eum in templo audire eum : feria vero sexta, in die Parasceves, clamaverunt omnes) : Crucifige, crucifige eum. *Ibid.* 19. 6. *V. Luc.* 19. 48. *et. c.* 21. 38.

(Cum Paulus et Barnabas essent Lystris, et quidam claudus per Paulum fuisset curatus, turbæ ipsos esse deos clamabant, etc.) *Act.* 14. 9. 10. Supervenerunt autem quidam Judæi : et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. *v.* 18.

INCONTINENTIA. *V.* **Luxuria.**

INCREDULITAS. *V.* **Fides.**

INCREPATIO. *V.* **Deficientium increpatio.** *Item* **Correctio fraterna.**

INDULGENTIA.

Ne dicas : Reddam malum (pro malo) : expecta Dominum, et liberabit te. *Prov.* 20. 22. *V. Rom.* 12. 17. 1. *Thess.* 5. 15. 1. *Petr.* 3. 9.

Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Eccli.* 28. 2.

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum. *Matth.* 5. 23. *V. Marc.* 11. 25.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis Pater vester cælestis vestra. Si autem non dimiseritis hominibus : nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Ibid.* 6. 14. 15. *V. Marc.* 11. 26.

Sicut et Deus in Christo, donavit vobis (ita et vos facite). *Ephes.* 4. 32.

(Cum patientia) supportantes invicem (in caritate), et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. *Coloss.* 3. 13.

Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1. *Petr.* 3. 9.

INDULGENTIA.

Et tibi dabo claves regni cœlorum —

et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. *Matth.* 16. 19.

Cui autem aliquid donastis, et ego : nam et quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. 2. *Cor.* 2. 10.

INDULGENTIA *ex meritis etiam Sanctorum.*

Qui nunc gaudeo (loquitur de se Apostolus) in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Coloss.* 1. 24.

INDUMENTA.

Fallax gratia, et vana est pulchritudo. *Prov.* 31. 30.

Corpus (vestrum) plus (est), quam vestimentum. *Matth.* 6. 25.

Qui habet duas tunicas, det non habenti : et qui habet escas, similiter faciat. *Luc.* 3. 11. *V. Jac.* 2. 15. 1. *Joan.* 3. 17.

Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. 1. *Tim.* 6. 8.

INDURATIO *oritur ex gratiæ subtractione justa.*

Vide, ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone : ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum (meum). *Exod.* 4. 21. *V. Joan.* 12. 40.

Ego enim induravi cor ejus, et servorum illus. *Ibid.* 10. 1.

Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos : et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus. *Ibid.* 14. 4. *V. Isa.* 6. 10. *Matth.* 13. 14.

Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum. *Josue* 11. 20.

Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam : et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult, miseretur : et quem vult, indurat. *Rom.* 9. 16. 17. *Exod. V.* 9. 16. *Marc.* 4. 13. *Luc.* 8. 10.

Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui his, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem (mihi). *Ibid.* 10. 19. *usq. ad fin. V. Deut.* 32. 21. *Isa.* 65. 1. *Joan.* 12. 40. *Act.* 28. 26. *Rom.* 11. 8.

INDURATIO... *ex gratiæ expulsione iniqua.*

Et testificatus est Dominus in Israel et in Juda, per manum omnium Prophetarum, et Videntium, dicens : Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea — Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. 4. *Reg.* 17. 13. 14.

Audite me, duro corde, qui longe estis a justitia. Prope feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur. *Isa.* 46. 12. 13.

Scivi enim, quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. *Ibid.* 48. 4.

Quare ergo dixit populus meus : Recessimus, non veniemus ultra ad te? *Jerem.* 2. 31.

Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es — Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti. (Et pro verbis pœnitentiæ, verba superbiæ blasphemasti). *Ibid.* 3. 3. *et seq.*

Percussisti eos et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. Ego autem dixi : Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, et judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis: Ipsi enim cognoverunt viam Domini, et judicium Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Ibid.* 5. 3. *et seq.*

Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, etc. *Hebr.* 3. 7. *V. Psal.* 94. 8.

INDURATIO *dire punitur.*

Væ qui contradicit fictori suo. *Isa.* 45. 9.

Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes ejus universa mala, quæ locutus sum adversus eam, quoniam induraverunt cervicem suam, et non audierunt sermones meos. *Jerem.* 19. 15.

INFERNUS *et damnatio parata diabolo et angelis ejus. V.* **Damnatio.**

INFERNUS. — *Inferni pœna varia et horribilis.*

(Terribile incendium Sodomæ et Gomorrhæ est viva imago ignis infernalis, quo Deus peccatores punit). *Gen.* 19. 24.

(Esau, cum primogenita vendidisset), abiit parvipendens. *Gen.* 25. 34.

(Postea vero videns se exclusum a benedictione primogeniti), irrugiit clamore magno, et consternatus est. *Ibid.* 27. 34. (Sic peccatores nunc parvipendunt, quod Deum, animam, et jus ad æternam beatitudinem pro brevi voluptate vendant : sed cum se exclusos a beatitudine, et ad infernum condemnatos videbunt, irrugient similiter clamore magno).

(Tenebræ Ægypti tam densæ, ut palpari potuerint, inter quas nemo Ægyptiorum alterum vidit, nec movit se de loco, in quo erat, imago sunt tenebrarum infernalium). *Exod.* 10. 21. 23.

Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. *Deut.* 32. 22.

Dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum. *Judith.* 16. 21.

Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius. *Job.* 24. 19.

Pluet super peccatores laqueos : ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. *Psal.* 10. 7.

Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui : Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. *Psal.* 20. 10.

Sicut oves in inferno positi sunt : mors depascet eos. Et dominabuntur eorum justi in matutino : et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum. *Psal.* 48, 15.

Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet : desiderium peccatorum peribit. *Psal.* 111. 10.

Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. Sap. 11. 17.

(Iniqui) vinculis tenebrarum, et longæ noctis compediti sunt. *Ibid.* 17. 2.

Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. *Eccli.* 21. 10.

Præparata est enim ab heri Tophet, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam. *Isa.* 30. 33.

Concipietis ardorem, parietis stipulam; spiritus vester ut ignis vorabit vos, etc. *Ibid.* 33. 11. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas ; quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ? *v.* 14.

Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur : et erit terra ejus in picem ardentem. *Ibid.* 34. 9, *et seq.*

Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus : et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula ; et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. *Malach.* 4. 1.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. *Matth.* 8. 12.

Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis : discedite a me, omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus, et stridor dentium : cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. *Luc.* 13. 27. *V. Apoc.* 14. 10. 11.

Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus. *Ibid.* 16. 23.

Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit : tantum date illi tormentum et luctum ; quia in corde suo dicit : Sedeo regina : et vidua non sum : et luctum non videbo. *Apoc.* 18. 7.

Et infernus, et mors missi sunt in stagnum ignis. *Ibid.* 20. 14.

(Incendium Sodomæ et Gomorrhæ posuit Deus) exemplum eorum, qui impie acturi sunt. 2. *Petr.* 2. 6.

INFERNUS. — ... *interminabilis.*

Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur ; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. *Isa.* 66. 24.

Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. *Matth.* 25. 41. Et ibunt hi in supplicium æternum ; justi autem in vitam æternam. *v.* 46. *V. c.* 3. 12.

Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis ; ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. *Marc.* 9. 46. 47.

Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus ; cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt — in die illo. 2. *Thess.* 1. 9. 10.

Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit caracterem (ejus) in fronte sua, aut in manu sua ; et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero, etc. *Apoc.* 14. 9. 10. Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. etc. *v.* 11.

INFERNUS *est sub terra, et probabiliter ad centrum terræ.*

Dirupta est terra sub pedibus eorum, etc. descenderuntque vivi in infernum. *Num.* 16. 31. *et seq.*

In profundis inferni convivæ ejus. *Prov.* 9. 18.

Pete tibi signum — in profundum inferni. *Isa.* 7. 11.

INFIDELITAS. *V.* **Fides.**

INFIRMITAS *corporalis. V.* **Ægritudo.**

INGRATITUDO *et ejus punitio.*

(Jacob ingratitudinem videns et audiens Labani et filiorum ejus, discessit). *Gen. c.* 31.

Succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est (Joseph) interpretis sui. *Ibid.* 40, 23. *V. Eccli.* 29. 22.

Surrexit interea rex novus super Ægyptum ; qui ignorabat (ingratus beneficia) Joseph. *Exod.* 1. 8.

(Filiis Israel in deserto vertebatur in tædium cibus optimus, sine labore de cœlo datus, et flebant, dicentes) : Quis dabit nobis ad vescendum carnes? *Num.* 11. 4.

Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Ægypto, et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi. *Deut.* 23. 3. 4.

(Angelus Dei beneficia refert : quo audito, flet populus Israel). *Judic. c.* 2. *V. Cap.* 6. *et* 8.

Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum : nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum, etc. *Ibid.* 8. 33. 34.

Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum, qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis, et tribulationibus vestris. 1. *Reg.* 10. 18. 19.

Quomodo Jacob ingressus est in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum : et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto ; et collocavit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos. *Ibid.* 12. 8. 9.

(Multa beneficia recepit Saul a David, et tamen ad occidendum eum, modis, quibus potuit, laboravit). 1. *Reg. c.* 15. *V. sequentia capita.*

(Salvavit David habitatores terræ Ceilæ, et tamen voluerunt eum tradere in manus Saul). *Ibid.* 23. 12.

(Reddiderunt filii Ammon pro beneficio et honore contumeliam, quando vituperaverunt nuntios David, quos miserat ad consolandum eorum regem). 2. *Reg.* 10. 4.

Misit itaque (Absalom) ad Joab, ut mitteret eum ad regem : qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, et ille noluisset venire ad eum, dixit servis suis : Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei ; ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni. Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis, dixerunt : Succenderunt servi Absalom partem agri igni. Surrexitque Joab, et venit ad Absalom in domum ejus, et dixit : Quare succenderunt servi tui segetem meam igni ? etc. 2. *Reg.* 14. 29. *et seq.*

(Joas a servis suis occiditur in lectulo, eo quod interfecerit Zachariam filium Jojadæ sacerdotem). 2. *Paral.* 24. 21. 25.

(Amasias, divino fretus auxilio, vicerat Idumæos : et tamen auferens deos eorum, adoravit illos. Igitur missus ad eum Pro-

pheta, dixit) : Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua? *Ibid.* 25. 14. 15.

Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. *Prov.* 17. 13.

Ingrati enim spes tamquam hybernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua. *Sap.* 16. 29.

Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. *Isa.* 1. 2. *et seq.*

Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? *Isa.* 5. 4.

Hæc dicit Dominus : Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt (se) a me, et ambulaverunt post vanitatem : et vani facti sunt? Et non dixerunt : Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti : qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis et imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo? etc. *Jerem.* 2. 5. 6.

(Jerusalem prius abjectissima, mirum in modum a Deo exaltata, ostendit ingratitudinem varia idololatria, in qua et Samariam et Sodomam superavit; idcirco tradet eam Dominus in vastationem, et in ignominiam omnibus gentibus). *Ezech.* c. 16.

(Oseas abominationes Israel ostendit, propter quas ipsi minatur exitium. Dominus dicit, se solum esse Deum et liberatorem, arguens Israel ingratitudinis de beneficiis in deserto acceptis, gravemque ob id vindictam illis comminatur). *Oseæ.* c. 13.

(Disceptat Dominus cum ingratis, recenset collata eis beneficia, indicans etiam quid sit bonum, et quid Dominus a populo suo requirat : sed propter injustitiam, aliaque scelera filiorum Israel, comminatur eis Dominus varias afflictiones). *Micheæ.* c. 6.

(Misit Jonathas fortes armatos, qui liberaverunt regem Demetrium de manibus Antiochenorum. Et postea alienavit se Demetrius a Jonatha), et non retribuit ei secundum beneficia, quæ sibi retribuerat, et vexabat eum valde. 1. *Mach.* 11. 53. *V. et cap.* 16. 16.

Tunc cœpit (Jesus) exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. *Matth.* 11. 20. *V. Joan.* 11. 46. 47.

(De decem viris leprosis a Salvatore sanatis et mundatis, tantum regressus est unus, magnificans Deum, et gratias agens). *Luc.* 17. 18.

(Ingrati fuerunt Paulo domini vel parentes puellæ pythonissæ, a qua spiritum malum ejecit Paulus. Magis enim doluerunt de quæstu amisso, quam gavisi sint de dæmone expulso). *Act.* 16. 18. *et* 19.

Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. *Rom.* 1. 21.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, etc. 2. *Tim.* 3. 1. *et seq.*

INHOSPITALITAS *V.* **Hospitalitas.**

INIMICITIA *et Odium. V. et.* **Invidia.**

(Post peccatum primorum parentum, statim posuit Deus inimicitias inter serpentem et mulierem, et inter utriusque semen). *Gen.* 3. 15.

(Rixati sunt pastores de Geraris adversus pastores Isaac pro puteo, quem foderunt. Idcirco appellavit Isaac puteum, Inimicitias). *Ibid.* 26. 21.

Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater : dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. *Ibid.* 27. 41.

Videntes autem fratres ejus (Joseph), quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. *Ibid.* 37. 4.

(Videns Saul, quod populus alte de David sentiret, etc. factus est inimicus ejus cunctis diebus). 1. *Reg.* c. 18.

(Postquam Amnon oppresserat Thamar sororem suam), exosam eam habuit — odio magno nimis : ita ut majus esset

odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat. 2. *Reg.* 13. 15.

(Conquerens de Aman superbissimo Esther, dixit Assuero) : Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. *Esther.* 7. 6.

INIMICUS *non passim contemnendus est.*

Et dixit Philisthæus ad David : Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? 1. *Reg.* 17. 43.

(Syri Samariam obsidentes cæduntur a pueris principum provinciarum, rursumque anno altero in campestribus cæduntur. Rex autem Achab a Propheta reprehenditur, quod fœdus cum Benadad rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiserit). 3. *Reg. c.* 20. *V. c.* 21. 20.

INIMICUS. — *Inimico reconciliato non temere credendum est.*

Cum autem complesset David loquens sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul, etc. 1. *Reg.* 24. 17.

Peccavi, revertere, fili mi David : nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie : apparet enim, quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis. *Ibid.* 26. 21. *V.* 2. *Reg.* 3. 27. *Item* 1. *Mach.* 12. 24.

INIMICUS. — *Inimicorum dilectio. V.* **Dilectio inimicorum.**

INIQUITAS *abundabit. V. et* **Impii et Mali.**

De signis autem : Ecce dies venient, in quibus apprehendentur qui inhabitant terram in censu multo : et abscondetur veritatis via, et sterilis erit a fide regio : et multiplicabitur injustitia super hanc, quam ipse tu vides, et super quam audisti olim. 4. *Esdr.* 5. 1. 2.

Quantum enim invalidum fiet sæculum a senectute, tantum multiplicabuntur super inhabitantes mala. *Ibid.* 14. 16.

Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. *Matth.* 24. 12.

Scimus, quoniam ex Deo sumus : et mundus totus in maligno positus est. 1. *Joan.* 5. 19.

INJUSTITIA.

(Dominus) aversatur omnem injustitiam. *Deut.* 25. 16.

Si — non manserit in tabernaculo tuo injustitia : tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis. *Job.* 11. 14. 15.

Neque permanebunt injusti ante oculos tuos. *Psal.* 5. 6.

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso. *Psal.* 35. 2.

Injusti autem disperibunt simul : reliquiæ impiorum interibunt. *Psal.* 36. 38.

Usquequo — loquentur omnes, qui operantur injustitiam? *Psal.* 93. 4.

Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi. *Psal.* 100. 3.

Propter injustitias enim suas humiliati sunt. *Psal.* 106. 17.

Non dominetur mei omnis injustitia. *Psal.* 118. 133.

Virum injustum mala capient in interitu (suo). *Psal.* 139. 14.

Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus. *Prov.* 3. 31.

(Eis, qui in vita sua injuste egerunt, dat Deus summa tormenta). *Sap.* 12. 23.

Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos : et lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. *Ibid.* 16. 24.

Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, etc. *Eccli.* 7. 3.

Non placeat tibi injuria injustorum. *Ibid.* 9. 17.

Regnum a gente in gentem tranfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. *Ibid.* 10. 8.

Dives injuste egit, et fremet. *Ibid.* 13. 4.

Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua. *Ibid.* 17. 23.

Non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. *Ibid.* 34. 21.

Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate : et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia. *Ibid.* 35. 5.

Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, etc. *Ibid.* 40. 13.

Erubescite — a socio, et amico de injustitia. *Ibid.* 41. 23.

Væ qui condunt leges iniquas : et scribentes, injustitiam scripserunt, etc. *Isa.* 10. 1.

Væ qui ædificat domum suam in injustitia. *Jer.* 22. 13.

Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis : in injustitia, quam operatus est, morietur. *Ezech.* 18. 26.

Revelatur enim ira Dei — super omnem — injustitiam, etc. *Rom.* 1. 18.

In corruptione sua, peribunt, percipientes mercedem injustitiæ. 2. *Petr.* 2. 12. 13.

INNOCENTIA *sua cuique tuenda, et malæ suspiciones amovendæ.*

Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus Dominus, ipse novit, et Israel simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti : et si ea mente fecimus, ut holocausta, et sacrificium, et pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat et judicet, etc. *Josue* 22. 22. *V. Reg.* 1. 14. 15.

Et cum vidisset (Achab) eum (scilicet Eliam), ait : Tune es ille, qui conturbas Israel? Et ille ait : Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. 3. *Reg.* 18. 17.

Erat — custos portæ per vices, nomine Jerias, filius Selemiæ, filii Hananiæ, et apprehendit Jeremiam Prophetam, dicens : Ad Chaldeos profugis. Et respondit Jeremias : Falsum est, non fugio ad Chaldæos, etc. *Jerem.* 37. 12. 13.

Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis : Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia: *Act.* 2. 14. 15.

Post tertium autem diem convocavit (Paulus) primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis : Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum, etc. *Ibid.* 28. 17. *et seq.*

INOBEDIENTIA *V. et* **Obedientia.**

INOBEDIENTIA *ejusque punitio.*

Mulieri quoque dixit (Deus) : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Gen.* 3. 16. 17.

Respiciensque uxor ejus (Lot) post se, versa est in statuam salis. *Ibid.* 19. 26.

Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum : quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. *Levit.* 10. 1. 2.

Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum : ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras, etc. *Ibid.* 26. 14. *et seq.*

Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israel audivi. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. *Num.* 14. 27. Quibus Moyses : Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? etc. *v.* 41.

(Core, Dathan, et Abiron seditionem movent, hosque vivos terra absorbet; 250 vero offerentes incensum devorat ignis; sed et alios 14700 murmurantes consumit incendium). *Ibid. c.* 16.

Pergat, inquit, Aaron ad populos suos; non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis. *Ibid.* 20. 24.

Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri. *Deut.* 8. 20.

Cavete, ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos : iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis. *Ibid.* 11. 16. 17. Propono in conspectu vestro hodie — benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis : maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis. *v.* 27. *et* 28.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judi-

cis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel. *Ibid.* 17. 12.

Qui autem verba ejus (Prophetæ), quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. *Ibid.* 18. 19.

Maledictus qui non honorat patrem suum, et matrem : et dicet omnis populus : Amen, etc. *Ibid.* 27. 16.

Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, etc. *Ibid.* 28. 15.

Si autem non audieritis vocem Domini, super vos, et super patres vestros. (Alloquitur Israelitas Samuel). 1. *Reg.* 12. 15. *V.* 2. *Reg.* 6. 6.

Dixitque Saul ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. *Ibid.* 15. 24. *V. c.* 28. 16. *Item* 3. *Reg.* 11. 9.

(Propheta dixit ad alium Prophetam inobedientem) : Hæc dicit Dominns : Quia non obediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus — non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum. 3. *Reg.* 13. 21. 22. Quod cum audisset Propheta ille qui reduxerat eum de via, ait : Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini, quod locutus est ei. *v.* 26.

Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea, quæ proposui vobis : et abeuntes servieritis diis alienis et adoraveritis eos : evellam vos de terra mea, quam dedi vobis, et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis, etc 2. *Paral.* 7. 19. *et seq.*

Sed cum (Ozias) roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum : ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. *Ibid.* 26. 16. Iratusque Ozias, et tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. *v.* 19.

Numquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro? 2. *Esdr.* 13. 27. *V. Esther* 16. 24.

Et terra, infecta est ab habitatoribus suis : quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram. *Isa.* 24. 5. 6.

Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, etc. *Jerem.* 11. 3. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam : sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali : et induxi super eos omnia verba pacti hujus, quod præcepi, ut facerent, et non fecerunt. *v.* 8.

Et factum est verbum Domini ad me (Jeremiam), dicens : Hæc dicit Dominus : Sic putrescere faciam superbiam Juda et superbiam Jerusalem multam : populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui : abieruntque post deos alienos, ut servirent eis, et adorarent eos, etc. *Ibid.* 13. 8. *et seq.*

Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem Sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die Sabbati : succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur. *Ibid.* 17. 27. *V. c.* 26. 4.

(Exemplo obedientiæ Rechabitarum, præcepta patris sui licet dura servantium, expostulat Dominus de pertinaci Judæorum inobedientia adversus ipsius præcepta : quapropter his prænuntiat Dominus mala, illis autem bona). *Ibid. c.* 35. *V. Jonæ* 1. 3.

Iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. *Rom.* 2. 8. *V. Act.* 7. 39.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem justi constituentur multi, etc. *Ibid.* 5. 19. *V. et* 2. *Cor.* 10. 6. *Tit.* 1. 10.

In flamma ignis dantis vindictam iis,

qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. 2. *Thess.* 1. 8.

INSTABILITAS.

Vagus et profugus eris super terram. (Maledictio Cain). *Gen.* 4. 12.

Ad imperium Domini proficiscebantur (filii Israel), et ad imperium illius figebant tabernaculum. *Num.* 9. 18.

Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles. *Job* 4. 18. *V. c.* 15. 15.

Non dabit in æternum (Dominus) fluctuationem justo. *Psal.* 54. 23.

Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum. *Prov.* 27. 8.

Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. *Eccles.* 10. 4.

Non ventiles te in omnem ventum et non eas in omnem viam. *Eccli.* 5. 11.

Confide autem in Deo, et mane in loco tuo. *Ibid.* 11. 22.

Stultus sicut luna mutatur. *Ibid.* 27. 12.

Qui implanatus est, abundabit nequitia. *Ibid.* 34. 11.

Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. *Isa.* 57. 20.

Dilexit (populus) movere pedes suos, et non quievit et Domino non placuit. *Jerem.* 14. 10.

Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. *Thren.* 1. 8.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? *Matth.* 11. 7.

Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. *Luc.* 9. 4.

Nolite transire de domo in domum. *Ibid.* 10. 7.

Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles : abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. 1. *Cor.* 15. 58.

Numquid levitate usus sum? 2. *Cor.* 1. 17. Non est in illo Est et Non — sed Est in illo fuit. *v.* 18.

Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ. *Ephes.* 4. 14.

Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis. 1. *Thess.* 4. 10. 11.

Ut non cito moveamini a vestro sensu. 2. *Thess.* 2. 2.

Scitis, quemadmodum oporteat imitari nos : quoniam non inquieti fuimus inter vos. *Ibid.* 3. 7.

Otiosæ (viduæ) discunt circuire domos : non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. 1. *Tim.* 5. 13.

Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. *Jacob.* 1. 8.

INTENTIO.

(Occidit Cain Abel, David Goliath, Joab Abner et Amasam, Herodes Joannem Baptistam, Petrus solo verbo Ananiam et Saphiram. Sed considera varias intentiones et causas). *Gen.* 4. 8., 1. *Reg.* 17. 49., 2. *Reg.* 3. 27. *c.* 20. 10. *Matth.* 14. 10. *Act.* 5. 5. 10.

(Abraham risit in promissione filii nascituri : Sara quoque risit : sed risus Abrahæ fuit commendatus, Saræ vero reprehensus). *Gen.* 17. 17. *et c.* 18. 12.

(Dixit Pharao) : Peccavi. *Exod.* 9. 27. (Dixit Saul) : Peccavi. 1. *Reg.* 15. 24. (Dixit David) : Peccavi. 2. *Reg.* 12. 13. (Dixit Manasses) : Peccavi. 2. *Paral.* 33. 12. (Dixit Judas etiam) : Peccavi. *Matth.* 27. 4. (Sed affectiones et intentiones cordium valde diversæ erant).

(Similia verba dixit Moyses in Raphidim, quando petiit populus aquam ad bibendum). *Exod.* 17. 4. (Et ad aquas contradictionis). *Num.* 20. 6.) Sed prima vice non hæsitavit in corde : altera vero vice hæsitavit, ut apparet ex pœna).

(Ornavit se Judith valde curiose, et omnis illa compositio non ex libidine, sed ex virtute proveniebat, scilicet ad liberandum populum Dei de manibus inimici). *Judith.* 10. 2. *et seq.*

(Quod Mardochæus Aman nolebat adorare, vel coram eo genua flectere, non faciebat ex inobedientia vel contemptu, sed quia divinum honorem nolebat homini mortali deferre, sicut ipse testatur). *Esther.* 3. 2.

INTENTIO. — *Intentionem Deus magis respicit, quam opus.*

Cain (obtulit) de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui. (Sed varia intentione, ut exitus probavit). *Gen.* 4. 3. *et* 4.

(Talia thuribula habuerunt Core et asseclæ, sicut Aaron, et forte de æque bono vel meliori metallo. Verum Deus non æqualiter acceptavit incensationem eorum). *Num. c.* 16.

(Elevantes oculos Bethsamitæ, viderunt arcam Domini, et gavisi sunt, et obtulerunt Domino holocaustum. Quamvis autem bonum opus facere viderentur, percussit eos Deus gravi plaga, et quod viderunt arcam, quam videre non debebant). 1. *Reg.* 6. 15. *et* 19.

(Reprobat Dominus per Isaiam oblationes, quas offeri instituit, et hoc propter offerentium pravitates. Unde dicit) : Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? — manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. *Isa.* 1. 11. *et* 15.

(Prætulit Dominus oblationem viduæ, quæ posuit duo æra minuta in gazophylacium, muneribus divitum). *Luc.* 21. 2.

(Herodes cupiebat videre Jesum, et viso eo), gavisus est valde; (sed nullum inde assecutus est fructum, quia curiositas vel vanitas erat in causa, non pietas vel caritas). *Ibid.* 23. 8.

INVIDIA *et Odium. V. et* **Inimicitia.**

(Invidia motus Cain), concidit vultus ejus, (et fratrem suum Abel occidit, quando vidit munera ejus acceptari a Deo, et non sua). *Gen.* 4. 5.

(Benedixit Isaac Dominus, et locupletatus est valde). Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos — obstruxerunt. (Per hoc patet, quod prosperitas hominis causat invidiam malis) (occasionaliter). *Ibid.* 26. 14.

Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater : dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. *Ibid.* 27. 41.

Cernens autem Rachel, quod infœcunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar. *Ibid.* 30. 1. *V. Exod.* 1. 9. *et seq.*

(Fratres Joseph) invidebant ei (animo pessimo et crudeli, videntes, quod a patre plus cunctis fratribus amaretur, et audientes somnia, quæ narrabat. Et nota in sequentibus, ad quantum facinus ex illa invidia devenerint). *Ibid. c.* 37. 11. (Et ecce quomodo invidia ne propinquis quidem parcit). *V. et. c.* 49. 23.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Levit.* 19. 17.

(Cum duo viri) prophetarent in castris, (Josue quasi invidens dixit) : Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille : Quid, inquit, æmularis pro me? *Num.* 11. 27. *et seq.*

Si per odium quis hominem impulerit, vel jacerit quippiam in eum per insidias : aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit : percussor, homicidii reus erit : cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit. *Ibid.* 35. 20.

Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, etc. (tradent illum seniores civitatis illius) in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. *Deut.* 19. 11. 12.

Homo delicatus in te, et luxuriosus valde, invidebit fratri suo, et uxori, quæ cubat in sinu suo. *Ibid.* 28. 54. Tenera mulier et delicata — invidebit viro suo, etc. *v.* 56.

(Percusso a David Philisthæo, cantabant mulieres) : Percussit Saul mille, et David decem millia. (Invidens Saul) iratus est autem — nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste. 1. *Reg.* 18. 7. 8.

Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. *Job* 5. 2.

Odium suscitat rixas : et universa delicta operit caritas. *Prov.* 10. 12. Abscondunt odium labia mendacia : qui profert contumeliam, insipiens est. *v.* 18.

Vita carnium, sanitas cordis : putredo ossium, invidia. *Ibid.* 14. 30.

Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus. *Ibid.* 23. 6.

Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat, quoad egestas superveniet ei. *Ibid.* 28. 22.

Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi : et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est. *Eccles.* 4. 4.

Amor quoque et odium, et invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, etc. *Ibid.* 9. 6.

Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. *Sap.* 2. 24.

Neque cum invidia tabescente iter habebo : quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. *Ibid.* 6. 25.

Noli fieri pro amico inimicus proximo : improperium enim et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis. *Eccli.* 6. 1.

Qui sibi invidet, nihil est illo nequius; et hæc redditio est malitiæ illius. *Ibid.* 14. 6.

Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, et est tibi nihil in sacculo : eris enim invidus vitæ tuæ. *Ibid.* 18. 33.

Ne extendas manum tuam prior, et invidia contaminatus erubescas. *Ibid.* 31. 16.

Daniel superabat omnes principes, et satrapas. (Unde illi omnes quærebant occasionem, ut eriperent Danielem ex latere regis). *Dan.* 6. 3. 4.

Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia, quæ (Dominus) faciebat, et pueros clamantes : Hosanna filio David, indignati sunt. *Matth.* 21. 15. *V. et. Act.* 5. 17. 18.

Sciebat enim (Pilatus), quod per invidiam tradidissent eum (Christum sacerdotes). *Ibid.* 27. 18.

Indignatus est autem (filii prodigi frater), et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. *Luc.* 15. 28.

Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus, etc. *Joan.* 12. 4.

(Audientes verba Stephani Judæi), dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum, (dolentes, quod non possent resistere sapientiæ, et spiritui ejus). *Act.* 7. 54. *V.* et. *c.* 13. 45. *et. c.* 17. *per totum.*

Sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus — et impudicitiis, non in contentione et æmulatione. *Rom.* 13. 13.

Quod si invicem mordetis et comeditis : videte ne ab invicem consumamini, etc. *Gal.* 5. 15. Manifesta sunt autem opera carnis — inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, etc. *v.* 19. *et seq.* Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. *v.* 26.

Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant. *Philipp.* 1. 15. *V.* 1. *Tim.* 6. 4.

Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris : nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. *Jacob.* 3. 14.

Concupiscitis, et non habetis : occiditis, et zelatis : et non potestis adipisci : litigatis et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulatis. *Ibid.* 4. 2. Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis. *v.* 5.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, etc. 1. *Petr.* 2. 1.

Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est. 1. *Joan.* 2. 11.

Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. *Ibid.* 3. 13. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. *v.* 15.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. *Ibid.* 4. 20.

INVIDIA *Deum provocat.*

Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prov.* 17. 5.

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exultet cor tuum : ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. *Ibid.* 24. 17. 18.

Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat, quod egestat superveniet ei. *Ibid.* 28. 22.

Neque cum invidia tabescente iter habebo : quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. *Sap.* 6. 25.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. *Galat.* 5. 26.

Ubi enim zelus et contentio : ibi inconstantia, et omne opus pravum. *Jacob.* 3. 16.

Deponentes igitur omnem malitiam — et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite; ut in eo crescatis in salutem. 1. *Petr.* 2. 1.

INVIDIA *proximum supplantat.*

Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi : et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est. *Eccles.* 4. 4.

Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum ; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. *Sap.* 2. 24. 25.

INVIDIA *se ipsam cruciat.*

Parvulum occidit invidia. *Job.* 5 2.

Vita carnium, sanitas cordis : putredo ossium, invidia. *Prov.* 14. 30.

Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius. *Eccli.* 14. 6.

INVOCATIO *Sanctorum.* *V.* **Sancti, et Cultus Sanctorum.**

IRACUNDIA *et Ira.*

IRA *Dei.*

(Ira Dei) devoravit eos (Ægyptios) sicut stipulam. *Exod.* 15. 7.

(Flagravit populus desiderio carnium : et ideo iratus est Deus valde). *Num.* 11. 1. 4.

Num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet (Deus)? *Ibid.* 16. 22. Egressa est ira a Domino, et plaga desævit. *v.* 46.

Nec miranda indignatio (Dei) in populum (in deserto) ; cum mihi quoque (inquit Moyses) iratus Dominus propter vos, dixerit : Nec tu ingredieris illuc. *Deut.* 1. 37.

Cavete, ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino — iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque, etc. *Ibid.* 11. 16. 17.

Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus. *Josue.* 9. 20.

Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino. 3. *Reg.* 11. 9.

Impio præbes auxilium, et iis qui oderunt Dominum, amicitia jungeris ; et idcirco iram quidem Domini merebaris ; sed bona opera inventa sunt in te. 2. *Paral.* 19. 2. 3.

(Amasias rex Juda, divino fretus auxilio, Idumæos superavit in bello, et attulit Deos eorum, et adoravit eos) — quamobrem iratus Dominus (est contra eum). *Ibid.* 25, 14.

Magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, (dixit Josias, auditis verbis, quæ scripta erant in libro legis). *Ibid.* 34. 21.

Omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli : ne forte irascatur (Deus) contra regnum regis et filiorum ejus. (Ita præcepit Artaxerxes Gentilis). 1. *Esdr.* 7. 23.

Comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te ad iracundiam, etc. 2. *Esdr.* 9. 25. 26.

Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. *Job.* 9. 13.

(Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem) : Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum. *Ibid.* 42. 7.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa. *Psal.* 2. 12. *V. et v.* 5.

Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me. *Psal.* 6. 2.

Quis novit (Deus) postestatem iræ tuæ? et præ timore tuo iram tuam dinumerare? *Psal.* 89. 11.

(De Babylone dicitur) : Ecce novissima erit in Gentibus, deserta, invia, et arens. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem. *Jerem.* 50. 12. 13.

(In Parabola de servo nequam, qui noluit misereri conservo suo, dicitur) : Iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus. *Matth.* 18. 34.

(Similiter in Parabola de iis, qui noluerunt venire ad cœnam, dicitur) : Tunc iratus paterfamilias, etc. *Luc.* 14. 21.

Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam : qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. *Joan.* 3. 36.

Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. *Rom.* 2. 5. 6.

(Multum timenda est ira, quæ ostendetur in die judicii). *Apoc. c.* 6. (Nam tunc) et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber, (imo omnes impii abscondent se) in speluncis, et in petris montium, et dicent montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipsorum ; et quis poterit stare ? *v.* 15. *usq. ad fin.*

IRA *hominis mala, et iracundia, quantum mali pariant.*

Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus, etc. *Gen.* 4. 5.

(Audiens Saul pos victoriam commen-

dari David), iratus est — nimis, et displicuit in oculis ejus sermo, etc. 1. *Reg.* 18. 8.

Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth. 3. *Reg.* 21. 4.

(Post facile et salubre consilium Elisei), iratus Naaman recedebat, dicens : Putabam, quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, etc. 4. *Reg.* 5. 11.

(Hanani Propheta venit ad Asa, et increpavit eum, quia confisus erat in Benadad rege Syriæ) : iratusque Asa adversus Videntem, jussit eum mitti in nervum. 2. *Paral.* 16. 10.

(Sacerdotes arguebant Oziam, volentem adolere incensum) : iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum — minabatur. illis. *Ibid.* 26. 19.

Cum audisset Sanaballat, quod ædificaremus murum (Jerusalem), iratus est valde, et motus nimis subsannavit Judæos. 2. *Esdr.* 4. 1.

Cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos occideret ex filiis Israel, etc. *Tob.* 1. 21.

(Tobia dicente de hœdo balante) : Videte, ne furtivus sit, etc. uxor ejus irata, respondit : Manifeste vana facta est spes tua, etc. *Ibid.* 2. 21. 22.

(Nuntiatum est Holoferni, quod filii Israel præpararent se ad resistendum ei), et furore nimio exarsit in iracundia magna. *Judith.* 5. 2. (Cumque dixisset Achior, magnam esse potentiam Dei Israel), irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum. *v.* 26. *V.* 1. *Mach.* 3. 27. *et* 31. (de rege Antiocho).

Quod cum audisset Aman — quod Mardochæus non flecteret sibi genu — iratus est valde, et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas. *Esther.* 3. 5. 6.

Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. *Job.* 5. 2.

Et iratus, indignatusque est Eliu — adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo. *Ibid.* 32. 2.

Irascimini, et nolite peccare. *Psal.* 4. 5.

Desine ab ira, et derelinque furorem, etc. *Psal.* 36. 8.

Fatuus statim indicat iram suam : qui autem dissimulat injuriam, callidus est. *Prov.* 12. 16.

Vita carnium, sanitas cordis : putredo ossium, invidia. *Ibid.* 14. 30.

Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, mitigat suscitatas. *Ibid.* 15. 18.

Angelus autem crudelis mittetur contra eum (scilicet iracundum) *Ibid.* 17 11. Qui meditatur discordias, diligit rixas : et qui exaltat ostium (scilicet os suum), quærit ruinam. *v.* 19.

Qui impatiens est, sustinebit damnum : et cum rapuerit, aliud apponet. *Ibid.* 19. 19.

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda. *Ibid.* 21. 19.

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso. *Ibid.* 22. 24.

Sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas. *Ibid.* 26. 21.

Grave est saxum, et onerosa arena : sed ira stulti utroque gravior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor : et impetum concitati ferre quis poterit? *Ibid.* 27. 3. 4.

Vir iracundus provocat rixas : et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior. *Ibid.* 29. 22.

Qui provocat iras, producit discordias. *Ibid.* 30. 33.

Ne sis velox ad irascendum : quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccles.* 7. 10.

Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. *Ibid.* 11. 10.

Ab hac (a sapientia) ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit. *Sap.* 10. 3.

Iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. *Eccli.* 1. 28.

Est correptio mendax in ira contumeliosi. *Ibid.* 19. 28.

Quam bonum est arguere, quam irasci! *Ibid.* 20. 1.

Non est caput nequius super caput colubri : et non est ira super iram mulieris. *Ibid.* 25. 22. 23. *V. et v.* 29. *et. c.* 26. 11. *de ira mulieris.*

Memento novissimorum, et desine inimicari, etc. *Ibid.* 28. 6. *et seq.* Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit : et si expueris super illam, extinguetur ; utraque ex ore profisciscuntur. *v.* 14. *V. v.* 11. *et* 23.

Zelus et iracundia minuunt dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. *Ibid.* 30. 26.

(Principes Juda, putantes quod Jeremias fugeret ad Chaldæos, irati sunt contra eum), et cæsum eum miserunt in carcerem. *Jerem.* 37. 12. *et* 14.

(Nabuchodonosor) in furore et in ira magna præcepit, ut perirent, (et interficerentur) omnes sapientes Babylonis, (pro eo scilicet, quod somnium suum ei non poterant indicare). *Dan.* 2. 12. *V. et c.* 3. 19.

(Arguit Dominus Jonam, quia irascebatur super Ninivem et hederam). *Jonæ.* 4. 1. *et* 9.

(Tortores Eleazari audientes verba constantiæ ipsius, in iram versi sunt, qui) paullo ante fuerant mitiores. 2. *Mach.* 6. 29.

(Post septimi fratris verba, rex Antiochus) accensus ira, in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum. *Ibid.* 7. 39.

(Videns Antiochus, quod non poterat spoliare Persepolim civitatem), elatus autem in ira, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugaverant, posse in Judæos retorquere. *Ibid.* 9. 4.

Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, etc. *Matth.* 2. 16.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *Ibid.* 5. 21. 22.

Manifesta sunt autem opera carnis ; quæ sunt — inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ — invidiæ, etc. *Galat.* 5. 20.

Irascimini, et nolite peccare : sol non occidat super iracundiam vestram. *Ephes.* 4. 26.

Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. *Coloss.* 3. 8.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem. *Tit.* 1. 7.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. *Jacob.* 1. 19. 20.

IRA *facile sedatur.*

Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem. *Prov.* 15. 1.

Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. *Ibid.* 26. 10.

IRA *fructuose devitatur.*

Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas : nec multitudo donorum inclinet te. *Job* 36. 18.

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso : ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. *Prov.* 22. 24. 25.

Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum : et qui vehementer emungit, elicit sanguinem : et qui provocat iras, producit discordias. *Ibid.* 30. 33.

Ne sis velox ad irascendum : quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccles.* 7. 10.

Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. *Ibid.* 11. 10.

Cor hominis immutat faciem illius, sive in mala. *Eccli.* 13 31.

Quam bonum est arguere, quam irasci ! *Ibid.* 20. 1.

Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. *Matth.* 9. 22.

Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. *Rom.* 12. 19.

Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. *Ephes.*. 4. 31.

IRA. — *Iræ alterius cedendum, potius quam repugnandum.*

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso : ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. *Prov.* 22. 24. 25.

Vir iracundus provocat rixas : et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior. *Ibid.* 29. 22.

Cum iracundo non facies rixam, et cum audace non eas in desertum : quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, et ubi non est adjutorium, elidet te. *Eccli.* 8. 19.

Angelus Domini apparuit in sommis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, etc. *Matth.* 2. 13. *V. Gen.* 27. 43.

IRA *hominis ex zelo. V. et.* **Zelus.**

(Cum loqueretur Moyses Pharaoni, et

hic nollet audire), exivit a Pharaone iratus nimis. *Exod.* 11. 9.

(Præcepit Moyses filiis Israel, ut nullus de manna relinquat usque mane). Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scatere cœpit vermibus, atque computruit : et iratus est contra eos Moyses. *Ibid.* 16. 19.

(Reversus Moyses de monte), cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros : iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis. *Ibid.* 32. 19.

Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit : iratusque contra Eleazar et Ithamar — ait : Cur non comedistis, etc. *Lev.* 10. 16.

(Videns Moyses rebellionem Core et complicum ejus), iratusque — valde, ait ad Dominum : Ne respicias sacrificia eorum. *Num.* 16. 15.

(Considerans Jonathas filius Saul nequitiam patris sui contra David), surrexit — a mensa in ira furoris, et non comedit in die Calendarum secunda. 1. *Reg.* 20. 34.

(Audita David parabola Prophetæ Nathan), iratus — indignatione — adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. 2. *Reg.* 12. 5.

(Eliseus iratus fuit contra Joas, eo quod non percussisset terram sagitta quinquies, aut sexies, et sic totam destruxisset Syriam). 4. *Reg.* 13. 19.

(Audiens Nehemias clamorem populi, propter usuras, quas exigebant optimates, iratus est nimis). 2. *Esdr.* 5. 6.

(Audita querimonia, quam fecit Esther de Aman, qui omnes Judæos procurabat occidi, rex Assuerus surrexit iratus de loco convivii). *Esther.* 7. 7.

ITER *salutis et perditionis.*

Non sequeris turbam ad faciendum malum : nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. *Exod.* 23. 2.

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. *Prov.* 4. 14. Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant. *v.* 18. *et* 19. Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. *v.* 26. Averte pedem tuum a malo : vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus : perversæ vero sunt, quæ a sinistris sunt. *v.* 27.

Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. *Ibid.* 5. 21.

Iter autem impiorum decipiet eos. *Ibid.* 12. 26. *V. et. v.* 28.

Iter pigrorum (scil. impiorum) quasi sepes spinarum : via justorum absque offendiculo. *Ibid.* 15. 19. Vir prudens dirigit gressus suos. *v.* 21.

Cum placuerint Domino viæ hominis inimicos quoque ejus convertet ad pacem. *Ibid.* 16. 7.

Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam. *Eccli.* 5. 11.

Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te : ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries. *Ibid.* 8. 18.

In via ruinæ non eas, et non offendes in lapides : nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum. *Ibid.* 32. 25.

Intrate per angustam portam : quia lata porta, et spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est (difficilis), quæ ducit ad vitam : et pauci sunt, qui inveniunt eam ! *Matth.* 7. 13. 14.

Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes. *Ephes.* 5. 15. 16.

Et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr.* 12. 13.

JUDICIUM. — *Judicia Dei occulta.*

(Filii Jacob Joseph extinguere decreverunt; sed Deo disponente, ipsum super se ipsos exaltaverunt). *Gen. c.* 37. *et* 41.

(Mirante Joseph, et causam ignorante, Jacob in filiorum ejus benedictione super Ephraim posuit manum dexteram, super Manassen sinistram). *Ibid.* 48. 14.

(Antequam educeret Dominus filios Israel de Ægypto, longo tempore, et multoties eos affligi et flagellari permisit. Nam permittit Dominus reprobos indurari, et electos afflgi, ut miraculosa operetur; et inde cognoscatur amplius, et laudetur). *Exod. c.* 1. *et seq.*

(Sciebat Dominus, Pharonem non obe-

diturum mandatis suis; et tamen ipsum per Moysen faciebat requiri). *Ibid. c.* 5. *et* 6.

(Magi et malefici Pharaonis. Deo permittente, fecerunt signa in Ægypto. sicut Moyses, incantationibus suis). *Ibid.* 7. 11.

(Toties promisit Dominus filiis Israel terram illam lacte et melle manantem; et tamen duo tantum de illis, Caleb et Josue, ad illam pervenerunt; reliqui vero, non, sed tantum parvuli eorum). *Num.* 14. 30. 31.

(Moyses, qui toties populum peccantem reconciliavit Deo, peccavit semel ad aquas contradictionis, et non obtinuit pro se ipso, ut intraret terram promissionis). *Ibid.* 20. 12.

(Hoc ipso, quod filii Israel propter peccata morati sunt quadraginta annis in deserto et amplius, magnificatus est Deus, qui eos tamdiu, pavit, et eorum vestimenta a consumptione servavit, donec eos in terram promissionis mirabiliter introduceret). *Deut.* 8. 4.

(De gentibus, quæ habitabant in terra promissionis dicitur) : Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, etc. *Josue* 11. 20.

(Filii Israel contra filios Benjamin de consilio et voluntate Domini prælïantes, bis debellati fuerunt; sed illos postea fere penitus deleverunt). *Judic.* 20. 23.

(Permisit Deus Arcam capi ab incircumcisis, in quibus multa miracula fecit; et cum reduceretur, Bethsamitæ cum gaudio receperunt eam; quia vero curiose viderant eam, percussit Dominus septuaginta viros de principus, et 50000 plebis). 1. *Reg. c.* 4. 5. *et* 6.

(Nullus erat in populo melior, quam Saul, quando fuit a Domino signanter et specialiter electus). *Ibid.* 9. 17. (et tamen paullo post peccavit, et fuit a Deo projectus). *c.* 15. 26.

(David minimus inter fratres, et quasi nullius reputationis, tamen a Deo vocatus et electus, populum Dei gubernavit, qui totam illius progeniem sublimavit). *Ibid.* 16. 12.

(Præcepto Domini per Abiam Prophetam præfectus est Jeroboam super decem tribus, qui tamen populum ad idolatriam malitiose induxit). 3. *Reg.* 11. 29. *et c.* 12. 28. *V. et* 4. *Reg.* 10. 29.

(Tobias post tam pia opera misericordiæ, quibus deditus erat, excæcatus est : cujus rei causam non intelligentes amici ejus, scandalizati, insultabant ei). *Tob.* 2. 11. *et* 15.

(Sic etiam mirabantur et scandalizabantur amici Job super eum, quia videbant tam graviter eum afflictum). *V. ipsius Librum.*

Væ Assur, virga furoris mei, etc. 10. 5. (Sic divina justitia punit interdum malos homines per pejores, sicut punivit filios Israel et Juda per Nabuchodonosor et Chaldæos).

(Voluit Dominus adhuc infantulus, in Ægyptum deferri a facie Herodis, et permisit loco sui, Innocentes occidi. Sed in hoc ipsis infantibus melius providit, facti quidem Martyrum primitiæ). *Matth.* 2. 13. *et* 16.

(Fecit Dominus virtutes et miracula in Corozain et Bethsaida, ubi parum profuit; et non fecit in Tyro et Sydone, ubi, si fecisset, multum profuisset). *Matth.* 11. 21.

(De Apostolis in carcerem detrusis videri posset aliquibus, quod Deus tempore novellæ fidei non debuisset talia permittere : sed ex hoc ipso fideles fuerunt mirabiliter consolati, et adversarii fidei confutati). *Act. c.* 4.

JUDICIUM. — *Judicabunt Sancti de hoc mundo.*

Judicabunt (justi) nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. *Sap.* 3. 8.

Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. *Ibid* 5. 1.

Jesus autem dixit illis (discipulis suis) : Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes tribus Israel. *Matth.* 19. 28.

An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? 1. *Cor.* 6. 2. 3.

Prophetavit autem et de his septimus ab Adam, Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in Sanctis milibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eo-

rum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. *Judæ v.* 14. *et* 15.

JUDICIUM *temerarium. V.* **Suspicio.**

JUDICIUM. — *Judicia humana recta et perversa.*

(Injuste præcepit Judas, Thamar nurum suam comburi). *Gen.* 38. 24.

(De duodecim bobus et sex plaustris nullum dedit Moyses filiis Caath, licet essent sibi propinquiores : sed omnia dedit aliis Levitis, eo quod isti amplius indigebant, et graviora onera portabant). *Num.* 7. 6.

(De filiis Samuel dicitur) : Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3.

(Injuste protulit David sententiam contra Miphiboseth absentem, ad verbum Sibæ, ipsi David xenia offerentis. Verumtamen postea cognita causæ veritate, voluit iniquam sententiam penitus revocare). 2. *Reg.* 16. 4. *et c.* 19. 29.

(Salomon recte judicavit de duabus mulieribus, quarum quælibet afferebat se unius infantis esse matrem). 3. *Reg.* 3. 23.

De ea re, quæ te non molestat, ne certeris : et in judicio peccantium ne consistas. *Eccli.* 11. 8.

(Quia Jeremias a Domino missus prophetabat, Jerusalem capiendam esse a Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi) : Rogamus, ut occidatur homo iste. (Qui respondit eis) : Ecce ipse in manibus vestris est : nec enim fas est, regem vobis quidquam negare. *Jerem.* 38. 4. 5.

(Nabuchodonosor) præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis, (eo quod somnium suum non poterant ei indicare). *Dan.* 2. 12.

(Cum accusaretur Menelaus in judicio coram Antiocho, per percuniam quam promisit, absolutus est, innocentibus accusatoribus ejus iniqua morte damnatis). 2. *Mach.* 4. 43. *et seq.*

Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, etc. *Matth.* 7. 1. 2.

Si autem sciretis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium : nunquam condemnassetis innocentes. *Ibid.* 12. 7.

Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini. Date et dabitur vobis, etc. *Luc.* 6. 37. 38.

Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis : Dæmonium habet. Venit Filius hominis, manducans et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum ; amicus publicanorum et peccatorum. *Ibid.* 33. 34.

Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. *Joan.* 7. 24. *V. Deut.* 1. 16.

Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est hic homo (Christus) a Deo, qui Sabbatum non custodit. Alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. *Ibid.* 9. 16.

(Princeps sacerdotum præcepit percuti os Pauli). Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti? *Act.* 23. 3.

Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam (scilicet viperam) de manu ejus, ad invicem dicebant : Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. *Ibid.* 28. 4.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas : eadem enim agis, quæ judicas. *Rom.* 2. 1.

Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit : stabit autem : potens est enim Deus statuere eum. *Ibid.* 14. 4. Non ergo amplius invicem judicemus : sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. *v.* 13.

Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus : qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo. 1. *Cor.* 4. 5.

Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 1. *Tim.* 5. 21.

Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. *Jacob.* 4. 11.

JUDICIUM *divinum.*

Ego sum Dominus Deus tuus fortis, ze-

lotes, visitans, iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me : et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. *Exod.* 20. 5. 6.

Ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere. *Deut.* 32. 39.

Magnus es, Domine, in æternum, et in omnia sæcula regnum tuum : quoniam tu flagellas, et salvas : deducis ad inferos, et reducis : et non est, qui effugiat manum tuam. *Tob.* 13. 1.

Sapiens corde est, et fortis robore : quis restitit ei, et pacem habuit? *Job* 9. 4.

Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? (vel quis dicere potest : cur ita facis)? *Ibid.* 11. 8. *et seq.*

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere : Operatus es iniquitatem? *Ibid.* 36. 22. 23.

Quis enim resistere potest vultui meo? Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia, quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis. *Ibid.* 41. 1. *et seq.*

Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo. *Psal.* 23. 1.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? *Psal.* 75. 8.

Tu dominaris potestati maris — Tu humiliasti sicut vulneratum superbum — Tui sunt cœli, et tua est terra. *Psal.* 88. 10. *et seq.*

Dominus in cœlo paravit sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur. *Psal.* 102. 19.

Regnum tuum, omnium sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem. *Psal.* 144. 13.

Omne, quod voluerit, faciet : et sermo illius potestate plenus est : nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis? *Eccles.* 8. 3. 4.

Quis enim dicet tibi : Quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum? *Sap.* 12. 12. Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti. *v.* 13. *et* 14.

Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis. *Ibid.* 16. 15.

Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, et manet invictus rex in æternum. *Eccli.* 18. 1.

Dominus enim exercituum decrevit : et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta : et quis avertet eam? *Isa.* 14. 27.

Et ab initio ego ipse, non est qui de manu mea eruat : operabor, et quis avertet illud? *Ibid.* 43. 13.

Non est similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex Gentium? *Jerem.* 10. 6. 7. Opus artificum universa hæc. Dominus autem Deus verus est : ipse Deus vivens, et Rex sempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra : et non sustinebunt gentes comminationem ejus. *v.* 9. *et* 10.

Heu, heu, heu, Domine Deus : ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine magna, et in brachio tuo extento : non erit tibi difficile omne verbum : qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos : fortissime, magne, et potens, etc. *Ibid.* 32. 17. 18.

Quis est enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? *Ibid.* 50. 44.

Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. *Ezech.* 21. 3.

Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur. *Dan.* 7. 14.

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10. 28.

Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Ibid.* 28. 18.

Et regnabit in domo Jacob in æternum : et regni ejus non erit finis. *Luc.* 1. 32. 33. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. *v.* 37.

In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit : ut et mortuorum, et vivorum dominetur. *Rom.* 14. 9. Vivo ego,

dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu : et omnis lingua confitebitur Deo. *v*. 11.

Unus est legislator et judex, qui potest perdere, et liberare. *Jac.* 4. 12.

JUDICIUM *divinum irreprehensibile.*

Deus — personam non accipit, nec munera. *Deut.* 10. 17.

Porro Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. 1. *Reg.* 15. 29.

Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico. *Ibid.* 16. 7.

Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, etc. 2. *Paral.* 19. 7,

Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia, et veritas, et judicium. *Tob.* 3. 2.

Verebar omnia opera mea : sciens, quod non parceres delinquenti. *Job* 9. 28.

Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium. *Ibid.* 34. 10. *et seq.*

Tu reddes unicuique juxta opera sua. *Psal.* 61. 13.

Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate. *Psal.* 97. 9.

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. *Psal.* 118. 137.

Pondus et statera judicia Domini sunt. *Prov.* 16. 11.

Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. *Sap.* 6. 8. *V. Eccli.* 35. 16. *Act.* 10. 34.

Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ *Isa.* 11. 3. 4.

Et ponam in pondere judicium, et justitiam in mensura. 28. 17.

Et reddam eis secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum. *Jer.* 25. 14.

Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est : anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. *Ezech.* 18. 4. Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. *v*. 30.

Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem. *Rom.* 2. 2. Qui reddet unicuique secundum opera sua. *v* 6. *V. et v*. 11.

Unusquisque enim onus suum portabit. *Gal.* 6. 5.

Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. *Ephes.* 6. 8.

Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. 1. *Petr.* 1. 17.

JUDICIUM. — *Verbis Deus non fallitur in suo judicio.*

Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis. *Job.* 41. 3.

Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo : Non requiret. *Psal.* 9. 13.

Nec acquiescit cujusquam precibus. *Prov.* 6. 35.

JUDICIUM. — ... *munere non decipitur.*

Qui confidunt in virtute sua. *Psal.* 48. 7. Frater non redimit, redimet homo : non dabit Deo placationem suam. Et pretium redemptionis animæ suæ. *v*. 8. *et* 9.

Nec suscipiet pro redemptione dona plurima. *Prov.* 6. 35.

Argentum eorum et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. *Ezech.* 7. 19. *V. Prov.* 11. 4.

Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini : in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. *Soph.* 1. 18.

Ego enim Dominus, et non mutor. *Malach.* 3. 6.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *Matth.* 16. 27.

JUDICIUM *divinum inevitabile ob scientiæ claritatem : cognoscit enim omnia generaliter.*

Oculi enim ejus (Dei) super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. *Job.* 34. 21. Non sunt tenebræ, et non est

umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem. *v*. 22.

De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. *Psal*. 32. 13. Qui finxit singillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum. *v*. 15.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. *Psal*. 138. 12.

Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. *Prov*. 5. 21.

Ipse (Deus) agnoscit omnem operam hominis. *Eccli*. 15. 20.

Et omnia opera illorum (hominum) velut sol in conspectu Dei : et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. *Ibid*. 17. 16. 17. *V. c*. 23. 29.

Opera omnis carnis coram illo (Deo), et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo usque in sæculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus. *Ibid*. 39. 24. 25. *V. c*. 42. 20.

Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus ? et non Deus de longe ? Si occultabitur vir in absconditis : et ego non videbo eum, dicit Dominus ? *Jerem*. 23. 23. 24.

Fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu : cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus. *Ibid*. 32. 18. 19.

Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui. Dicunt enim ; Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. *Ezech*. 8. 12.

Ipse revelat profunda, et abscondita, et novit in tenebris constituta : et lux cum eo est. *Dan*. 2. 22.

Et erit in tempore illo : scrutabor Jerusalem in lucernis : et visitabo super viros defixos in fæcibus suis : qui dicunt in cordibus suis : Non faciet bene Dominus, et non faciet male. *Soph*. 1. 12.

Dominus justus, in medio ejus non faciet iniquitatem : mane judicium suum dabit lucem, et non abscondetur : nescivit autem iniquus confusionem suam. *Ibid*. 3. 5.

Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii : et (humiliant) viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach*. 3. 5.

Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. *Hebr*. 4. 12. 13.

JUDICIUM. — ... *scrutatur corda specialiter.*

Homo enim videt ea, quæ parent : Dominus autem intuetur cor. 1. *Reg*. 16. 7.

Redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo (tu enim solus nosti corda filiorum hominum) : ut timeant te, et ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus, vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 2. *Paral*. 6. 30. 31.

Si fortitudo quæritur, robustissimus est : si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. *Job*. 9. 19.

Scio, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. *Ibid*. 42. 2.

Scrutans corda et renes Deus. *Psal*. 7. 10.

Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. *Psal*. 33. 16.

Ipse — novit abscondita cordis. *Psal*. 43. 22.

Intelligite, insipientes in populo : et stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ? *Psal*. 93. 8. 9. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. *v*. 11.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto — Imperfectum meum viderunt oculi tui. *Psal*. 138. 15. 16.

Omnis via viri recta sibi videtur : appendit autem corda Dominus. *Prov*. 21. 2. *V. et c* 16. 2.

Qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. *Ibid*. 24. 12.

Quoniam renum illius (maledici) testis

est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor. *Sap.* 1. 6.

Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis : *Eccli.* 15. 20. *V. Jerem.* 20. 12.

Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar : quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce cœlum, et cœli cœlorum, abyssus, et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur, montes simul et colles, et fundamenta terræ : cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Et in omnibus his insensatum est cor et omne cor intelligitur ab illo : et vias ejus quis intelligit? *Ibid.* 16. 16. *et seq.*

Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia. *Ibid.* 23. 29.

Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est : et penes regem noli velle videri sapiens. *Ibid.* 7. 5.

Abyssum et cor hominis investigavit (Dominus), etc. *Ibid.* 42. 18. Non præterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo. *v.* 20.

Ego Dominus scrutans cor, et probans renes. *Jerem.* 17. 10. *V. et c.* 11. 20.

Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego. sum scrutans renes et corda : et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. *Apoc.* 2. 23.

Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens — Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum —? Quoniam judicia tua manifesta sunt. *Ibid.* 15. 3. 4.

JUDICIUM *extremum Dei, et quemadmodum Christus in fine mundi judicaturus est. V. et* **Dies novissimus.**

Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cælis tonabit : Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 1. *Reg.* 2. 10.

Statuit (Deus) diem, in quo judicaturus est orbem. *Act.* 17. 31. *V. Isa.* 3. 13. *Judæ v.* 15.

JUDICIUM *extremum admirabile, ob judicis majestatem.*

Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes — Reges eos in virga ferrea. *Psal.* 2. 7. *et seq.*

Exurge, Domine, non confortetur homo : judicentur gentes in conspectu tuo. *Psal.* 9. 20. Constitue, Domine, legislatorem super eos. *v.* 21.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. *Psal.* 95. 13.

Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum : et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. *Eccles.* 11. 9.

Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus : vos enim depasti estis vineam (meam), et rapina pauperis in domo vestra. *Isa.* 3. 14.

Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient. *Dan.* 7. 13. 14.

Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, (et humiliant) viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3. 5.

Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo : et tunc plangent omnes tribus terræ : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, et majestate. *Matth.* 24. 30. *V. et c.* 25. 31.

Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. *Ibid.* 26. 64.

Neque enim Pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem — Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. *Joan.* 5. 22. 27.

Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. *Act.* 10. 42.

Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit; fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. *Ibid.* 17. 30. 31.

Omnes enim stabimus ante tribunal Christi — Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. *Rom.* 41. 10. 12.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

Unus est legislator, et judex, qui potest perdere, et liberare. *Jac.* 4. 12.

Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ. 1. 7. Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. *v.* 16.

Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. *Ibid.* 22. 12.

JUDICIUM... *ob societatis jucunditatem.*
V. **Sancti judicabunt.**

Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi (malos igni) : et quos elegerit, appropinquabunt ei. *Num.* 16. 5.

Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur. *Deut.* 32. 36. Si — arripuerit judicium manus mea : reddam ultionem hostibus meis, et his, qui oderunt me, retribuam. *v.* 41.

Et veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo. *Zach.* 14. 5.

An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? 1. *Cor.* 6. 2. 3.

Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, etc. *Judæ v.* 14.

JUDICIUM... *ob loci gravitatem.*

Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat : et disceptabo cum eis ibi, etc. *Joel.* 3. 2. Consurgant, et ascendant Gentes in vallem Josaphat : quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. *v.* 12. Populi, populi, in valle concisionis : quia juxta est dies Domini in valle concisionis. *v.* 14.

Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum, usque ad terminos eorum. *Matth.* 24. 31.

JUDICIUM *horribile propter signorum multiplicitatem, in cœlestibus.*

Eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis. *Isa.* 29. 6.

Quia ecce Dominus in igne veniet, et et quasi turbo quadriga ejus : reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis : quia in igne Dominus dijudicabit. *Ibid.* 66. 15. 16.

Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma : quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti : neque est qui effugiat eum. *Joel.* 2. 5. A facie ejus contremuit terra, moti sunt cæli : sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. *v.* 10. Magnus enim dies Domini, et terribilis valde : et quis sustinebit eum? *v.* 11. *V. c.* 3. 15. *Item Isa.* 13. 10. *Ezech.* 32. 7.

Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis : vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et calignis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris, super civitates munitas, et super angulos. *Soph.* 1. 7. 14. *et seq. V. Jerem.* 1. 7. *Amos* 5. 18.

Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus : et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, (quasi) stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. *Malach.* 4. 1.

Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. *Matth.* 24. 29. *V. Marc.* 13. 24. *Luc.* 21. 25.

Et vidi, cum aperuisset sigillum sextum : et ecce terræmotus factus est, et sol factus est niger, tamquam saccus cilicinus : et luna tota facta est sicut sanguis : et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur, etc. *Apoc.* 6. 12.

JUDICIUM....... *in terrestribus.*

Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. *Malach.* 4. 5.

Elias quidem venturus est, et restituet omnia. *Matth.* 17. 11. *V. Marc.* 9. 11.

Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes : Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi? Et respondens Jesus, dixit eis — Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum. Videte, ne turbemini, etc. *Ibid.* 25. 3. 6. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. *v.* 21.

(Erit) in terris pressura Gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum : arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi. *Luc.* 21. 25. 26. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. *v.* 36.

Adveniet autem dies Domini, ut fur : in quo cœli magno impetu transient : elementa vero calore solventur : terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? 2. *Petr.* 3. 10. *et seq.*

JUDICIUM....... *propter judicandorum diversitatem. Nam boni consolabuntur.*

Dominus enim judex noster. Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos *Isa.* 33. 22.

Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. *Dan.* 12. 1.

Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ : et sanitas in pennis ejus : et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 4. 2. 3.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. 1. *Thess.* 5. 23.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 3. 8.

JUDICIUM... *mali a bonis separabuntur.*

Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. *Eccles.* 3. 17.

Ecce nomen Domini venit de longinquo ; ardens furor ejus, et gravis ad portandum : labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans. Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes, etc. *Isa.* 30. 27. 28.

Cujus ventilabrum in manu sua : et permundabit aream suam : et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Matth.* 3. 12.

Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis : et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. *Ibid.* 25. 31.

Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? 1. *Petr.* 4. 18. *V. Prov.* 11. 31.

JUDICIUM... *de malitiis accusabuntur.*

Revelabunt cœli iniquitatem ejus (impii), et terra consurget adversus eum. *Job* 20. 27.

Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi? *Ibid.* 31. 14.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. *Psal.* 48. 6.

Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. *Eccles.* 12. 14.

In cogitationibus enim impii interrogatio erit. *Sap.* 1. 9.

In fine hominis denudatio operum illius. *Eccli.* 11. 29.

Impiis et peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. *Ibid.* 12. 4. *V. et v.* 7.

Ante judicium para justitiam tibi — et in conspectu Dei invenies propitiationem. *Ibid.* 18. 1. 20.

Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram? ne incurvemini sub vin-

culo, et cum interfectis cadatis? *Isa.* 10. 3. 4.

Juxta vias tuas, et juxta adinventiones tuas judicabo te, dicit Dominus. *Ezech.* 24. 14.

Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. *Marc.* 4. 22. *V. Matth.* 10. 26. *Luc.* 8. 17.

Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis : et ecce plus quam Salomon hic. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; et ecce plus quam Jonas hic. *Luc.* 11. 31. 32. *V. Matth.* 12. 42.

In die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. *Rom.* 2. 5. 6.

Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur : et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. 1. *Cor.* 3. 13.

Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium : quosdam autem et subsequuntur. Similiter et facta bona manifesta sunt : et quæ aliter se habent, abscondi non possunt. 1. *Tim.* 5. 24. 25.

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. *Apoc.* 20. 12. *et seq.*

JUDICIUM..... *cum malis sociabuntur.*

Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis ? Dies Domini ista, tenebræ, et non lux. *Amos.* 5. 18.

Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. *Matth.* 25. 41.

JUDICIUM... *propter temporis velocitatem et ignorantiam.*

Et erit dies una, quæ nota est Domino. *Zach.* 14. 7.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem : ita erit adventus Filii hominis. *Matth.* 24. 27. (*V. Malach.* 3. 2). De die autem illa et hora, nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis. *v.* 36. *et seq. V. et v.* 42. *et* 44.

Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. *Ibid.* 25. 6.

De die autem illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater, etc. *Marc.* 13. 32. *et seq.*

Non venit regnum Dei cum observatione : neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. *Luc.* 17. 20. 21. (*V. c.* 12. 40. *et* 46). Et sicut factum est in diebus Noe : ita erit et in diebus Filii hominis. *v.* 26.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa : tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. *Ibid.* 21. 34. 35.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Act.* 1. 7.

De temporibus autem et momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient. Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat. 1. *Thess.* 5. 1. *et seq.*

Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit. *Hebr.* 10. 37.

Ecce judex ante januam assistit. *Jacob.* 5. 9.

Adveniet autem dies Domini, ut fur. 2. *Petr.* 3. 10.

Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. *Apoc.* 16. 15. *V. c.* 3. 3.

JUDICIUM. — *Omnes homines judicabuntur in illo extremo judicio.*

Congregabuntur (in judicio extremo) ante eum omnes gentes. *Matth.* 25. 32.

V. Rom. 2. 5. 1. *Cor.* 3. 13. 1. *Tim.* 5. 24. *Apoc.* 20. 12.

Omnes — nos manifestari oportet ante tribunal Christi 2. *Cor.* 5. 10 *V. Rom.* 14. 10.

JUDICIUM. — *Judicantur animæ statim post mortem.*

Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. *Job.* 21. 13.

In fine hominis denudatio operum ejus. *Eccli.* 11. 29.

Mortuus est autem et dives, et sepultus est inferno. *Luc.* 16. 2.

Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium. *Hebr.* 9. 27.

JUDICIUM *humanum debet præcedere deliberatio et cognitio.*

Cui (Adam) dixit (Dominus) : Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? *Gen.* 3. 11. *V. c.* 18. 21.

(In turris Babel ædificatione superborum fastus et lingua confunditur). *Ibid. c.* 11.

Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus : et sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam, et spatiosam, in terram, quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananæi, et Hethæi, et Amorhæi, et Pherezæi, etc. *Exod.* 3. 7. 8.

Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. *Ibid.* 23. 2.

Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens : Eamus, et serviamus Diis alienis, quos ignoras tu et patres tui, etc. non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum. Sed statim interficies, etc. *Deut.* 13. 6. *et seq.*

Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, etc. surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. *Ibid.* 17. 8. 9.

Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint, falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium : reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui. *Ibid.* 19. 18. *V. Judic.* 20. 3. 12.

Ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Responditque Achan Josue, et dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci, etc. *Josue.* 7. 19.

Timor Domini odit malum : arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Prov.* 8. 13.

Priusquam interroges, ne vituperes quemquam : et cum interrogaveris, corripe juste. Priusquam audias, ne respondeas verbum : et in medio sermonum ne adjicias loqui. *Eccli.* 11. 7. 8.

Et dixit ad eos Daniel (scilicet ad populum judicantem Susannam ex falso judicum testimonio) : Separate illos ab invicem procul, et dijudicabo eos, etc. *Dan.* 13. 51. *V.* 1 *Mach.* 7. 7.

JUDICIUM *humanum digne culpatur.*

Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. *Matth.* 5. 40.

Omni autem petenti te, tribue : et qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas. *Luc.* 6. 30.

Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? sed vos injuriam facitis, et fraudatis : et hoc fratribus. 1. *Cor.* 6. 7. 8.

JUDICIUM. — *Juste ordinatur, causam diligenter examinando.*

Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, etc. qui judicent populum omni tempore. *Exod.* 18. 21. 22.

Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis — ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent. *Deut.* 16. 18. 19.

Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. *Job.* 29, 16.

Viri mali non cogitant judicium : qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia. *Prov.* 28. 5.

JUDICIUM... *prudenter exequendo.*

Juste judica proximo tuo. *Lev.* 19. 15.

Juste, quod justum est, persequeris : ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. *Deut.* 16. 20.

Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram : et judicum intra portas tuas videris verba variari : surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis; morietur homo ille. *Ibid.* 17. 8. *et seq.*

Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices : quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt : quem impium, condemnabunt impietatis — Pro mensura peccati erit et plagarum modus. *Ibid.* 25. 1. 2.

Erudimini, qui judicatis terram. *Psal.* 2. 10.

Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum. *Psal.* 57. 2.

Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? Judicate egeno et pupillo : humilem et pauperem justificate. Eripite pauperem : et egenum de manu peccatoris liberate. *Psal.* 81. 2. *et seq.*

Judicium determinat causas. *Prov.* 26. 10.

Diligite justitiam, qui judicatis terram. *Sap.* 1. 1. *V.* 3. *Reg.* 3. 9.

Cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos. *Ibid.* 12. 18.

Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. *Eccli.* 7. 6.

Non judices contra judicem, quoniam secundum quod justum est, judicat. *Ibid.* 8. 17.

Judicate mane judicium : et eruite vi oppressum de manu calumniantis. *Jerem.* 21. 12. *V. et. c.* 22. 3. *Item Isa.* 56. 1.

Judicium verum judicate. *Zach.* 7. 9.

Veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris. *Ibid.* 8. 16.

Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 1. *Tim.* 5. 21.

JUDICIUM *humanum depravatur amore.*

Non suscipies vocem mendacii : nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malum : nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. Pauperis quoque non misereberis in judicio. *Exod.* 23. 1. *et seq.*

Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. *Lev.* 19. 15.

Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit : quia ego sum Dominus Deus vester *Ibid.* 24. 22.

Quod justum est judicate : sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. *Deut.* 1. 16. 17.

Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. *Ibid.* 24. 17.

Accipere personam impii non est bonum. *Ibid.* 24. 23.

Qui derelinquunt legem, laudant impium : qui custodiunt, succenduntur contra eum. *Ibid.* 28. 4.

JUDICIUM... *timore.*

Noli quærere fieri judex, (ne iniquitatibus impediendis par esse non possis; neque) extimescas faciem potentis, (et integritati tuæ ponas offendiculum). *Eccli.* 7. 6.

Factum est judicium, et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non perveniet usque ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. *Habac.* 1. 3. 4. Quare respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio justiorem se? *v.* 13.

JUDICIUM... *munere.*

Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum. *Deut.* 16. 19.

Qui munera super innocentem non accepit. *Psal.* 14. 5.

Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. *Prov.* 17. 23.

Qui cognoscit in judicio faciem, non benefacit : iste et pro buccella panis deserit veritatem. *Ibid.* 28. 21.

Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant; et causa viduæ non ingreditur ad illos. *Isa.* 1. 23.

Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, etc. *Mich.* 3. 11.

Princeps postulat, et judex in reddendo est. *Ibid.* 7. 3.

JUDICIUM... *odio.*

Insontem et justum non occides. *Exod.* 23. 7.

JUDICIUM *justum salubriter remuneratur.*

Gaudium justo est facere judicium.

In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis, quam mater. *Eccli.* 4. 10. 11.

Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. *Ibid.* 10. 1. 2.

Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor; qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione, etc. *Ibid.* 46. 13. 14.

Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus. *Isa.* 1. 17. 18.

Facite judicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris : et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique : et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. Si enim facientes feceritis verbum istud : ingredientur per portas domus hujus reges sedentes de genere David super thronum ejus. *Jerem.* 22. 3. 4.

JUDICIUM *injustum graviter punitur.*

Maledictus, qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ. *Deut.* 27. 19.

Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. *Prov.* 17. 15.

Audite ergo, reges (terræ), et intelligite : discite, judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est a Domino potestas vobis, et ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur : quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, etc. *Sap.* 6. 2. *et seq.*

Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam : sic qui facit per vim judicium iniquum. *Eccli.* 20. 2. 3.

Væ — qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. *Isa.* 5. 23.

Væ qui condunt leges iniquas : et scribentes, injustitiam scripserunt : ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? etc. *Ibid.* 10. 1. *et seq.*

Quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto. *Ibid.* 61. 8.

Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non dixerunt, et judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? etc. *Jerem.* 5. 28. 29.

JUDICIUM *hominum. V.* **Opinio.**

JUDICIUM.— *Judicum officium et potestas.*

Quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum, justitiæ in absynthium : qui lætamini in nihilo — Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem : et conteret vos. *Amos* 6. 13. *et seq.*

Altera autem die sedit Moyses, ut judicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam. *Exod.* 18. 13. Provide autem de omni plebe viros potentes (scil. sapientes), et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam : et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore : quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent; leviusque sit tibi, partito in alios onere. *v.* 21. *et* 22.

(Proponuntur præcepta judicialia quoad emptitios servos, et ancillas, furta, homicidia, parricidia, plagium, parentum ma-

ledicta, rixas et talionis pœnas, etc.) *Ibid.* *c.* 21.

(Furti dammique illati pœna, depositi, commodati, conducti, atque stupri lex : idolatriæ supplicium : advenæ, viduæ, et pupillis nocentium pœnæ : mutui, usuræ, et pignoris, ac obedientiæ et decimarum leges poponuntur). *Ibid. c.* 22.

(Proponuntur leges præfixæ judicibus : bos et asinus inimici servandus : non accipienda a judicibus munera : de anni et diei septimi quiete, tribusque festis præcipuis, de Angelo in ducem itineris præmittendo, et præmio servantium præcepta tractatur). *Ibid. c.* 23.

Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo, etc. *Lev.* 19. 15.

Locutusque est Moyses ad filios Israel, et eduxerunt eum (scilicet filium mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel), qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi. *Ibid.* 24. 23.

Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. *Deut.* 1. 13. Præcepique eis, dicens : Audite illos, et quod justum est judicate : sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. *v.* 16. *et* 17.

Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas : ut judicent populum justo judicio. *Ibid.* 16. 18. *Item. Cap.* 17. (præscribuntur variæ leges, etc.)

Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies. *Ibid.* 18. 15.

Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices : quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis. Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis; prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus : ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant. *Deut.* 25. 1. *et seq.*

Maledictus qui pervetit judicium advenæ, pupilli, et viduæ, et dicet omnis populus : Amen. *Ibid.* 27. 19.

Et ait Josue ad Achan : Fili, mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. *Josue* 7. 19.

Factum est autem, cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices in Israel, etc. 1. *Reg.* 8. 1. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus : sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium, etc. *v.* 3.

Dixitque (Samuel) ad eos (scilicet populum Israel) : Testis est Dominus adversum vos, testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. *Ibid.* 12. 5.

Constituitque (rex Josaphat) judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis, per singula loca, et præcipiens judicibus : Videte, ait, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini : et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Paral.* 19. 5. *et seq.*

In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis, quam mater. *Eccli.* 4. 10.

Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. *Ibid.* 10. 1. *V. Prov.* 28. 15. *et c.* 29. 12.

Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? judicate egeno et pupillo : humilem et pauperem justificate, etc. *Psal.* 81. 2. 3.

Accipere personam impii (in judicio), non est bonum, ut declines a veritate judicii. *Prov.* 18. 5. *V. c.* 10. 6. *c.* 24. 23. *et Isa.* 1. 23.

Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, et Deus sanctificabitur in justitia. *Isa.* 5. 16.

Væ qui condunt leges iniquas : et scribentes, injustitiam scripserunt : ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei : ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. *Ibid.* 10. 1. 2.

Quia (dicit Dominus populo Jerusalem) inventi sunt in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo : ideo magnificati sunt et ditati. Incrassati sunt et impinguati : et præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea? *Jerem.* 5. 26. *et seq.*

(Parabolam hanc dixit Christus) : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se (judex) : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor : tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me. Ait autem Dominus : Audite, quid judex iniquitatis dicit : Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. *Luc.* 18. 2. *et seq.*

Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam, etc. *Ibid.* 23. 13. At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. *v.* 23. *et* 24.

Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. *Joan.* 7. 24.

Vos secundum carnem judicatis (ait Jesus) : ego non judico quemquam : et si judico ego, judicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater. *Ibid.* 7. 15. 16.

Etenim si introierit in conventum vestrum vir, aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis : Tu sta illic : aut sede sub scabello pedum meorum : nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? *Jacob.* 2. 2. *et seq.*

JUDICIUM. — *Judex universi mundi est Deus. V.* **Deus.**

JUDICIUM. — *Judex Ecclesiæ et controversiarum est Papa, et sublegati ejus.*

(Moyses de omnibus religionis controversiis Hebræo populo respondit : et licet alios minores judices statuerit, summam tamen potestatem sibi reservavit). *Exod.* 18. 13. *et seq.*

(Jubet Deus, ad summum sacerdotem omnia referri, quæ in populo controvertebantur). *Deut.* 17. 9.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis; morietur homo ille, etc. *Ibid. v.* 12. *V. Rom.* 13. 2.

In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus. 2. *Par.* 19. 8.

Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras. *Eccles.* 12. 11. 12.

Interroga sacerdotes legem. *Aggæi* 2. 12.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7. *V.* 2. *Paral.* 19. 10. 11.

(Petro claves Ecclesiæ et regni cœlorum datæ sunt, et consequenter ejus successoribus). *Matth.* 16. 19. *V. et. v.* 18. *Item Joan.* 21. 17.

(Qui) Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Ibid.* 18. 17. *V. et. Cap.* 23. 3.

Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. (Ergo et successorum.) *Luc.* 22. 32.

JURAMENTUM. — *Jurare quatenus liceat, et quam variis modis contingat jurare.*

(Abraham respondit regi Sodomorum) : Levo manum meam ad Dominum Deum meum excelsum, possessorem cæli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad

corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas : Ego ditavi Abraham. *Gen.* 14. 22. 23.

Jura ergo per Deum (dixit Abimelech et Phicol princeps exercitus ejus ad Abraham), ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meæ : sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, et terræ, in qua versatus es advena. Dixitque Abraham : Ego jurabo. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerunt servi ejus. *Ibid.* 21. 23. *et seq.* *V.* 24. 3.

Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. *Ibid.* 22. 15. *et seq.*

Ille (Esau) respondit (Jacob fratri suo) : En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Jacob : Jura ergo mihi. Juravit ei Esau, et vendidit primogenita. *Ibid.* 25. 32. 33.

Et peregrinare in ea (scilicet terra, quam dixero tibi), eroque tecum, et benedicam tibi (Isaac) : tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo, etc. *Ibid.* 26. 3. Qui responderunt (scilicet Abimelech et Ochozath amicus ejus, et Phicol dux militum ad Isaac) : Vidimus tecum esse Dominum, et idcirco nos diximus : Sit juramentum inter nos, et ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali : sicut et nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet : sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini. Fecit ergo eis (Isaac) convivium, et post cibum et potum, surgentes mane, juraverunt sibi mutuo : dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum. *v.* 27. *et seq.*

Deus Abraham, et Deus Nachor, judicet nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac : immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem. *Ibid.* 31. 53. 54.

Exploratores estis (ait Joseph fratribus suis venientibus in Ægyptum pro emendis frumentis) : Jam nunc experimentum vestri capiam : per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. *Ibid.* 42. 14. 15.

Cui respondit Joseph (scilicet Jacob morituro, petenti ut condatur in sepulcro patrum suorum, et non in Ægypto, ubi Joseph erat princeps) : Ego faciam, quod jussisti. Et ille : Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput. *Ibid.* 47. 30. *V. Cap.* 50. 5.

Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum : eo quod adjurasset filios Israel, dicens : Visitabit vos Deus : efferte ossa mea hinc vobiscum. *Exod.* 13. 19.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum : nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. *Ibid.* 20. 7.

Jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui : suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. *Ibid.* 22. 11.

Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. *Ibid.* 23. 13.

Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, etc. *Lev.* 5. 4. 5.

Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui : ego Dominus. *Ibid* 19. 12.

(Agitur de voto ac juramento virorum, et quando puellarum et uxorum vota seu juramenta rata sint, vel irrita). *Num.* *c.* 30.

Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. *Deut.* 6. 13. *V. c.* 7. 8.

Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies : ipsi adhærebis, jurabisque in nomine illius. *Ibid.* 10. 20.

Nunc ergo jurate mihi per Dominum (dixit Rahab exploratoribus), ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei : detisque mihi verum signum. *Josue* 2. 12.

Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Josue : Ingredimini domum mulieris meretricis (scilicet Rahab), et producite eam, et omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis. *Ibid.* 6. 22.

Fecitque Josue cum eis (id est Gabaonitis) pacem, et inito fœdere pollicitus est,

quod non occiderentur : principes quoque multitudinis juraverunt eis. *Ibid.* 9. 15.

Ne postquam intraveritis ad Gentes (dixit Josue filiis Israel), quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine Deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos : sed adhæreatis Domino Deo vestro : quod fecistis usque in diem hanc. *Ibid.* 23. 7. 8.

Juraverunt quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt : Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem. *Judic.* 21. 1. Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione, qua diximus : Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem filiis Benjamin. *v.* 18. *V. v.* 7.

Et viri Israel sociati sunt sibi (Sauli) in die illa : adjuravit autem Saul populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. 1. *Reg.* 14. 24.

Quare ergo peccas (ait Jonathas Sauli) in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa? Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit : Vivit Dominus, quia non occidetur. *Ibid.* 19. 5. *V. c.* 24. 23. *c.* 25. 34.

(Pepigit Jonathas fœdus cum David in Domino, et juraverunt ambo). *Ibid.* 20. 3.

Et juravit ei Saul (scilicet Pythonissæ) in Domino, dicens : Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. *Ibid.* 28. 10. *V. c.* 30. 15.

Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens : Hæc faciat mihi Dominus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam. 2. 3. 35.

Nunc igitur surge, et procede (ait Joab David lugenti mortem filii Absalom), et alloquens satisfac servis tuis : juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac : et pejus erit hoc tibi, quam omnia mala, quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens. *Ibid.* 19. 7. *V. c.* 21. 2. 17.

Vade (ait Nathan Bethsabee), et ingredere ad regem David, et dic ei : Nonne tu domine, mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens : Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo? Quare ergo regnat Adonias? 3. *Reg.* 1. 13. Vocate ad me Bethsabee (dixit David). Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, juravit rex, et ait : Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens : Salomon filius tuus regnabit post me : et ipse sedebit super solium meum pro me : sic faciam hodie. *v.* 28. *et seq.* Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan propheta in regem super Israel. *v.* 34. *V. c.* 2. 8. *et* 23.

Si peccaverit homo in proximum suum (dixit Salomon Domino), et habuerit aliquod juramentum, quo teneatur adstrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam ; tu exaudies in cœlo, et facies, et judicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam. *Ibid.* 8. 31. *Idem verbatim habetur.* 2. *Paral.* 6. 22.

Hæc mihi faciant Dii (dixit Jezabel mittens nuncium ad Eliam), et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. *Ibid.* 19. 2. *V. c.* 17. 1. 12. *c.* 20. 10. *Item* 4. *Reg.* 2. 2.

Juraveruntque Domino voce magna in jubilo, et in clangore tubæ, et in sonitu buccinarum, omnes qui erant in Juda cum execratione : in omni enim corde suo juraverunt, et in tota voluntate quæsierunt eum, et invenerunt : præstititque eis Dominus requiem per circuitum. 2. *Paral.* 15. 14. *V. c.* 36. 13.

Surrexit ergo Esdras, et adjuravit principes sacerdotum et Levitarum, et omnem Israel, ut facerent secundum verbum hoc : et juraverunt. 1. *Esdr.* 10. 5.

(Recensentur qui fœdus initum signarunt, quo pollicentur et jurant, se servaturos universa Dei præcepta). 2. *Esdr.* *c.* 10.

(Nabuchodonosor victo rege Medorum, cunctis regnis imperare cupiens, nuntios ad ea mittit, quibus absque honore remissis, indignatus, jurat se id ulturum). *Judith.* *c.* 1. *V.* 1. *Mach.* 6. 61. 62.

Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam, quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. *Job.* 27. 2. *et seq.*

Qui jurat proximo suo, et non decipit,

qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit (habitabit in tabernaculo tuo, Domine). *Psal.* 14. 4. 5.

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. *Psal.* 23. 4. 5.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo : quia obstructum est os loquentium iniqua. *Psal.* 62. 12.

Disposui testamentum electis meis : juravi David servo meo : usque in æternum præparabo semen tuum. *Psal.* 88. 4. 5.

Et isti non cognoverunt vias meas : ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. *Psal.* 94. 11. *V. Psal.* 101. 9.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum ; tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Psal.* 109 4.

Jurationi non assuescat os tuum ; multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis ; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur : sic omnis jurans et nominans, in toto a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit (juramentum), delictum illius super ipsum erit : et si dissimulaverit, delinquit dupliciter : et si in vacuum juraverit, non justificabitur : replebitur enim retributione domus illius. *Eccli.* 23. 9. *et seq.* Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum : est enim illa verbum peccati. *v.* 17.

Juravit Dominus exercituum, dicens : Si non, ut putavi, ita erit : et quomodo mente tractavi, sic eveniet : ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum : et auferetur ab eis jugum ejus, et onus illius ab humero eorum tolletur. *Isa.* 14. 24. *V. c.* 19. 18.

In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur : quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. *Ibid.* 45. 23. 24.

Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi, ne inducerem aquas Noe ultra supra terram : sic juravi, ut non irascar tibi, et non increpem te. *Ibid.* 54. 9.

Et jurabis (Israel) : Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia : et benedicent eum Gentes, ipsumque laudabunt. *Jerem.* 4. 2. *V. c.* 5. 2.

Super quo (scilicet idololatria tua et iniquitate) propitius tibi esse potero ? Filii tui dereliquerunt me, et jurant in his, qui non sunt Dii : saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. *Ibid.* 5. 7. *V. c.* 44. 26.

Si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum jurare in Baal : ædificabuntur in medio populi mei. *Ibid.* 12. 16.

Quod si non audieritis verba hæc : in memetipso juravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc. *Ibid.* 22. 5.

Juravit Dominus exercituum per animam suam : Quoniam replebo te hominibus quasi brucho, et super te celeuma cantabitur. *Ibid.* 51. 14.

Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda : et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bathaven, neque juraveritis : Vivit Dominus. Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel. *Oseæ.* 4. 15. 16.

Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem (ejus) cum habitatoribus suis. *Amos.* 6. 8. *V. c.* 8. 7.

Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerusalem : et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina æedituorum cum sacerdotibus : et eos, qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant, et jurant in Domino, et jurant in Melchom. Et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. *Soph.* 1. 4. *et seq.*

Juramentum mendax ne diligatis : omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. *Zach.* 8. 17.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis : Non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua. *Matth.* 5. 33.

Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum nihil est : qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti et cæci ! Quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum : Et quicumque juraverit in altari nihil est ? quicumque autem juravit in dono, quod est super illud, debet, Cæci ! Quid enim

majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum ? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus, quæ super illud sunt. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo, qui habitat in ipso : et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super eum. *Ibid.* 23. 16. *et seq.* *V. Hebr. cap.* 6. 13.

Homines enim per majorem sui jurant : et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. *Hebr.* 6. 16.

(Apostolus Paulus multoties legitur jurasse in suis Epistolis : sic enim ait) : Testis enim mihi est Deus, cui servio. *Rom.* 1. 9. Ego autem testem Deum invoco in animam meam, etc. 2. *Cor.* 1. 23. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit, quod non mentior. *Ibid.* 11. 31. Ecce coram Deo, quia non mentior. *Gal.* 1. 20.

JURAMENTUM. — *Jurandum non est temere, nec per cœlum, nec per terram, nec per aliquid, quod in eis est.*

Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis : neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester : est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. *Matth.* 5. 34. *et seq.*

Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester : est, est : non, non : ut non sub judicio decidatis.

JURAMENTUM *etiam hosti factum, non frangendum.*

(Juramentum Gabaonitis, etiam infidelibus et fraudulentis, factum Josue non violavit : sed vita salva, ad altaris ministerium eos adstrinxit). *Josue* 9. 15. *et seq. usq. ad finem.*

(Quia Saul iisdem Gabaonitis, quibus juraverunt filii Israel, jusjurandum violavit, omnis ejus familia, excepto Miphiboseth, suspensa est sub rege David, quando ob eam perfidiam fames triennalis immissa fuit super terram). 2. *Reg.* 21. 1. *et seq.*

(Sedesias Nabuchodonosori Ethnico juramentum dederat, se in ipsius dominatione permansurum. Sed ubi juramentum fregit, a Nabuchodonosore defecit, et ad Ægypti regem transfugit ; vastatum est ejus regnum, direpta urbs sancta, et ipse cum filiis interiit). *Jerem. c.* 39. *et* 52.

JURAMENTUM. — *Juramenta et vota impia non implenda.*

(Gratias agit Deo David, quod ad preces Abigail non occiderit Nabal maritum ejus, sicut in iracundia se facturum juraverat). 1 *Reg.* 25. 32. *et seq. usq. ad v.* 40.

(Peccavit Saul, temere et inconsulto vovendo, neminem, qui secum erant, aliquid gustare debere, nisi prius confecisset omnes suos hostes). 1. *Reg.* 14. 24. *V. reliquum capitis.*

(Jephte pugnaturus contra filios Ammon), votum vovit Domino, dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit — eum holocaustum offeram Domino. (Unde postea filiam suam unigenitam, quæ prima ei occurrit, immolavit. Sed tale votum non erat licitum, multo minus adimpletio voti). *Judic.* 11. 30. *et seq.*

JURGIUM. *V.* **Contentio.**

JUSTITIA *et* **ÆQUITAS.** — *Justi veri in hac vita.*

(Impium et crudele votum fecerunt Judæi illi, qui accedentes ad principes sacerdotum, dixerunt), se neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. *Act.* 23. 12. *et. seq.*

Erant autem justi ambo ante Deum (scilicet Zacharias, et Elisabeth uxor illius), incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela, etc. *Luc.* 1. 6. *V. Psal.* 23. 4. *et* 67. 4. *et* 124. 4. *et* 127. 4. *Item.* 3. *Reg.* 14. 8. *et* 4. *Reg.* 13. 25.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. *Ibid.* 15. 7.

Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. *Joan.* 8. 36. *V. Ephes.* 1. 4.

Et pro eis ego sanctifico me ipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. *Ibid.* 17. 19.

Et hæc quidam fuistis (scilicet fornicarii, idolis servientes, adulteri etc.) : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed

justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor*. 6. 11.

Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem cælestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi Mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel. *Hebr*. 21. 22 *et seq.*

Et justum Lot oppressum a nefandorum injuria aut luxuriosa conversatione eripuit (scilicet Deus). Aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. 2. *Petr*. 2. 7. 8.

Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. 1. *Joan*. 3. 1. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat, etc. *v*. 7. *V. c.* 2. 5.

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua : et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. *Apoc*. 3. 4.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, et in ore eorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt ante thronum Dei. *Ibid*. 14. 4. 5.

JUSTITIA. — *Justitiæ summa perfectio non habetur in hac vita, in qua sine peccato non vivimus.*

Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore : pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra. *Gen*. 6. 5. 6.

Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines (ait Dominus ad Noe) : sensus enim et cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua : non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci. *Ibid*. 8. 21.

Qui custodis misericordiam in millia : qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. *Exod*. 34. 7.

Dominus patiens, et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. *Num*. 14. 18.

(Ait Salomon Domino) : Quod si peccaverint tibi (filii Israel) (non est enim homo, qui non peccet), et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, etc. 2. *Reg*. 8. 46. *et seq. Item* 2. *Paral*. 6. 36. *et seq.*

Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? *Job* 4. 17.

Vere scio (ait Job), quod ita sit (scilicet quod qui viderunt Dominum, induentur confusione), et quod non justificetur homo compositus Deo. *Ibid*. 9. 2. Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. *v*. 15. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. *v*. 20.

Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus, natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus: quanto magis homo putredo, et filius homnis vermis? *Ibid*. 25. 4. 5. 6.

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. *Psal*. 13. 1. *Idem habetur Psal*. 52. 1. 2.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea. *Psal*. 50. 7.

Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit? *Psal*. 129. 3.

Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Psal*. 142. 2.

Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato? *Prov*. 20. 9. *V. Sap*. 12. 20.

Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. *Eccles*. 7. 21.

A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. *Isa*. 64. 4.

Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum

Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum (filiis Israel et Juda). *Jerem.* 2. 19.

Tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te : faciam enim consummationem in cunctis Gentibus, in quibus dispersi te : te autem non faciam in consummationem : sed castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius (ait Dominus populo Israel), etc. *Ibid.* 30. 11.

Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est : omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. *Mich.* 7. 2. *V. Nahum.* 1. 3.

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth.* 6. 12. *V. c.* 15. 19.

Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. *Luc.* 17. 3. Sic et vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. *v.* 10.

Quid ergo? præcellimus eos (scilicet Judæos)? Nequaquam. Causati enim sumus, Judæos, et Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est : Quia non est intelligens, non est requirens Deum. *Rom.* 3. 9. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. *v.* 23. *V. Ephes.* 2. 3.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. *Galat.* 3. 22.

Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8.

JUSTITIA. — *Justi bene ordinantur erga Deum.*

Et tenebit justus viam suam. *Job.* 17. 9.

Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. *Ibid.* 27. 6.

Lex Dei ejus in corde ipsius (scil. justi). *Psal.* 36. 31.

Paratum cor ejus (scil. justi) sperare in Domino. *Psal.* 111. 7.

Simplicitas justorum diriget eos : et supplantatio perversorum vastabit illos. *Prov.* 11. 3.

Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Ibid.* 18. 10.

Sunt justi atque sapientes : et opera eorum in manu Dei. *Eccles.* 9. 1.

Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam : in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel : et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit : et hominem non contristaverit : pignus debitori reddiderit : per vim nihil rapuerit : panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento : ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit : ab iniquitate averterit manum suam, et judicium verum fecerit inter virum et virum : in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem : hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus. *Ezech.* 18. 5. *et seq.*

Si scitis, quoniam justus est (Deus), scitote, quoniam et omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est. 1. *Joan.* 2. 29.

JUSTITIA. — ... *erga proximum in verbo.*

(Dixit Jacob ad Laban): Respondebitque mihi cras justitia mea. *Gen.* 30. 33.

Os justi meditabitur sapientiam : et lingua ejus loquetur judicium. *Psal.* 36. 30.

Vena vitæ, os justi : et os impiorum operit iniquitatem. *Prov.* 10. 11.

Argentum electum lingua justi. — Labia justi erudiunt plurimos. *v.* 20. *et* 21. Os justi parturiet sapientiam — Labia justi considerant placita. *v.* 31. *et* 32.

Justus, prior est accusator sui. *Ibid.* 18. 17.

JUSTITIA. — ... *in opere.*

(Abraham volens separari a Lot nepote suo, dedit ei optionem, ut eligeret partem, quam vellet : et sic pulchre poterit partitio fieri, ut major dividat, et minor eligat). *Gen.* 13. 9.

(Testimonio Domini justam rem postulaverant filiæ Salphaad, quæ in hæreditate paterna succedere a Moyse petierunt). *Num.* 27. 6.

(Constituit David, et quasi pro lege habitum est, ut æqua esset pars descendentis ad prælia, et remanentis ad sarcinas). 1. *Reg.* 30. 24. 25.

(Audiens Tobias vocem hædi), dixit : Videte, ne forte furtivus sit : reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. *Tob.* 2. 21.

Opus justi ad vitam : fructus autem impii ad peccatum. *Prov.* 10. 16.

Cogitationes justorum, judicia. *Ibid.* 12. 5.

Noli esse justus multum : neque plus sapias, quam necesse est. *Eccles.* 7. 17.

JUSTITIA. — ... *plene remunerantur, quantum ad se : et contra.*

(Rex Adonibezec comprehensus a filiis Israel, dixit) : Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias : sicut feci, ita reddidit mihi Deus. *Judic.* 1. 7.

(Adducto Agag rege Amalec coram Samuele, ei) ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. 1. *Reg.* 15. 33.

(Dixit David ad Saul, qui eum injuste persequebatur) : Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam. *Ibid.* 26. 23.

(David noluit accipere gratis ab Areuna Jebusæo aream, quam habere volebat, sed justo pretio mediante. 2. *Reg.* 24. 24.

(Præcepto regis Assueri superbus et iniquus Aman suspensus est in illo eodem patibulo, quod ipse paraverat Mardochæo, et hostes Judæorum eodem die ab ipsis Judæis occisi sunt, quo Judæos illi occidere putaverunt). *Esther. c.* 7. *et* 8.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. *Psal.* 17. 21. *V. v.* 25. *Item* 2. *Reg.* 22. 21. *et* 25.

Multæ tribulationes justorum — Custodit Dominus omnia ossa eorum. *Psal.* 33. 20. 21.

Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur. *Psal.* 91. 13.

Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. Lætamini, justi, in Domino : confitemini memoriæ sanctificationis ejus. *Psal.* 96. 11. 12.

Justorum autem semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. *Prov.* 4. 18.

Benedictio Domini super caput justi, etc. *Ibid.* 10. 6. Desiderium suum justis dabitur, etc. *v.* 24.

Justitia rectorum liberabit eos, etc. *Ibid.* 11. 6. Justus de angustia liberatus est : et tradetur impius pro eo. *v.* 8. Fructus justi lignum vitæ. *v.* 30. *V. v.* 5. *et* 23. *et.* 31.

Non constristabit justum quidquid ei acciderit, etc. *Ibid.* 12. 21.

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis, etc. *Sap.* 3. 1.

Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Ibid.* 4. 7.

Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. *Ibid.* 5 1. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teget eos, etc. *v.* 16. *et* 17.

Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet, etc. *Isa.* 3. 10.

(Contra Babylonem prophetans Jeremias, ait) : Reddite ei secundum opus suum : juxta omnia, quæ fecit, facite illi. *Jerem.* 50. 29.

Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. *Ezech.* 18. 20.

(Jubente Dario rege, viri, qui accusaverunt Danielem, missi sunt in lacum leonum), et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt. *Dan.* 6. 24.

(Fecit populus duobus presbyteris, qui inique accusaverant Susannam), sicut male egerant adversus proximum — et interfecerunt eos. *Ibid.* 13. 61. 62.

(In eodem loco, in quo Andronicus injuste occiderat Oniam summum sacerdotem, fecit eum vita privari, purpura prius exutum, Antiochus). 2. *Mach.* 4. 34. *et* 38.

(Impius Jason), qui insepultos multos abjecerat, ipse et illamentatus, et insepultus abjicitur, (nec propriam, nec peregrinam habens sepulturam). *Ibid.* 5. 10.

(Antiochus) homicida et blasphemus pessime percussus, et ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili abitu vita functus est. *Ibid.* 9. 28.

Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. *Matth.* 13. 43. *V. Dan.* 12. 3.

(A servo nequam, qui noluit dimittere conservo suo centum denarios, merito repetiit dominus universum debitum, quod liberaliter prius dimiserat illi). *Ibid.* 18. 34.

Justi autem (ibunt) in vitam æternam. *Ibid.* 25. 46.

JUSTITIA. — ... *Quantum ad prolem.*

Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur et commodat : et semen illius in benedictione erit, etc. *Psal.* 36. 25. 26.

Semen autem justorum salvabitur. *Prov.* 11. 21. Desiderium justorum omne bonum est, etc. *v.* 23.

Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. *Ibid.* 20. 7.

Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. Cum semine eorum permanent bona : hæreditas sancta nepotes eorum, etc. *Eccli.* 44. 10. *et seq.*

JUSTITIA. — ... *ad famam.*

In memoria æterna erit justus. *Psal.* 111. 7.

Memoria justi cum laudibus : et nomen impiorum putrescet. *Prov.* 10. 7.

Et nomen eorum vivit in generationem et generationem. *Eccli.* 44. 14.

Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria. *Ibid.* 46. 15.

JUSTITIA. — ... *ad substantiam temporalem.*

Si declinavit gressus meus de via, et si secutum est oculos meos cor meum, et si in manibus meis adhæsit macula : seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur. *Job.* 31. 7. 8.

Justi autem hæreditabunt. *Psal.* 36. 29.

Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea. Impii vero de terra perdentur : et qui inique agunt, auferentur ex ea. *Prov.* 2. 21. 22.

Egestas a Domino in domo impii : habitacula autem justorum benedicentur. *Ibid.* 3. 33.

Non affliget Dominus fame animam justi : et insidias impiorum subvertet. *Ibid.* 10. 3. *V. v.* 2.

Domus impiorum delebitur : tabernacula vero justorum germinabunt. *Ibid.* 14. 11.

Domus justi plurima fortitudo, etc. *Ibid.* 15. 6.

Sunt justi, quibus (multa) mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum : et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. *Eccles.* 8. 14

JUSTITIA. — *Justos mali abominantur.*

Considerat peccator justum, etc. *Psal.* 36. 32.

Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi : neque vastes requiem ejus. *Prov.* 24. 15.

Abominantur justi virum impium : et abominantur impii eos, qui in recta sunt via. *Ibid.* 29. 27.

Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. *Sap.* 2. 12. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. *v.* 15.

Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat : a facie enim malitiæ collectus est justus. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua. *Isa.* 57. 1. 2.

JUSTITIA. — *Justi an simus, non certe scire possumus, nec de salute æterna certi esse.*

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, etc. *Job* 9. 20. 21. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti, etc. *v.* 28.

Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi? *Ibid.* 31. 14.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me (Domine), et ab alienis parce servo tuo. *Psal.* 18. 13. 14.

Quis potest dicere : Mundum est cor meum? purus sum a peccato? *Prov.* 20. 9.

Beatus homo, qui semper est pavidus. *Ibid.* 28. 14.

Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta. *Eccles.* 9. 1. 2.

De propitiato peccato noli esse sine metu. *Eccli.* 5. 5.

Forsitan ignoscet (Deus) delictis tuis. *Dan.* 4. 24.

Pœnitentiam itaque age, etc. (dixit Petrus Simoni mago) si forte remittatur tibi. *Act.* 8. 22.

Propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20. *V.* 1. *Cor.* 10. 12. *Hebr.* 4. 1.

Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque me

ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. 1. *Cor*. 4. 3. 4.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Phlipp*. 2. 12.

In timore incolatus vestri tempore conversamini. 1. *Petr*. 1. 17. *V. Hebr*. 3. 14.

JUSTIFICATIO. — *Justitia nostra est per Christum; et primam justificationem, et peccatorum remissionem nulla bona merita præcedunt.*

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. *Gen*. 15. 6.

In Domino justificabitur, et laudabitur omne semen Israel. *Isa*. 45. 26.

De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium : propter scelus populi mei percussi eum. *Ibid*. 53. 8.

In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter : et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. *Jerem*. 23. 6. *Idem verbatim habetur c*. 33. 16.

Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet. *Habac*. 2. 4.

Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. *Zach*. 9. 11.

Huic (Christo) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. *Act*. 10. 43.

In hoc (scilicet Christo) omnis, qui credit, justificatur. *Ibid*. 13. 39.

Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem : sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. *Rom*. 1. 17.

Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes, qui credunt in eum : non enim est distinctio. *Ibid*. 3. 22. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. *v*. 24. *V. et. v*. 20.

Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. *Ibid*. 5. 1. *V. et v*. 18.

Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti. *Ibid*. 10. 4. Corde — creditur ad justitiam ; ore autem confessio fit ad salutem. *v*. 1. 10.

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. 1. *Cor*. 1. 30.

Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis : propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. *Galat*. 2. 16.

Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit. *Ibid*. 3. 11.

Nos enim spiritu ex fide, spem justitiæ exspectamus. *Ibid*. 5. 5.

Et inveniar (ait Paulus) in illo (scil. Christo), non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu, etc. *Philipp*. 3. 9.

Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. *Tit*. 3. 7.

Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. 1. *Petr*. 3. 18.

JUSTIFICATIO *formalis consistit in justitia positiva intrinseca.*

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem. justi constituentur multi. *Rom*. 5. 19. *V. integrum Caput. Item c*. 8. *v*. 11. *et* 30.

Sed abluti estis, sed sanctificati estis, etc. 1. *Cor*. 6. 11.

Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. *Ephes*. 4. 23. *V. Rom*. 6. 4.

Convivificavit cum illo (scil. vos cum Christo), donans vobis omnia delicta, etc. *Coloss*. 2. 13.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo (scil. videndi Deum,) sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan*. 3. 3.

JUSTIFICATIO, *qua quis ex justo fit justior, acquiritur bonis operibus.*

Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari ; quoniam merces Dei manet in æternum. *Eccli*. 18. 22.

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. *Rom*. 2. 13.

Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? *Jac.* 2. 21. Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? *v.* 24.

Qui nocet, noceat adhuc : et qui in sordibus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc, etc. *Apoc.* 22. 11.

JUSTIFICATIO *impii non solum fidei adscribitur, sed etiam aliis virtutibus : ut spei.*

Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos : quia speraverunt in eo. *Psal.* 36. 40.

Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? *Rom.* 8. 24.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan.* 3. 3.

JUSTIFICATIO *caritati attribuitur.*

Ego sum Dominus Deus tuus — faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. *Exod.* 20. 5. 6.

Odium suscitat rixas : et universa delicta operit caritas. *Prov.* 10. 12.

Propter quod dico tibi (Simon Pharisæe, quia non unxisti caput meum oleo, sicut Magdalena): Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. *Luc.* 7. 47.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14. 23.

Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13. 3.

Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per caritatem operatur. *Galat.* 5. 6.

Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes : quia caritas operit multitudinem peccatorum. 1. *Petr.* 4. 8.

Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. 1. *Joan.* 3. 14.

Carissimi, diligamus nos invicem : quia caritas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum : quoniam Deus caritas est. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. *Ibid.* 4. 7. *et seq.*

JUSTIFICATIO *timori adscribitur.*

Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *Prov.* 14. 27.

Initium sapientiæ timor Domini. *Psal.* 110. 10. 28. *V. Prov.* 1. 7. *et c.* 9. 10. *Item. Eccli.* 1. 16.

Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari. *Eccli.* 1. 27.

JUSTIFICATIO... *pœnitentiæ operibus.*

Sed misereris omnium (Domine), quia omnia potes : et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. *Ezech.* 18. 21. 22.

Pœnitentiam agite (dicebat Joannes Baptista) : appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3. 2.

(Proponitur exemplum Magdalenæ, cui dixit Jesus) : Remittuntur tibi peccata, etc. *Luc.* 7. 48.

Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. *Ibid.* 13. 3. *V. v.* 5.

(Proponitur exemplum filii prodigi), *Ibid. c.* 15. *et c.* 18. (proponitur exemplum Publicani).

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. 2. *Cor.* 7. 10. *V.* 1. *Petr.* 2. 10.

JUSTIFICATIO *et veniæ inimicis dandæ.*

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth.* 6. 12. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *v.* 15. *Item Marc.* 11. 26.

JUSTIFICATIO. — *Non sola fides justificat.*

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare

eum? *Jacob.* 2. 14. Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. *v.* 17. Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est? *v.* 21. Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? *v.* 24. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est. *v.* 26.

L

LABOR *et dolor communis omnibus hominibus.*

Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, (non ut otiosus, etiam in statu innocentiæ, in eo degeret, sed) ut operaretur, et custodiret illum. *Gen.* 2. 15.

Adæ vero dixit (Deus) : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Ibid.* 3. 17. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. *v.* 19.

Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. *Exod.* 20. 9 *Item. c.* 34. 21. *Idem verbatim habetur. Deut.* 5. 13.

Anna vero uxor ejus (Tobiæ) ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. *Tob.* 2. 19.

Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit. *Psal.* 127. 2.

Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. *Prov.* 6. 6. *et seq.*

Egestatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat. *Ibid.* 10. 4.

Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est : ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis. *Ibid.* 14. 4.

(Mulierem fortem laudat Salomon dicens) : Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. *Ibid.* 31. 13. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. *v.* 15. De fructu manuum suarum plantavit vineam. *v.* 16. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. *v.* 19. Et panem otiosa non comedit. *v.* 27.

Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat : saturitas autem divitis non sinit eum dormire. *Eccles.* 5. 11.

Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio. *Eccli.* 29. 29.

(Indicat Deus populo per Prophetam Aggæum, quod plurima mala venerint super eos, eo quod non admovissent manus suas ad ædificationem templi). *Aggæi* 1. 10.

(Paterfamilias laborantibus in vinea, mercedem solvit). *Matth.* 20. 8.

(Christus videns laborantes discipulos in remigando, venit ad eos super mare). *Marc.* 6. 48.

Dicit eis Simon Petrus (scil. Nathanaeli et filiis Zebedæi) : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim : et illa nocte nihil prendiderunt. *Joan.* 21. 3.

(Christus manifestat se discipulis laborantibus). *Ibid. v.* 6.

(Paulus, veniens Corinthum), et inveniens quemdam Judæum, nomine Aquilam — et Priscillam uxorem ejus — accessit ad eos : et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur (erant autem scenofactoriæ artis). *Act.* 18. 1. *et. seq.*

Ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos. *Ibid.* 20. 34. 35.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris, etc. 1. *Cor.* 4. 10. *et seq.*

Qui furabatur, jam non furetur : magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. *Ephes.* 4. 28.

Memores enim estis, fratres, laboris

nostri et fatigationis : nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. 1. *Thess*. 2. 9. *V. c*. 4. 11. *et c*. 5. 12.

Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos : quoniam non inquieti fuimus inter vos : neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis : quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. 2. *Thess*. 3. 7. *et seq*.

LABOR *non ditat sine Dei benedictione.*

Adæ vero dixit (Deus) : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Gen*. 3. 17.

Et ait (Dominus ad Isaac) : Ne descendas in Ægyptum : sed quiesce in terra, quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi : tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo *Ibid*. 26. 2. 3. Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum : benedixitque ei Dominus. Et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. *v*. 12. *et* 13.

Ait illi (Jacob) Laban : Inveniam gratiam in conspectu tuo : experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te. *Ibid*. 30. 27.

Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. *Deut*. 8. 18.

Dominus autem benedixit novissimis Job, magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ. *Job* 42. 12.

Benedictio Domini divites facit nec sociabitur eis afflictio. *Prov*. 10. 22.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua : quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud, et si utrumque simul, melius erit. *Eccles*. 11. 6.

LABOR. — *Laboranti merces debetur.*

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. *Lev*. 19. 13.

Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est : sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam ; ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. *Deut*. 24. 14. 15.

Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. *Ibid*. 25. 4.

Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. *Tob*. 4. 15.

Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. *Eccli*. 7. 22.

Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. *Eccli*. 34. 25. *et seq*.

Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. *Jer*. 22. 13.

Et accedam ad vos (filios Levi) in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach*. 3. 5.

Dignus enim est operarius cibo suo. *Matth*. 10. 10. *Item Luc*.10. 7.

Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. 1. *Cor*.9. 9. Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. *v*. 14.

Non alligabis os bovi trituranti. Et : Dignus est operarius mercede sua. 1. *Tim*. 5. 18.

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. *Jac.* 5. 4.

LABOR. — *Laboris manuum, et agriculturæ laus et utilitas.*

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Prov.* 12. 11. *V. Eccli.* 20. 30.

Vult et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur. *Ibid.* 13. 4.

In omni opere (tuo) erit abundantia : ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *Ibid.* 14. 23.

Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum : ut postea ædifices domum tuam. *Ibid.* 24. 27.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, replebitur egestate. *Ibid.* 28. 19.

LACRYMÆ *et fletus.*

(Flevit Agar, longe ab Ismaele discedens, nec voluit videre puerum morientem). *Gen.* 21. 16.

Venitque Abraham, ut plangeret et fleret eam (scil. Saram uxorem suam defunctam). *Ibid.* 23. 2.

(Ejulatu magno flevit Esau, quod benedictionem patris habuisset Jacob). *Ibid.* 27. 34.

Elevata voce flevit (Jacob, postquam recognoverat Rachel consobrinam suam). *Ibid.* 29. 10. 12.

(Stringens Esau collum Jacob, et osculans eum, flevit). *Ibid.* 33. 4.

Scissisque vestibus (Jacob), indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore. *Ibid.* 37. 34.

Commota fuerant viscera ejus (Joseph) super fratre suo (Benjamin), et erumpebant lacrymæ : et introiens cubiculum, flevit. *Ibid.* 43. 30.

Elevavitque vocem (Joseph) cum fletu. *Ibid.* 45. 2. *Item c.* 50. 1. (flevit super patre suo mortuo). *Et v.* 17. (super fratribus eum rogantibus, ut oblivisceretur peccati in eum commissi).

Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis (ex Ægypto), flagravit desiderio (carnium), sedens et flens. *Num.* 11. 4.

Igitur vociferans omnis turba, flevit nocte illa, et murmurati sunt contra Moysen et Aaron — dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto, etc. *Ibid.* 14. 1. 2. 3.

Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus, etc. *Ibid.* 20. 30.

(Filii Israel Moysen mortuum fleverunt triginta diebus). *Deut.* 34. 8.

(Angelus Domini venit ad locum flentium, et improperavit filiis Israel beneficia, quæ a Deo receperunt, et peccata, quæ commiserunt), elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. Et vocatum est nomen loci illius, Locus flentium, sive lacrymarum. *Judic.* 2. 1. *et seq.*

(Pugnaturi filii Israel contra filios Benjamin, fleverunt coram Domino). *Ibid.* 20. 23.

(Et postmodum, obtenta victoria, fleverunt propter destructionem fratrum suorum). *Ibid.* 21. 2.

(Recedente Noemi, ambæ nurus ejus) flere cœperunt. *Ruth* 1. 9.

Oravit (Anna) ad Dominum, flens largiter. 1. *Reg.* 1. 10. *V. et v.* 7.

(Audita obsidione Jabes Galaad), levavit omnis populus vocem suam, et flevit. *Ibid.* 11. 4.

Lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem super Israel. *Ibid.* 15. 35.

(David et Jonathas) osculantes se alterutrum, fleverunt pariter. *Ibid.* 20. 41.

(Saul audiens vocem David, qui pepercerat ei, elata voce flevit). *Ibid.* 24. 17.

(Videns David civitatem Siceleg esse succensam, et abductos homines inde captivos, planxerunt ipse et populus, qui erat cum eo), donec deficerent in eis lacrymæ. *Ibid.* 30. 4.

(Planxit David super Saul et Jonathan, et alios interfectos). 2. *Reg.* 1. 12. 17.

(David, et omnis populus fleverunt super Abner, quem occiderat Joab). *Ibid.* 3. 31. 32.

(Noluit David flere pro filio parvulo mortuo, et tamen flevit pro infirmo). *Ibid.* 12. 21.

(Quamvis Absalon exhibuerit se pessimum erga patrem, tamen David flevit eum miserabiliter mortuum). *Ibid.* 18. 33.

(Eliseus videns Hazaelem coram se, cœpit flere; propter mala, quæ ille erat facturus Israel cum ipse esset futurus rex Syriæ). 4. *Reg.* 8. 11.

Flevit itaque Ezechias fletu magno, (orans Dominum pro morte, quam sibi

imminere in proximo putabat). *Ibid.* 20. 3.

(Cum audisset Josias rex Juda comminationes scriptas in legis Libro propter peccata, scidit vestimenta sua, et flevit, et multum Deo placuit). 22. 19.

(Cum reædificaretur templum ab iis, qui redierunt de Babylone omnes) flebant voce magna — nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi. 1. *Esdr.* 3. 13.

(Orante Esdra et flente, propter commixtionem populi Gentilis cum Judæis), collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum et mulierum — et flevit populus fletu multo. *Ibid.* 10. 1. *et.* 6.

(Cum audisset Nehemias miserabilem statum civitatis Jerusalem, flevit diebus multis, et jejunavit, et oravit ante faciem Dei. 2. *Esdr.* 1. 4.

(Tobias) manducavit panem cum luctu et tremore, (quia corpus cujusdam jugulati Israelitæ in domo habebat, quod nocte tumulaturus erat). *Tob.* 2. 5.

(Postea, auditis sermonibus uxoris), ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis. *Ibid.* 3. 1.

(Sara filia Raguelis, audita ab ancilla gravi contumelia), cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. *Ibid.* *v.* 11.

(Cum recessisset a parentibus suis Tobias junior), cœpit mater ejus flere, et dicere : Baculum senecturis nostræ tulisti, etc. *Ibid.* 5. 23.

(Raguel, cognoscens Tobiam juniorem), cum lacrymis osculatus est eum, et plorans super collum ejus, etc. *Ibid.* 7. 6.

(Dixit quoque Raguel Angelo, et Tobiæ): Non dubito, quod Deus preces et lacrymas meas in conspectu suo admiserit. *Ibid.* *v.* 13. *V. et v.* 19.

(Veniens Gabelus ad domum Raguelis, et videns Tobiam juniorem discumbentem flevit et benedixit Deum). *Ibid.* 9. 8.

(Moram faciente Tobia), flebat igitur mater ejus, irremediabilibus lacrymis, atque dicebat : Heu heu me, fili mi ! ut quid te misimus peregrinari ? etc. *Ibid.* 10. 4.

(Exurgens cæcus Tobias, occurrit filiolo suo redeunti), et suscipiens, osculatus est eum cum uxore sua, et cœperunt ambo flere præ gaudio. *Ibid.* 11. 11.

Quando orabas cum lacrymis — ego obtuli orationem tuam Domino. *Ibid.* 12. 12.

(Cum exposuisset Achior omnia, quæ dixerat Holofernes, omnis populus communi lamentatione et fletu, unanimes preces Deo effuderunt). *Judith.* 6. 14.

Factus est fletus et ululatus magnus in Ecclesia ab omnibus, et per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes : Peccavimus cum patribus nostris, etc. *Ibid.* 7. 18. *V. et v.* 23.

Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus. *Ibid.* 8. 14. *V. et v.* 17.

Stetitque Judith ante lectum (Holofernis), orans cum lacrymis, (ut Deus quod ipsa cogitabat, perficere dignaretur). *Ibid.* 13. 6.

(Cum audisset Mardochæus iniquam sententiam contra Judæos prolatam), scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti : et in platea — voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui. *Esth.* 4. 1. In omnibus quoque provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, et fletus. *v.* 3. *V.* 1. *Mach.* 1. 26.

(Postquam Aman vidit Mardochæum tam magnifice honoratum), festinavit ire in domum suam lugens et operto capite. *Ibid.* 6. 12.

(Sanctus Job flevit pro miseriis propriis, inquiens) : Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. *Job* 30. 31. (Cujus fletus vehementia apparet per hoc, quod dixerat) : Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt. *c.* 16. 17.

(Flevit Job pro miseriis alienis : ait enim) : Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. *Ibid.* *v.* 25. Mœrens incedebam etc. *v.* 28.

Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal.* 6. 7.

Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam ; auribus percipe lacrymas meas. *Psal.* 38. 13.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. *Psal.* 41. 4.

Posuisti (Domine) lacrymas meas in conspectu tuo. *Psal* 55. 9.

Cibabis nos (Deus) pane lacrymarum : et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. *Psal.* 79. 6.

Ploremus ante Dominum, qui fecit nos. *Psal.* 94. 6. *V.* 2. *Mach.* 11. 6.

Eripuit (Deus) animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. *Psal.* 114. 8. *V. Isa.* 25. 8. *et c.* 38. 5.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. *Psal.* 125. 5. *V. Tod.* 3. 22. *Isa.* 25. 8. *Jer.* 31. 16. *Exech.* 24. 16. *Apoc.* 7. 17. *et c.* 21. 4.

Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus. *Psal.* 136. 1.

Pungens oculum deducit lacrymas. *Eccli.* 22. 24.

Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. *Ibid.* 35. 18.

Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. *Ibid.* 38. 16.

(Prædicens Isaias destructionem Jerusalem, dicebat) : Recedite a me, amare flebo : nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. *Isa.* 22. 4.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. *Jer.* 9. 1. Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis. *Ibid. v.* 18. *V. c.* 13. 17. *c.* 14. 17. *Item Thren.* 1. 2. *c.* 2. 11. *et* 18.

(Susanna) flens suspexit ad cœlum : erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. *Dan.* 13. 35.

(Planxit Israel) planctu magno (pro morte Mathathiæ), 1. *Mach.* 2. 70. *Item c.* 9. 20. (pro morte Judæ). *Item c.* 12. 52. (pro morte Jonathæ etc). *V. et* 2. *Mach.* 4. 37.

(Pater pueri energumeni exclamans) cum lacrymis ajebat : Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam. *Marc.* 9. 23.

(Maria Magdalena legitur ter flevisse : primo pro peccatis suis ad pedes Domini). *Luc.* 7. 38. (secundo pro morte fratris). *Joan.* 11. 31. (tertio pro passione Domini). *Ibid.* 20. 11.

(Salvator noster invenitur tribus vicibus lacrymas fudisse : primo super Jerusalem, quam propter peccata destruendam sciebat). *Luc.* 19. 41. (secundo super Lazarum mortuum). *Joan.* 11. 35. (tertio in cruce, quando se ipsum pro mundi peccatis hostiam offerebat, ut ait Paulus), *Hebr.* 5. 7. Preces — cum clamore valido et lacrymis offerens.

(Post negationem tertiam, ad aspectum Domini, Petrus flevit amare). *Luc.* 22. 62.

(Christum ad Calvariæ locum proficiscentem sequebatur) multa turba populi, et mulierum, quæ plangebant, etc. *Ibid.* 23. 27.

(Paulus servivit) Domino cum omni humilitate, et (multis) lacrymis. *Act.* 20. 19. *Item v.* 31. (cum multis lacrymis monebat auditores suos : et ipsos ad lacrymas provocabat). *v.* 37.

(Idem Apostolus cum multis lacrymis scribebat epistolas suas). 2. *Cor.* 2. 4.

LÆTITIA. *V.* **Gaudium.**

LAICI *ne se in sacris, præter officium, misceant. V. et.* **Artifices.**

(Igne Nadab et Abiu consumpti, planguntur a populo, non a Sacerdotibus, eo quod) posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. *Lev.* 10. 1. 2.

Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum : cum castrametandum, erigent : quisquis externorum accesserit, occidetur. *Num.* 1. 51.

Aaron autem, et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Extremus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. *Ibid.* 3. 10.

(Laici in Ecclesia) non inhabitabunt, nec inambulabunt, et — non transilient. *Eccli.* 38. 37. *V. exemplum de hoc,* 2. *Par.* 26. 18. *in rege Ozia.*

LAICI *nec vasa sacra temere tangant.*

Cumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium, et omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta : et non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur. *Num.* 4. 15. Sed hoc facite eis, ut vivant, et non moriantur, si tetigerint Sancta Sanctorum. Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et divident quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario Dei, priusquam involvantur, alioquin morientur. *v.* 19. *V. Num.* 1. 51. *ut supra.*

Tu autem, et filii tui (ait Dominus ad

Aaron (custodite sacerdotium vestrum : et omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur : si quis externus accesserit, occidetur. *Ibid.* 18. 7.

Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam : quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate ; qui mortuus est ibi juxta arcam Dei. 2. *Reg.* 6. 6.

Non est tui officii, Ozia (ait illi Azarias sacerdos), ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium : egredere de sanctuario, ne contempseris : quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. 2. *Paral.* 26. 18.

LAICI *nullum jus habent mittendi vel ordinandi sacerdotes.*

Manus cito nemini imposueris. 1. *Tim.* 5. 22.

Reliqui te Cretæ, ut — constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. *Hebr.* 5. 4.

LAMPADUM *usus. V.* **Cereorum usus.**

LAPIS *dicitur Christus, angularis.*

Ecce ego mittam fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, fundamento fundatum : qui crediderit, non festinet. *Isa.* 28. 16. *V. Psal.* 117. 22.

Dicit illis Jesus : Numquid legistis in Scripturis : Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, etc. *Matth.* 21. 42. *Marc.* 12. 10. *Luc.* 20. 17.

Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. *Act.* 4. 11. *V. Isa.* 8. 14. *Item Rom.* 9. 33. 1. *Petr.* 2. 7.

Superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. *Ephes.* 2. 20.

LAPIS *offensionis.*

Dominum exercituum ipsum sanctificate : ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel : in laqueum, et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur : et irretientur, et capientur. *Isa.* 8. 13. *et seq.*

Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum. *Matth.* 21. 44.

Ecce positus est hic (Christus) in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur. *Luc.* 2. 84.

Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur : super quem autem ceciderit, comminuet illum. *Ibid.* 20. 18

In judicium ego in hunc mundum veni (dixit Jesus) ; ut qui nonvident, videant : et qui vident, cæci fiant. *Joan.* 9. 39.

Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali : et omnis. qui credit in eum, non confundetur. *Rom.* 9. 32. 33.

Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur, etc. 1. *Petr.* 2. 6. *V. v.* 7. *et* 8.

LAPIS *dicitur Petrus.*

Intuitus autem eum Jesus, dixit : Tu es Simon filius Jona : tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. *Joan.* 1. 42.

LAPIS *dicitur omnis Christianus.*

Ad quem accedentes lapidem vivum. etc. 1. *Petr.*2. 4. *et seq. V. Domus spiritualis, in Tit. Domus.*

LATROCINIUM. *V.* **Homicidium.**

LAUS. — *Laudatur homo a Deo.*

Et tunc laus erit unicuique a Deo. 1. *Cor.* 4. 5.

LAUS. — ... *non a se ipso.*

Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua. *Prov.* 27. 2.

LAUS. — ... *ab alio in absentia.*

(Sic Salvator Joannem, discipulis ipsius discedentibus, laudibus extulit). *Matth.* 11. 7.

Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit (Jesus) de Joanne dicere ad turbas, etc. *Luc.* 7. 24.

LAUS... *de innocentia.*

Laudabuntur omnes recti corde. *Psal.* 63. 11.

Non laudes virum in specie sua : neque spernas hominem in visu suo. *Eccli.* 11. 2. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. *v.* 30.

Ante sermonem non laudes virum : hæc enim tentatio est hominum. *Ibid.* 27. 8.

Laudamus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. *Ibid.* 44. 1. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. *v.* 6. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia. *v.* 15.

LAUS. — *Laudandus Deus ante et post cibum. V.* **Gratiæ agendæ etc.**

Ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. *Deut.* 8. 10.

LAUS. — *Laudare Deum pro merito non possumus.*

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis : terribilis est super omnes Deos. *Psal.* 95. 4.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes ejus? *Psal.* 95. 4.

Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ (Domine). *Psal.* 118. 164.

Magnus Dominus et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis. *Psal.* 144. 3.

Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis : supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. *Eccli.* 43. 32. *V. et versus sequentes.*

LAUS. — *Laudes Deo canendæ.*

Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo in voce exultationis. *Psal.* 46. 2.

Præcinite Domino in confessione : psallite Deo nostro in cithara. *Psal.* 146. 7.

Cantate Domino canticum novum : laus ejus in Ecclesia sanctorum. *Psal.* 149. 91.

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra. *Isa.* 12. 5.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. *Ephes.* 5. 18. 19.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. *Coloss.* 3. 16.

Per ipsum ergo (Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. *Hebr.* 13. 15.

Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat. *Jac.* 5. 13.

LECTIO.

Post industriam sequetur sapientia. *Eccles.* 10. 10.

Qui legit, intelligat. *Matth.* 24. 15. *V. Marc.* 13. 14.

Omni autem, cui multum est datum, multum quæretur ab eo : et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *Luc.* 12. 48.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter. *Coloss.* 3. 16.

Attende lectioni, et exhortationi, et doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est, etc. 1. *Tim.* 4. 13. 14.

Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendam, etc. 2. *Tim.* 3. 16.

Scienti igitur bonum facere, et non facere, et non facienti, peccatum est illi. *Jac.* 4. 17.

LEPRA *quomodo cognoscatur.*

(Describitur lepra, quomodo cognoscatur). *Lev. c.* 13. *Et c.* 14. (ratio lepræ curandæ, et sacrificia offerenda pro homine lepra infecto, præscribuntur).

LEPRA. — *Lepram mittit Deus propter peccata.*

(Dixit Deus Moysi) : Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. *Exod.* 4. 6.

(Aaron et Maria in mitissimum Moysen murmurant apud quos Deus Moysen laudat a familiaritate erga Dominum. Maria lepra percussa, et septem diebus a populo separata, sanitati restituitur). *Num. c.* 12.

Naaman princeps militiæ regis Syriæ erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus : per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ : erat autem vir fortis sed leprosus. 4. *Reg.* 5. 1.

(Dixit Eliseus Giezi servo suo : Quia)

nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et servos et ancillas : — lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix. *Ibid. v.* 26. *et* 27.

Percussit autem Dominus regem (Azariam), et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsum. *Ibid.* 15. 5. *V.* 2. *Paral.* 26. 21.

Non est tui officii, Osia (dixerunt ei sacerdotes), ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium : egredere de Sanctuario, ne contempseris : quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus, in domo Domini super altare tymiamatis, etc. 2. *Paral.* 26. 18. 19. *et* 20. Fuit igitur Ozias rex leprosus usque in diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. *v.* 21.

LEPRA *mundatur.*

Retrahe (ait Dominuus Moysi) manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ (cum prius esset leprosa instar nivis). *Exod.* *V. Num.* 12. 15.

Descendit (Naaman), et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei (Elisæi) : et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. 4. *Reg.* 5. 14.

Cum autem descendisset (Jesus) de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ : et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum suam, tetigit eum, dicens. Volo : mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. *Matth.* 8. 1. *et seq.*

Cum ingrederetur (Jesus) quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus : et factum est, dum irent, mundati sunt. *Luc.* 17. 12. *et seq.*

LEPRA. — *Leprosorum segregatio.*

Omni tempore, quo leprosus est, et immundus, solus habitabit extra castra. *Lev.* 13. 46.

Præcipe (ait Dominus Moysi) filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo. *Num.* 5. 2.

Percussit autem Dominus regem (Azariam), et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsum : Joatham vero filius regis gubernabat palatium, etc. 4. *Reg.* 15. 5.

LEVITÆ. — *Levitarum habitatio, jus, et sustentatio.*

Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus qui erant residui : Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum Sanctorum est. *Lev. c.* 2. 3.

Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi : si redemptæ non fuerint, in Jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. Suburbana autem eorum non veneant, quia possesio sempiterna est. *Ibid.* 25. 32. *et seq.*

Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis. *Num.* 18. 21. Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, et portantibus peccata populi; legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi. *v.* 23. *et* 24. *V. integrum Caput.*

Præcipe filiis Israel (ait Dominus ad Moysen), ut dent Levitis de possessionibus suis, urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum : ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis. *Ibid.* 35. 2. *V. Jos.* 21. 2.

Ibi (scilicet in terra, quam Dominus daturus est vobis) epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites, qui in urbibus vestris commoratur. *Deut.* 12. 12. Cave (dixit Dominus populo Israel), ne derelinquas Levitem in omni tempore, quo versaris in terra. *v.* 19. *V. c.* 10. 8. *et* 9.

Cave, ne derelinquas eum (Levitem, qui intra portas tuas est), quia non habet

aliam partem in possessione tua *Ibid.* 14. 27. *V. v.* 29. *et c.* 18. 1.

Tolles (dixit Dominus populo Israel) de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. *Ibid.* 26. 2. *V. v.* 12. *et* 13.

Tribui autem Levi non dedit possessionem, sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi. *Josue* 13. 14. Tribui autem Levi non dedit possessionem : quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi. *v.* 33. *V. c.* 18. 7.

(Levitis assignantur civitates quadraginta octo cum suburbanis, et completa Dei promissione, requies datur filiis Israel). *Ibid. c.* 21.

Et statuemus (dicunt qui fœdus cum Deo initum servarunt) super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum, et in holocaustum sempiternum in Sabbatis, etc. 2. *Esdr.* 10. 32. Et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque, et olei afferemus sacerdotibus in gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. 37. *V. et versus sequentes. Item c.* 13. 10.

In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, et ministros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes — Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, et purgationis, etc. *Eccli.* 7. 31. *et seq.*

(Divisio terræ sanctæ in duodecim tribus : ubi sint primitiæ, et sanctuarium : locus sacerdotum et Levitarum : mensura civitatis in quadro cum suburbanis : possessio principis, etc.) *Ezech. c.* 48.

LEVITÆ. — *Levitarum ministerium et officium.*

Dixit quoque Dominus ad Aaron : Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini : quia præceptum est in generationes vestras. *Lev.* 10. 8. *V. Deut.* 10. 8. *Jos.* 3. 6.

Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel : sed constitue eos super tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum, et omnia utensilia ejus : et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. *Num.* 1. 49. 50.

(Levitæ in tabernaculi ministerium assumpti numerantur, cum suis principibus ac ministeriis, et loco primogenitorum Israel suscipiuntur : reliqua primogenita numerum Levitarum excedentia, pretio redimuntur). *Ibid. c.* 3.

Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos et familias suas, a trigesimo anno et supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur, ut stent, et ministrent in tabernaculo fœderis. *Ibid.* 4. 1.

(Candelabri et lucernarum situs ac forma, ætasque et consecratio Levitarum). *Ibid. c.* 8. *V. Josue* 3. 6.

Dixitque Dominus ad Aaron — Sed et fratres tuos de tribu Levi, et sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, et ministrent tibi : tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii. *Ibid.* 18. 1. Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, et portantibus peccata populi : legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi. *v.* 23. *et* 24.

(Genealogia filiorum Levi, et quos ex eis constituerit David cantores ac ministros in domo Domini, etc.). 1. *Paral. c.* 6.

In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus. 2. *Par.* 19. 8.

Erunt in sanctuario meo æditui, et janitores portarum domus, et ministri domus : ipsi mactabunt holocausta, et victimas populi : et ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis. *Ezech.* 44. 11.

LEVITÆ. — *Levitas assumit sibi in ministerium Deus ex primogenitis Israel.*

Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei. *Num.* 3. 12

Et ait Dominus ad Moysen : Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense et supra, et habebis summam eorum. Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel : ego sum Dominus : et pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel. *v.* 40. *V. c.* 8. 6.

LEVITÆ *puniunt peccatum erecti vituli.*

(Ob vitulum adoratum Moyses Deum precatur, tabulas frangit, vitulum comburit, et Aarone objurgato, idolatras occidi jubet, cæterisque veniam impetrat, etc.). *Exod. c.* 32.

LEVITÆ *expelluntur ex Israel.*

Sacerdotes autem et Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cuntis sedibus suis (scilicet ad Roboam), relinquentes suburbana, et possessiones suas, et transeuntes ad Judam et Jerusalem : eo quod abjecisset eos Jeroboam, et posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur. 2. *Paral.* 11. 13. 14.

LEX *prima et præceptum primum datur.*

Præcepitque ei (Adam Dominus) dicens : Ex omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. *Gen.* 2. 16. 17. *V. et. c.* 3. 1.

LEX *prima violatur.*

Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini, etc. *Gen.* 3. 4. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, etc. *v.* 6.

LEX *decem mandatorum datur Moysi.*

(Moyses Decalogum a Domino auditum territo populo narrat : et terreum, ac lapideum de insectis lapidibus altare fieri jubet, ad quod non sit per gradus ascendendum). *Exod. c.* 20.

(Præceptorum Decalogi repetitio et explanatio, et de timore filiorum Israel cum Dei vocem audissent, et montem ardere vidissent). *Deut. c.* 5.

LEX. — *Legis tabulæ dantur.*

Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai (scilicet de diei Sabbati observatione, etc.), duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei. *Exod.* 31. 18. *V. et. c.* 32. 15.

Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte, de medio ignis et nubis et caliginis, voce magna (scilicet præceptorum Decalogi repetitio et explanatio), nihil addens amplius : et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi (Moysi). *Deut.* 5. 22. *V. et c.* 9. 10.

LEX. — *Legis tabulæ franguntur.*

(Ob vitulum adoratum Moyses Deum precatur, tabulas frangit, vitulum comburit, et Aarone objurgato, idololatras occidi jubet, cæterisque veniam impetrat, etc.) *Exod. c.* 32.

(Loquitur Moyses de hac illorum idololatria). Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis utraque tenerem manu, vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat : projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro. *Deut.* 9. 15. *et seq.*

LEX. — *Dantur aliæ tabulæ legis.*

Dixitque Dominus ad Moysen : Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et Israel pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino 40 dies et 40 noctes, panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. *Exod.* 34. 27. 28.

In tempore illo dixit Dominus ad me (Moysen) : Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem : faciesque arcam ligneam, et scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis Setim. *Deut.* 10. 1. *et seq. V. Exod.* 34. 1.

LEX. — *Legis natura, officium, et operatio.*

Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur : ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. *Rom.* 3. 19. 20. *V. Galat* 2. 16. *et seq.*

Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex; nec prævaricatio. *Ibid.* 4. 15.

Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem : ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, etc. *Ibid.* 5. 20. 21.

An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? *Ibid.* 7. 1. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat, etc. *v.* 7. *et* 8. *V. reliquum Capitis.*

Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. *Galat.* 3. 19.

Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur : sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, etc. 1. *Tim.* 1. 8.

Reprobatio quidem fit præcedentis mandati (scil. carnalis), propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex : introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. *Hebr.* 7. 18. 19.

LEX. — *Legis impletio, divina gratia, est possibilis. V. et.* **Libertas Evangelica.**

Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. *Gen.* 6. 9. *V. et Eccli.* 44. 17. *V. et de Hennoch idem dictum* : Ambulavit cum Deo. *Gen.* 5. 22. *Item Eccli.* 44. 16.

(Dixit Deus ad Abraham) : Ambula coram me, et esto perfectus. *Ibid.* 17. 1.

Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi — non supra te est (id est supra vires tuas). etc. *Deut.* 30. 11.

Ille (Josue) universa complevit : non præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi. *Josue* 11. 15.

Servus meus David — custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo. 3. *Reg.* 14. 8.

Stetitque rex (Josias) super gradum: et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias, in omni corde, et in tota anima, etc. 4. *Reg.* 23. 3. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi. *v.* 25. *V. simile de Asa*, 2. *Paral.* 15. 12

Custodivi vias Domini : nec impie gessi a Deo meo, etc. *Psal.* 17. 22.

Da mihi (Deus) intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. *Psal.* 118. 34. *V. totum hunc Psalmum, et præcipue :* Viam mandatorum tuorum cucurri. *v.* 32.

Et Spiritum meum ponam in medio vestri : et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. *Ezech.* 36. 27. *V. Rom.* 8. 4. *Tit.* 3. 8.

Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est. *Matth.* 5. 48.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. *Ibid.* 6. 10.

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Ibid.* 11. 30.

Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Ibid.* 19. 17.

(Zacharias et Elisabeth erant — justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. *Luc.* 1. 6.

Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, etc. *Joan.* 15. 10. *V. et v.* 14. *imo totum Caput.*

Et sermonem tuum servaverunt. *Ibid.* 17. 6.

(David fuit vir secundum cor Dei, faciens omnes voluntates ejus). *Act.* 13. 22.

Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. *Rom.* 8. 1.

(Christus pro nobis passus est, ut impleretur in, et a nobis justificatio legis); qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. *Ibid. v.* 3. *V. totum Caput*, (quod quam maxime congruit nostræ sententiæ, quod scilicet divina gratia justi et perfecti esse possimus). *V. et c.* 6. 18. *et* 20.

Qui enim diligit proximum, legem implevit. *Ibid.* 13. 8.

Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. 1. *Cor.* 10. 13.

(Deus) elegit nos in (Christo) — ut essemus sancti et immaculati, etc. *Ephes.* 1. 4.

Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. *Ibid.* 5. 9.

Quicumque ergo (ex vocatione Dei in

Christo Jesu) perfecti sumus, etc. *Philipp.* 3. 15.

Omnia possum in eo, qui me confortat. *Ibid.* 4. 13.

In omni opere bono fructificantes. *Coloss.* 1. 10. *V. et Gal.* 5. 22.

(Christus) factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. *Hebr.* 5. 9. (Sed si nullus legem implere poterit, nullus erit obediens, etc.)

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. 1. *Petr.* 2. 21. 22. *V. totum Caput.*

Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, etc. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est : et in hoc scimus, quoniam in ipso sumus. Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare, etc. 1. *Joan.* 2. 3. *et seq. V. totum Caput.*

Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. *Ibid.* 3. 3. Omnis, qui in eo manet, non peccat, etc. *v.* 6. *V. totum Caput, et præcipue :* Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, etc. *v.* 9.

Hæc est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus : et mandata ejus gravia non sunt. *Ibid.* 5. 3.

LEX. — *Legem Dei sine gratia et spiritu divino non possumus implere.*

Quis det talem eos habere mentem (ait Dominus ad Moysen), ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis, et filiis eorum in sempiternum ? *Deut.* 5. 29.

Nam et testimonia tua meditatio mea est : et consilium meum justificationes tuæ. *Psal.* 118. 24.

Jesus ait ei (principi petenti quid faceret, ut vitam æternam possideret) : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Luc.* 18. 22. *Item. Matth.* 19. 21. *Marc.* 10. 21.

Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. *Act.* 15. 10. 11.

Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justifiatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. *Rom.* 8. 2. 3. 4.

LEX. — *Punitio vel merces eorum, qui legem Dei prævaricantur, vel observant. V.* **Obedientia et Inobedientia.**

LEX. — *Christus venit, ut legem impleret.*

Nolite putare (ait Jesus discipulis suis), quoniam veni solvere legem, aut Prophetas : non veni solvere, sed adimplere. *Matth.* 5. 17.

LEX. — *Legis cæremoniæ abrogantur per Christum.*

Omnes enim Prophetæ, et lex, usque ad Joannem, prophetaverunt. *Matth.* 11. 13.

Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. *Marc.* 15. 38.

Lex et Prophetæ, usque ad Joannem : ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. *Luc.* 16. 16.

Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc (Christum) vobis remissio peccatorum annuntiatur : et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari. *Act.* 13. 38. *V. c.* 15. 11.

Peccatum enim vobis non dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratia. *Rom.* 6. 14.

Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi : ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit ut fructificemus Deo. *Ibid.* 7. 4. *V. c.* 8. 3.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis, qui pendet in ligno : ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. *Gal.* 3. 13. *V. c.* 4. 5. *Item* 1. *Petr.* 1. 18.

Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. *Ephes.* 2. 13.

Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta : delens quod adversus nos erat chyrogra-

phum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci : et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. *Coloss.* 2. 13. *et seq.*

LEX *legitur.*

Cœpitque Moyses explanare legem, et dicere : Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens : Sufficit vobis, quod in hoc monte mansistis. (Loquitur Moyses ad Israel in deserto contra mare Rubrum). *Deut.* 1. 5. 6.

Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel. *Ibid.* 31. 9. Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis. *v.* 11. *V. Josue* 8. 34.

Ascenditque rex (Josias) templum Domini, et omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem cum eo sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum : legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini. 4. *Reg.* 23. 2.

Et legerunt in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum : et intellexerunt, cum legeretur. 2. *Esdr.* 8. 8. *V. v.* 3. *et* 18.

Et consurrexerunt ad standum (filii Israel) : et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. *Ibid.* 9. 5.

LEX *nova Christianorum consistit potissimum in caritate.*

Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; et orate pro persequentibus et calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est : qui solem suum oriri super bonos et malos, etc. *Matth.* 5. 44. 45. *Item. Luc.* 6. 27.

Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc enim lex, et Prophetæ. *Ibid.* 7. 12.

Magister, quod est mandatum magnum in lege? (Legis doctor sic interrogavit Jesum, tentans eum). Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ. *Ibid.* 22. 26 *et seq. Item. Deut.* 6. 5. *Marc.* 12. 30. 31. *Luc.* 10. 27.

Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem, etc. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joan.* 13. 34. 35.

Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. *Rom.* 13. 10.

Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Galat.* 5. 14.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Ibid.* 6. 2.

Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fido non ficta. 1. *Tim.* 1. 5.

LIBER *vitæ.*

(Ait Moyses ad Dominnm deprecans pro populo, qui adoraverat vitulum) : Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. *Exod.* 68. 29.

Deleantur de libro viventium : et cum justis non scribantur. *Psal.* 68. 29.

Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. *Philipp.* 4. 3.

Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. *Apoc.* 3. 5.

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est vitæ ; et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. *Ibid.* 20. 12.

Non intrabit in eam (civitatem cælestem) aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. *Ibid.* 21. 27.

LIBERALITAS. *V. et.* **Misericordia.**

(Rebecca filia Bathuel, valde liberaliter

respondit famulo Abrahæ, dicens) : Bibe, domine mi. *Gen.* 24. 18.

(Liberaliter egit Moyses, defendendo filias Jethro a pastoribus, qui eas adaquare pecora non sinebant). *Exod.* 2. 17.

(Filii Israel mente promptissima atque devote obtulerunt quidquid ad faciendum opus tabernaculi, et ad cultum et vestes sanctas erat necessarium). *Ibid.* 36. 2. 4. (Sequitur versus) : Unde artifices venire compulsi, dixerunt Moysi : Plus offert populus, quam necessarium est. *v.* 4.

(Obtenta victoria de Amalecitis, David) misit dona de præda senioribus Juda, proximis suis, dicens : Accipite benedictionem, etc. 1. *Reg.* 30. 26.

(Præcepit David, ut Miphiboseth comederet panem in mensa sua semper, et totam domum Saul dedit ei). 2. *Reg.* 9. 10. *et seq. V. et v.* 7.

(Fugienti David a facie Absalom), Sobi — et Machir — et Berzellai — obtulerunt ei — (multa exercitui necessaria), frumentum, et hordeum, et farinam, etc. *Ibid.* 17. 27.

(Berzellai astitit David, quando fugiebat a facie Absalom ; et obtenta victoria, David retinuit filium illius de familia sua). *Ibid.* 19. 38.

(Regina Saba multa obtulit Salomoni ; et Salomon dedit ei omnia, quæ petiit, exceptis his, quæ ultro obtulit illi munere regio). 3. *Reg.* 10. 10. *et* 13.

Quidam boni viri de Israel captivos Judæos vestierunt, et illos, qui ambulare non poterant, imposuerunt jumentis, et duxerunt ad fratres eorum). *Paral.* 28. 15.

Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor, (et remisit ea in Jerusalem. Fuerant autem) omnia vasa aurea et argentea, quinque millia quadringenta. 1. *Esdr.* 1. 7. *et* 11.

(Redeuntes de Babylone filii Juda), sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo, secundum vires suas. *Ibid.* 2. 68.

(Præcepit rex Darius, ut ædificaretur in Jerusalem domus Dei, et darentur sumptus de arca regia, licet quidam æmuli opus impedire per litteras laborarent). *Ibid.* 6. 3. *et* 8.

(Rex Artaxerxes liberaliter se habuit erga Nehemiam venientem in Judæam, et dedit ei epistolas, quas petierat). *Esdr.* 2. 1. *usque ad* 10.

(Nehemias valde liberalis legatus fuit, qui populum vectigalibus et exactionibus non gravavit, et his, ad quos venit, plurima bona fecit). *Ibid.* 5. 10. *et* 15. *et seq.*

(Tobias) omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, (impertiri studebat, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat). *Tob.* 1. 3.

(Raguel tradidit Tobiæ juniori) Saram, et dimidiam partem omnis substantiæ suæ, etc. *Ibid.* 10. 10.

(Tobias junior et senex multum fuerunt grati Raphaeli, quem hominem putabant, et valde bene recognoverunt beneficia ab eo recepta. Et propterea pater et filius dimidiam partem omnium, quæ habebant, illi liberaliter obtulerunt). *Ibid.* 12. 5.

(Rex Assuerus) jussit convivium præparari permagnificum — pro conjunctione et nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem. *Esther* 2. 18.

(Videns rex Assuerus reginam Esther, dixit ei) ; Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. *Ibid.* 5. 3.

(Quæsivit rex, quantum honoris ac præmii consecutus esset Mardochæus pro fide, quam erga ipsum servavit : et cum intelligeret, eum nihil accepisse mercedis, fecit eum magnifice honorari). *Ibid.* 6. 3. *et seq.*

Ita ut Seleucus rex Asiæ de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 2. *Mach.* 3. 3.

(Pater in cœlis) solem suum oriri facit super bonos, et malos : et pluit super justos et injustos. *Matth.* 5. 45.

(Magnificus et largus remunerator est Dominus, qui relinquentibus propter se temporalia bona reddit centuplum in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro. *Ibid.* 19. 29.

(Benignitatem suam et liberalitatem dignatus est Christus ostendere, quando vocatus ad pauperes nuptias, ivit, et ibidem aquam in vinum convertit, ut exhilararet pauperes discumbentes). *Joan.* 2. 1. *et seq.*

Discipuli, (audientes famem magnam futuram in universo orbe), proposuerunt singuli, (prout quis habebat), in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus : quod et fecerunt. *Act.* 11. 29.

LIBERORUM ERUDITIO. *V.* **Filii et filiæ.**

(Audiens Jacob somnia filii sui Joseph), increpavit eum, (ne contra se fratrum suorum invidiam suscitaret). *Gen.* 37. 10. (Negligentiam filiorum suorum arguebat Jabob), audiens — quod alimenta venderentur in Ægypto. *Ibid.* 42. 1.

(Præcepit Dominus per Moysen, ut filii Israel docerent filios suos ea, quæ ipsi viderant). *Deut.* 4. 9.

(Contumax filius et protervus, et parentum imperio obedire contemnens, præcipitur a Moyse per populum lapidari). *Ibid.* 21. 18. *et seq.*

(Heli sacerdos male corripuit filios suos; et ideo tam ipse, quam illi graviter sunt a Deo puniti). 1. *Reg.* 2. 22. *et seq. V. c.* 4 11. *et. seq.*

(Appropinquans ad mortem David, diligenter et egregie instruxit Salomonem filium suum, post se regnaturum). 1. *Paral.* 28. 9.

(Tobias filium suum) ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. *Tob.* 1. 10.

(Idem Tobias, cum se cito crederet moriturum, pie et pulcherrime, imo salubriter instruxit eumdem suum filium). *Ibid. c.* 4. *V. per totum Caput et c.* 14. *v.* 10. *et seq.* (ubi instante morte filium, et nepotes similiter piissime instruxit).

(Parentes Saræ uxoris junioris Tobiæ dimiserunt filiam suam cum piissima instructione). *Ibid. c.* 10. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et se ipsum irreprehensibilem exhibere. *v.* 13.

(Magnam sollicitudinem gerebat Job de liberis suis, sanctificans illos, et offerens holocausta pro singulis, ne forte peccassent). *Job.* 1. 5.

Parentes enim illius (Susannæ) cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. *Dan.* 13. 3.

(Cum appropinquarent) dies Mathathiæ moriendi, (filios suos salubriter, piissime, et pulcherrime instruxit, et contra impios animavit), 1. *Mach.* 2. 49. *et seq.*

Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ (patientes et) pereuntes septem (suos) filios sub unius diei tempore conspiciens — singulos illorum hortabatur voce patria (et pia) fortiter, repleta sapientia, et fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens. 2. *Mach.* 8. 20. *V. et versus sequentes.*

LIBERTAS *evangelica.*

Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Joan.* 8. 31. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. *v.* 36.

Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. *Rom.* 6. 18.

Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. *Ibid.* 8. 2. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *v.* 21.

Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 2. *Cor.* 3. 17.

Vos enim in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem. *Gal.* 5. 13. *V.* 1. *Petr.* 1. 18. *et c.* 2. 16. *Item* 2 *Petr.* 2. 19.

LIBERTAS... *ad Deum ordinatur.*

Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. *Rom.* 6. 18. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. *v.* 20. *et seq.*

Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. 1. *Cor.* 7. 22.

Vos enim in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem. *Galat.* 5. 13.

Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis : hic beatus in facto suo erit. *Jacob.* 1. 25.

Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. *Ibid.* 2. 12.

Quia sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam : quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. 1. *Petr.* 2. 15. 16.

LIBERTAS *humana commendatur.*

Servus vocatus es? non sit tibi curæ : sed et si potes fieri liber, magis utere. 1. *Cor.* 7. 21. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. *v.* 23.

LIBERTAS *prava et improbanda. Eorum scilicet, qui Evangelicam libertatem prætendunt, et ideo præcepta servare neque possibile, neque necesse esse proclamant.*

Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. *Job* 11. 12.

Et conversi estis vos hodie, et fecistis quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum : et inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen meum super eam. *Jerem.* 34. 15.

Reversi sunt, ut essent absque jugo : facti sunt quasi arcus dolosus : cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti. *Oseæ.* 7. 16.

Vos enim in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, etc. *Galat.* 5. 13.

Quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, etc. 1. *Petr.* 2. 16.

Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paullulum effugiunt, qui in errore conversantur. 2. *Petr.* 2. 18.

LIBERUM ARBITRIUM *etiam post lapsum in homine remansit.*

Quare iratus es? et cur concidit facies tua (dixit Dominus ad Cain)? Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum (tuum) aderit : sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. *Gen.* 4. 6. 7.

(Agitur de voto et juramento, et quando puellarum et uxorum vota seu juramenta rata sint vel irrita). *Num. c.* 30.

In arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat. *Ibid. v.* 14.

Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum : et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, etc. (Sic locutus est Moyses ad filios Israel). *Deut.* 30. 19. 20.

Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo (loquitur Josue Israelitis) : et auferte Deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia et in Ægypto, ac servite Domino. Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio datur : eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum Diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an Diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis; ego autem et domus mea serviemus Domino, etc. *Josue* 24. 14. 15. Dixitque populus ad Josue : Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis ejus. *v.* 24. *V. v.* 16. 18. *et* 21.

Vade, et loquere ad David (dixit Deus ad Gad Prophetam) : Hæc dicit Dominus : Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi, etc. 2. *Reg.* 24. 12. Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua : aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur : aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. (Et pestem triduanam elegit). *v.* 13.

Non sedi cum concilio vanitatis : et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine, etc. *Psal.* 25. 4. *et seq.* Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, et misere mei. *v.* 11.

Voluntarie sacrificabo tibi : et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. *Psal.* 53. 8.

Intelligite, insipientes in populo : et stulti, aliquando sapite. *Psal.* 93. 8.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Psal.* 94. 8. *V. Hebr.* 3. 7. *et* 4. 7.

Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret, etc. *Prov.* 1. 24.

Mitte illam (scillicet sapientiam) de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te, etc. *Sap.* 9. 10.

Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat : et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. *Ibid.* 16. 21.

Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi. *Eccli.* 15. 18. *V. et. Jerem.* 21. 8.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. *Ibid.* 18. 20.

Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna : qui potuit transgredi, et non est transgressus : facere mala, et non fecit. *Ibid.* 31. 10.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. *Isa.* 1. 19. 20.

Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ; quia ego Deus, et non est alius. *Ibid.* 45. 22.

Feceruntque (Judæi) malum in oculis meis, et quæ nolui, elegerunt *Ibid.* 66. 4.

Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti. *Jerem.* 3. 5.

Tu reliquisti me (Jerusalem), dicit Dominus, retrorsum abiisti : et extendam manum meam super te, et interficiam te, etc *Ibid.* 15. 6. Si converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis : si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris : convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos. *v.* 19.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. *Ezech.* 18. 21. 22. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas. *v.* 30.

Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum. *Oseæ* 13. 9.

Convertimini ad me, ait Dominus — et convertar ad vos, etc. *Zach.* 1. 3. *V. v.* 4.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Matth.* 16. 24.

Si — vis ad vitam ingredi, serva mandata (ait Christus ad illum, qui petiit, quid faceret, ut vitam æternam haberet). *Ibid.* 19. 17.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? *Ibid.* 23. 37.

Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis illis benefacere *Marc.* 14. 7.

(Dixit cæco Jerechuntino Jesus) : Quid tibi vis faciam? At ille dixit : Domine, ut videam. Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. *Luc.* 18. 41. 42. *V. Matth.* 20. 32. *et Marc.* 10. 51.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, etc. *Joan.* 1. 12.

Quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. *Rom.* 7. 15. Nam velle adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio. *v.* 18.

Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. *Ibid.* 12. 21.

Dei enim sumus adjutores : Dei agricultura estis, etc. 1. *Cor.* 3. 9.

Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. *Ibid.* 7. 37. *V. Jerem.* 8. 3.

Et consilium in hoc do : hoc enim vobis utile est (ait Paulus Corinthiis), qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priore : nunc vero et facto perficite : ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo, quod habetis. 2. *Cor.* 8. 10. 11.

Et dedi illi (Jezabel prophetissæ) tempus, ut pœnitentiam ageret : et non vult pœnitere a fornicatione sua. *Apoc.* 2. 21.

Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum, etc. *Ibid.* 3. 20.

LIBERUM ARBITRIUM *cooperatur gratiæ Dei.*

Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth : et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim, 1. *Reg.* 7. 2.

Fecit autem malum (Roboam), et non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum, etc. 2. *Par.* 12. 14.

Cognoscetur Dominus, judicia faciens : in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. *Psal.* 9. 17

Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas. *Psal.* 72. 13.

Hominis est animam præparare ; et

Domini gubernare linguam. *Prov.* 16. 1. Abominatio Domini est omnis arrogans : etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. *v.* 5. Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. *v.* 9.

Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes : Si pænitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum. *Eccli.* 2. 20. *et seq.*

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse : discite benefacere : quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus : si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. *Isa.* 1. 16. *et seq.*

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Ibid.* 40. 3. *Idem habetur verbatim Matth.* 3. 3. *Marc* 1. 3. *Luc.* 3. 4. *Joan.* 1. 23.

Mementote istud, et confundamini : redite, prævaricatores, ad cor. *Ibid.* 46. 8.

Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum : quoniam multus est ad ignoscendum. *Ibid.* 55. 6. *V. Jer.* 4. 4.

Vade, et clama sermones istos contra Aquilonem, et dices : Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis : quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. *Jerem.* 3. 12. Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te : tu enim es Dominus Deus noster. *v.* 22. *V. et v.* 14.

Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias : usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? *Ibid.* 4. 14.

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. *Ibid.* 7. 3.

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. *Ibid.* 18. 8. *V. et v.* 11. *Item. c.* 25. 5. *et idem fere habetur c.* 26. 13. *c.* 35. 15.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. *Ezech.* 18. 21. 22. Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam : ipse animam suam vivificabit. *v.* 27. *V. et v.* 28. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibns iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum : et quare moriemini, domus Israel? *v.* 30. *et* 31. *V. et v.* 32.

Si autem dixero impio : Morte morieris : et egerit pœnitentiam a peccato suo, etc. vita vivet. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei, etc. *Ibid* 33. 14. *et seq. V. et v.* 19.

Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me — et convertar ad vos. *Zach.* 1. 3. V. *Malach.* 3. 7.

Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3. 2.

Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. *Joan.* 7. 37.

Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, etc. *Act.* 3. 19.

Pænitentiam igitur age (Simon mage) ab hac nequitia tua : et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ibid.* 8. 22. V. *c.* 9. 6.

Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Rom.* 10. 13.

Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1. *Cor* 15. 10. V. 2. *Cor.* 7. 1.

Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. *Ephes* 5. 14. *V.* 1 *Tim.* 4. 16.

Deus est enim, qui operatus in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate. *Philipp.* 2. 13. Experimentum autem ejus (Timothei) cognoscite : quia sicut

patri filius, mecum servivit in Evangelio. *v.* 22.

Omnia possum in eo, qui me confortat. *Ibid.* 4. 13.

In quo (Jesu Christo) et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute. *Coloss.* 1. 29. *V. c.* 3. 9. 10.

Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. 2. *Tim.* 2. 21. V. 1. *Tim.* 4. 16.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* 4. 16.

Propter quod, remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Ibid.* 12. 12. 13.

Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores : et purificate corda duplices animo. *Jac.* 4. 8. V. 1. *Petr.* 1. 22. 1. *Joan* 3. 3.

Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. *Apoc.* 3. 20.

LIBERUM ARBITRIUM *ad bonum cognoscendum illuminatur.*

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris. *Psal.* 31. 8. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. *v.* 9.

In lumine tuo videbimus lumen. *Psal.* 35. 10.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. *Psal.* 93. 12.

Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. *Psal.* 118. 18.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1. 9.

Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. *Rom.* 1. 19.

Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. 1. *Joan.* 2. 27.

LIBERUM ARBITRIUM *ad perficiendum adjuvatur.*

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? *Matth.* 23. 37.

Sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15. 5.

Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. *Rom.* 8. 26.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. *Cor.* 3. 5.

Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate. *Philipp.* 2. 13.

LIBERUM ARBITRIUM *a nullo violentatur.*

Dixitque Dominus ad eum (Cain) : Quare iratus es? et cur concidit facies tua ? Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum (tuum) aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. *Gen.* 4. 6.

Voluntarie sacrificabo tibi. *Psal.* 53. 8.

Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua : si volueris, mandata servare, conservabunt te, etc. *Eccli.* 15. 14. *et seq.*

Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum. *Oseæ* 13. 9.

Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. *Luc.* 7. 30.

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia ; terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *Hebr.* 10. 26.

Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. *Apoc.* 3. 20.

LIMBUS *Patrum.*

Et deficiens, mortuus est (Abraham) in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum : congregatusque est ad populum suum. *Gen.* 25. 8. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum viginti septem, deficiensque mortuus est, et appositus ad populum suum. *v.* 17.

Frater ejus mortuus est, et ipse (Benjamin) solus remansit; si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos. *Ibid.* 42. 38. *Item c.* 44. 29.

Pergat, inquit (Dominus ad Moysen), Aaron ad populos suos : non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel. *Num.* 20. 24.

Cumque videris eam (scilicet terram, quam daturus sum filiis Israel) (dixit Dominus ad Moysen), ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron. *Ibid.* 27. 13.

Ulciscere prius filios Israel (dixit Dominus ad Moysen) de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum. *Ibid.* 31. 2.

Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit. 1. *Reg* 2. 6. *V. Tob.* 13. 2.

Facies ergo juxta sapientiam tuam, et non deduces canitiem ejus (Joab) pacifice ad inferos. 3. *Reg.* 2. 6.

Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum. *Job.* 17. 13.

Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni. *Ibid.* 26.

Insuper et caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Psal.* 15. 9. 10.

Infernus, et perditio coram Domino : quanto magis corda filiorum hominum? *Prov.* 15. 11.

Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. *Eccli.* 24. 45.

Non est enim in inferno accusatio vitæ. *Ibid.* 41. 7.

Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, etc. *Isa.* 5. 14.

Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, et dormierunt incircumcisi, interfecti gladio. *Ezech.* 32. 21.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne : consolatio abscondita est ab oculis meis. *Oseæ* 13. 14.

Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. *Zach.* 9. 11.

Quoniam non derelinques animan meam in inferno : nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. *Act.* 2. 27. *V. v.* 31. *et. c.* 13. 35. *Item Psal:* 15. 10.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent. *Luc.* 1. 79.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Ibid.* 6. 22. *V. Joan.* 14. 3.

Delens, quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis : et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci : et expolians principatus, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. *Coloss.* 2. 14. 15.

Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum : et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. *Hebr.* 2. 14. 15.

Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit : qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, etc. 1. *Petr.* 3. 18. *et seq.*

Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum. *Apoc.* 1. 5. Ego sum primus, et novissimus : et vivus, et fui mortuus : et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis, et inferni. *v.* 17. 18. *V. Hebr.* 10. 19. *et c.* 11 *v.* 39. 40.

LINGUA et LOQUELA. — *A lingua mala cavendum. V.* **Detractio.**

Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. *Exod.* 22. 28.

Non eris criminator, nec susurro in populo. *Lev.* 19. 16.

A flagello linguæ absconderis, et non timebis calamitatem cum venerit. *Job.* 5. 21.

Tota die injustitiam cogitavit lingua tua : sicut novacula acuta fecisti dolum. *Psal.* 51. 4.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum. *Psal.* 139. 4. Vir linguosus non dirigetur in terra : virum injustum mala capient in interitu. *v.* 12. *V. Psal.* 5. 11. *et* 13. 3. *Item Rom.* 3. 13.

Pone, Domine, custodiam ori meo : et ostium circumstantiæ labiis meis. *Psal.* 140. 3.

Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. *Prov.* 4. 24.

Abscondunt odium labia mendacia : qui profert contumeliam, insipiens est, etc. *Ibid.* 10. 18.

Simulator ore decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientia. *Ibid.* 11. 9. *V. c.* 12. *v.* 13. 19. 22.

Lingua sapientium ornat scientiam : os fatuorum ebullit stultitiam. *Ibid.* 15. 2. *V. c.* 16. 27.

Homo perversus suscitat lites : et verbosus separat principes. *Ibid.* 16. 28. *V. c.* 30. 11. *et* 14.

Qui perversi cordis est, non inveniet bonum : et qui vertit linguam, incidet in malum. *Ibid.* 17. 20.

Labia stulti miscent se rixis : et os ejus jurgia provocat. Os stulti contritio ejus : et labia ipsius, ruina animæ ejus. Verba bilinguis quasi simplicia : et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. *Ibid.* 18. 6. 7. 8.

Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis, etc. *Ibid.* 20. 19.

Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Ibid.* 21. 23. *V. c.* 26. 20. *et c.* 30. 11. *et* 14.

Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. *Eccles.* 5. 2.

Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit : os autem, quod mentitur, occidit animam. *Sap.* 1. 11.

Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris, et confundaris. Super furem enim est confusio et pœnitentia, et denotatio pessima super bilinguem : susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia. *Eccli.* 5. 16. 17. *V. c.* 25. 11.

Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam, etc. *Ibid.* 28. 15. *et seq.* Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia, et seras. *v.* 28. *V. et versus sequentes.*

Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali ? *Matth.* 12. 34.

Corrumpunt mores bonos colloquia mala. 1. *Cor.* 15. 33. *V.* 1. *Petr.* 2. 1.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. *Jac.* 1. 19. *Prov.* 17. 27.

Lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit? Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. *Ibid.* 3. 5. 6. Linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. *v.* 8.

Nolite detrahere alterutrum, fratres, etc. *Ibid.* 4. 11.

LINGUA *discrete moderanda.*

In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est, etc. *Prov.* 10. 19.

De fructu oris sui unusquique replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei. *Ibid.* 12. 14.

De fructu oris sui homo satiabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua. Qui custodit os suum, custodit animam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Ibid.* 13. 2. 2.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est : et pretiosi spiritus vir eruditus, etc. *Ibid.* 17. 27.

Mors et vita in manu linguæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus. *Ibid.* 18. 21.

Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Ibid.* 21. 23.

Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. *Eccli.* 14. 1. *V. c.* 1. 9.

Est tacens, qui invenitur sapiens : et est odibilis, qui procax est ad loquendum. *Ibid.* 20. 5. *V. c.* 22. 33.

Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum : est enim in illa verbum peccati. *Ibid.* 23. 17. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. *v.* 20.

Dico autem vobis (ait Christus), quoniam omne verbum otiosum, quod locuti

fuerunt homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matth.* 18. 36. *V. c.* 5. 37.

Bonus homo de bono thesauro cordis suis profert bonum : et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Luc.* 6. 45.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. *Jacob.* 1. 19.

In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir. *Ibid.* 3. 2.

Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. 1. *Petr.* 3. 10. *V. Psal.* 33. 13.

LINGUA. — *Loquenda sunt vera, honesta, et quæ audientibus prodesse queant.*

Domine, qui habitabit in tabernaculo tuo? — Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, etc. *Psal.* 14. 1. 3. Qui jurat proximo, et non decipit, etc. Qui facit hæc, non movebitur in æternum. *v.* 4. *et* 6.

De fructu oris sui homo satiabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua. Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov.* 13. 2. 3.

Labia deosculabitur, qui recta verba respondet. *Ibid.* 24. 26.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. *Ibid.* 25. 11. *V. c.* 29. 20. *Item. Eccles.* 5. 2.

Sit autem sermo vester : est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. *Matth.* 5. 37. *V. Jacob.* 5. 12.

Dico autem vobis (ait Christus), quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Ibid.* 12. 36.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. *Ephes.* 4. 29.

Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ibid.* 5. 3.

Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. *Coloss.* 3. 8.

Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. 1. *Petr.* 3. 10. *V. Psal.* 33. 13.

LINGUA. — *Loquendi tempus et opportunitas.*

Lætatur homo in sententia oris sui : et sermo opportunus est optimus. *Prov.* 15. 23.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. *Ibid.* 25. 11. *V. Eccles.* 8. 5.

Priusquam audias, ne respondeas verbum : et in medio sermonum ne adjicias loqui. *Eccli.* 11. 8.

Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens, sciens tempus aptum. *Ibid.* 20. 6.

Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. *Ibid.* 32. 9. *V. c.* 33. 4.

LINGUA. — *Quomodo loquendum.*

Respondete, obsecro, absque contentione : et loquentes id, quod justum est, judicate. *Job* 6. 29.

Lingua placabilis, lignum vitæ : quæ autem immoderata est, conteret spiritum. *Prov.* 15. 4. *V. c.* 16. 20 *et* 24.

Totum spiritum suum profert stultus : sapiens differt, et reservat in posterum. *Ibid.* 29. 11.

Noli citatus esse in lingua tua : et inutilis, et remissus in operibus tuis. *Eccli.* 4. 34.

Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris, et confundaris. *Ibid.* 5. 16.

Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos: et lingua eucharis (scil. gratiosa) in bono homine abundat. *Ibid.* 6. 5.

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. *Coloss.* 4. 6.

LINGUA *indiscreta Deum provocat.*

Non eris criminator, nec susurro in populo, *Levit.* 19. 16.

Quid gloriaris in malitia —? Tota die injustitiam cogitavit lingua tua — Dilexisti malitiam — Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem. *Psal.* 51 3. *et seq.*

Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere : nec præteriet illum corripiens judicium. *Sap.* 1. 8.

Væ duplici corde, et labiis scelestis. *Eccli.* 2. 14.

Narratio peccantium odiosa, et risus illorum in deliciis peccati. *Ibid.* 27. 14.

Attendi et auscultavi : nemo, quod bonum est, loquitur. *Jerem.* 8. 6.

Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. *Joan.* 3. 31.

Non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. 1. *Tim.* 5. 13.

LINGUA... *se ipsam lædit.*

Numquid qui multa loquitur, non et audiet? aut vir verbosus justificabitur? *Job.* 11. 2.

Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. *Ibid.* 13. 5.

Vir linguosus non dirigetur in terra. *Psal.* 139. 12.

Ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *Prov.* 14. 23.

Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus. *Ibid.* 17. 4.

Os stulti contritio ejus: et labia ipsius, ruina animæ ejus. *Ibid.* 18. 7.

Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens. *Ibid.* 25. 14. Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *v.* 28.

Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. *Ibid.* 29. 20.

Labia insipientis præcipitabunt eum : initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus. *Eccles.* 10. 12. 13.

Lingua — imprudentis, subversio est ipsius. *Eccli.* 5. 15.

Qui multis utitur verbis, lædet animam suam. *Ibid.* 20. 8. Homo acharis (scil. ingratus), quasi fabula vana; in ore indisciplinatorum assidua erit. *v.* 21.

In ore fatuorum cor illorum. *Ibid.* 21. 29.

Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos : et attende, ne forte labaris in lingua tua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem. *Ibid.* 28. 29. 30.

Qui sophistice loquitur, odibilis est : in omni re defraudabitur. Non est illi data a Domino gratia : omni enim sapientia defraudatus est. *Ibid.* 37. 23. 24.

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam — hujus vana est religio. *Jacob.* 1. 26.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus, etc. *Ibid.* 3. 2. 3. Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis, quam magnam silvam incendit! Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem : et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. *v.* 5. *usq. ad* 11. *V. Detractio et maledictio.*

LINGUA... *proximum molestat.*

Ad increpandum tantum eloquia concinnatis; et in ventum verba profertis. *Job* 6. 26.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum gladius acutus. *Psal.* 56. 5.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. *Psal.* 119. 2.

Os bilingue detestor *Prov.* 8. 13.

Verba impiorum insidiantur sanguini : os justorum liberabit eos. *Ibid.* 12. 6.

Lingua fallax non amat veritatem : et os lubricum operatur ruinas. *Ibid.* 26. 28.

Narratio fatui, quasi sarcina in via. *Eccli.* 21. 19.

Pungens oculum deducit lacrymas : et qui pungit cor, profert sensum. *Ibid.* 22. 24.

Verbum nequam immutabit cor : ex quo partes quatuor oriuntur, bonum et malum, vita et mors : et dominatrix illorum est assidua lingua. *Ibid.* 37. 21.

LINGUA... *discordiam seminat.*

Propter peccata labiorum ruina proximat malo : effugiet autem justus de angustia. *Prov.* 12. 13,

Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit. Homo perversus suscitat lites; et verbosus separat principes. *Ibid.* 16. 27. 28.

Labia stulti miscent se rixis : et os ejus jurgia provocat. *Ibid.* 18. 6. Verba bilinguis quasi simplicia : et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. *v.* 8.

Terribilis est in civitate suâ homo linguosus : et temerarius in verbo suo odibilis erit. *Eccli.* 9. 25.

Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. Anima calida, quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat : et homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. *Ibid.* 23. 21. *et seq.*

Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. *Ibid.* 28. 19. 20. Multi ceciderunt in ore gladii ; sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. *v.* 22.

LINGUA... *modum non servat, scilicet quando loquendum.*

Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. *Prov.* 18. 13. *V. Eccli.* 11. 8.

Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. *Ibid.* 29. 20.

A facie verbi parturit fatuus — Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. *Eccli.* 19. 11. 12.

Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. *Ibid.* 20. 7. Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo. *v.* 22.

LINGUA... — ... *cui loquendum.*

Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum. *Eccli.* 7. 15.

Labia imprudentium stulta narrabunt. *Ibid.* 21. 28.

Musica in luctu, importuna narratio. *Ibid.* 22. 6. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. *v.* 8. Cum stulto, ne multum loquaris. *v.* 14.

LINGUA... — ... *quomodo loquendum.*

Non decent stultum verba composita (scil. magnificus sermo) : nec principem labium mentiens (scil. sermo mendax). *Prov.* 17. 7.

Quomodo si spina nascatur in manu temulenti : sic parabola in ore stultorum. *Ibid.* 26. 9.

In multis sermonibus invenietur stultitia. *Eccles.* 5. 2.

Stultus verba multiplicat. *Ibid.* 10. 14.

Ne iteres verbum nequam et durum, et non minoraberis. *Eccli.* 19. 7.

LONGANIMITAS. *V. et* **Spes.**

LONGANIMITAS. — *Longanimitatis divinæ fructus.*

Nec vult Deus perire animam : sed retractat, cogitans, ne penitus, pereat, qui abjectus est. 2. *Reg.* 14. 14.

Sed misereris omnium (Domine), quia omnia potes : et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24.

Altissimus est enim patiens redditor. *Eccli.* 5. 4.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus : beati omnes, qui expectant eum. *Isa.* 30. 18.

Arborem fici, etc. *Luc.* 13. 6. *V. Tit. Arbor.*

Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3. 9.

LONGANIMITAS. — *Longanimitatis contemptus.*

Clemens et misericors (Dominus), longanimis, et multæ miserationis : (et tamen noluerunt audire). 2. *Esdr.* 9. 17.

Et erit eis verbum Domini : Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reespecta, modicum ibi, modicum ibi : ut vadant et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur et capiantur. *Isa.* 28. 13.

Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. *Ibid.* 42. 14.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. *Ibid.* 65. 2.

Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel, dicentium : In longum differentur dies, et peribit omnis visio? *Ezech.* 12. 22. Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel. Quia ego Dominus loquar : et quodcumque

locutus fuero verbum, fiet, etc. *v.* 24. *et* 25.

An divitias bonitatis ejus (Dei), et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. *Rom. et seq.*

LOQUACITAS. *V.* **Silentium.**

LOQUELA *et loquenda. V.* **Lingua.**

LOTIO *pedum.*

Sed afferam pauxillum aquæ (ait Abraham ad Angelos hospitio susceptos), et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. *Gen.* 18. 4.

Et dixit (Lot Angelis hospitio susceptis) : Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi : lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. *Ibid.* 19. 2.

Et introductis (fratribus Joseph), domum, attulit aquam (dispensator domus), et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. *Ibid.* 43. 24. *V. c.* 24. 32.

Surgit a cœna (Christus), et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus. *Joan.* 13. 4. 5. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. *v.* 14.

In operibus bonis testimonium habens (vidua, quæ eligenda est) : si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si omne opus bonum subsecuta est. 1. *Tim.* 5. 10.

LUCTUS. — *Lugendum amare super peccata.*

Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus : non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, etc. *Judith* 8. 14. 15.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paullulum dolorem meum : antequam vadam, etc. *Job.* 10. 20. 21.

Laboravi in gemitu meo, etc. Discedite a me, omnes, qui operamini iniquitatem. *Psal.* 6. 7. *et* 9.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. *Psal.* 55. 9.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. *Psal.* 118. 136.

Tempus flendi. *Eccles.* 3. 4.

Vox in viis audita est, ploratus et ululatus filiorum Israel : quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui. *Jerem.* 3. 21.

In fletu venient, et in misericordia reducam eos. *Ibid.* 31. 9.

Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, etc. *Joel.* 2. 12. 13.

(Petrus) egressus foras, flevit amare (propter peccata). *Matth.* 26. 75. *V. Marc.* 14. 72. *et Luc.* 22. 62.

LUCTUS. — ... *super fratrum calamitates.*

Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. *Eccli.* 7. 38.

Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiæ : plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini. *Jerem.* 13. 17.

Flere cum flentibus. *Rom.* 12. 15.

Et qui flent, tamquam non flentes. 1. *Cor.* 7. 30.

Et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt. 2. *Cor.* 12. 21.

LUX *est Deus in se incomprehensibilis.*

In manibus abscondit lucem, et præcipit ei, ut rursus adveniat. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. *Job* 36. 32. 33.

Amictus lumine sicut vestimento. *Psal.* 103. 2.

Ego sum lux mundi. *Joan.* 8. 12.

Lucem inhabitat (Deus) inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor et imperium sempiternum. Amen. 1. *Tim.* 6. 16.

Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. 1. *Joan.* 1. 5. *V. et. Joan.* 8. 12.

LUX *gratiæ illuminat intellectum.*

Multi dicunt : Qui ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui. *Psal.* 4. 6. 7.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. *Psal.* 88. 16.

Exortum est in tenebris lumen rectis. *Psal.* 111. 4.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. *Isa.* 9. 2. *V. c.* 60. 19. *et* 20.

Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. Ut aperires oculos cæcorum, etc. *Ibid.* 42. 6. 7.

Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea, etc. *Ibid.* 49. 6.

Qui ambulavit in tenebris, et non et lumen ei, speret in nomine Domini; et innitatur super Deum suum. *Ibid.* 50. 10.

Surge, illuminare, Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. *Ibid.* 60. 1.

Consurgam, cum sedero in tenebris : Dominus lux mea est. *Mich.* 7. 8.

Terra Zabulon et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium : populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. *Matth.* 4. 15. 16.

Erat lux vera, quæ illumimat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1. 9.

Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. *Ephes.* 3. 14.

LUX *gratie inflammat affectum.*

Emitte lucem tuam et veritatem tuam. *Psal.* 42. 3.

Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. *Psal.* 96. 11.

Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini. *Isa.* 2. 5.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo. *Ibid.* 6). 3.

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. *Joan.* 9. 5.

Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. *Ibid.* 12. 35. 36.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia, etc. *Ephes.* 5. 8. 9.

Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat : omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei : non sumus noctis, neque tenebrarum : igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus. 1. *Thess.* 5. 4. *et. seq.*

Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus; mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce; societatem habemus ad invicem. 1. *Joan.* 1. 6. 7.

Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso, et in vobis : quia tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. Qui dicit, se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. *Ibid.* 2. 8. *et. seq.*

LUX *gratiæ malis est odibilis.*

Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, etc. *Job* 24. 13.

Auferetur ab impiis lux sua. *Ibid.* 38. 15.

Hoc est autem judicium : Quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem — Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non arguantur opera ejus. *Joan.* 3. 19. 20.

LUX *naturalis jucunda.*

Et ait Tobias : Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video? *Tob.* 5. 12.

Lux oculorum lætificat animam. *Prov.* 15. 30.

Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. *Eccles.* 11. 7.

Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum. *Isa.* 45. 6. 7.

LUX *exemplaris.*

Lux oculorum lætificat animam. *Prov.* 15. 30.

Vos estis lux mundi. *Matth.* 5. 14. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. *v.* 16.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. *Joan.* 3. 21.

Ille (Joannes) erat lucerna ardens, et lucens. *Ibid.* 5. 35.

Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *Rom.* 12. 17.

Commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 2. *Cor.* 4. 2.

Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. *Ibid.* 8. 21.

Ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ : inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, ad gloriam meam in die Christi. *Philipp.* 2. 15. 16.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Ibid.* 4. 5.

In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt; tempus redimentes. *Coloss.* 4. 5.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum : in integritate, etc. *Tit.* 2. 7.

Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam : ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. 1. *Petr.* 2. 12.

LUX *est Christus.*

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. *Isa.* 9. 2.

Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. Ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, et de domo carceris sedentes in tenebris. *Ibid.* 42. 6. 7.

Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. *Ibid.* 49. 6. *V. Act.* 13. 47.

Surge, illuminare, Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. *Ibid.* 60. 1. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. *v.* 3. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. *v.* 19. *V. et. v.* 20.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt. *Joan.* 1. 4 5.

Iterum ergo locutus est eis (Scribis et Pharisæis) Jesus, dicens : Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Ibid.* 8. 12.

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. *Ibid.* 9. 5.

Dum lucem habetis dixit Jesus turbis Judæorum), credite in lucem, ut filii lucis sitis. *Ibid.* 12. 36. Ego lux in mundum veni ; ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. *v.* 46.

Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. 1. *Joan.* 1. 5.

Iterum mandatum novum scribo vobis — quia tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. *Ibid.* 2. 6.

LUX *sunt Christiani.*

Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant. *Prov.* 4. 18. 19.

Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. *Isa.* 62. 1.

Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. *Matth.* 5. 14. *V. Rom.* 2. 19.

Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus : ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ : inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. *Philipp.* 2. 14. 15.

LUXURIA *V. et.* **Adulterium et fornicatio.**

(Peccatum carnis præcipua videtur fuisse causa, propter quam Dominus diluvio delevit mundum ; juxta illud) : Omnis quippe caro corruperat viam suam. *Gen.* 6. 12.

(Idem peccatum carnis et luxuriæ, fuit etiam causa horribilis incendii Sodomæ). *Ibid. c.* 19.

(Vide etiam quot et quanta mala evenerint ex ardenti amore Sichem filii Hemor, qui violenter Dinam oppressit). *Ibid. c.* 34.

(Luxuriosi quandoque luxuriam in aliis detestantur, ut patet in Juda, qui dixit de Thamar) : Producite eam, ut comburatur. *Ibid.* 38. 24.

(Occasione uxoris Levitæ, quam filii Belial in Gabaa Benjamin incredibili libidinis furore vexarunt, occisa sunt plus quam 25000 hominum). *Judic. c.* 19. *et* 20. *v.* 46.

(Dixit Angelus Tobiæ) : Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, qui-

bus non est intellectus : habet potestatem dæmonium super eos. *Tob.* 6. 17. (Quid ergo dicendum de fornicatoribus, qui nihil aliud intendunt, nisi fœdam suam libidinem explere)?

Cor autem Holofernis concussum est : erat enim ardens in concupiscentia ejus. *Judith.* 12. 16.

(Duo senes ita fuerunt amore Susannæ decepti, ut dum illa voluntatem eorum facere recusavit, mortem illius procurare conati sunt). *Dan. c.* 13.

(Tempore Antiochi) templum luxuria et comessationibus Gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant. 2. *Mach.* 6. 4.

(Exemplo filii prodigi, qui dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose, patet, quod vitium istud et peccatum depauperat) : unde dicitur *Luc.* 15. 14. Cœpit egere : *item v.* 14. (quod) pasceret porcos, etc. (ex quo sequitur, quod luxuria etiam vilificet naturam).

M

MAGIA. *V. et* **Incantationes.**

(Coram Moyse et Aarone confunduntur magi et malefici in Ægypto), sed devoravit virga Aaron virgas eorum. *Exod.* 7. 12. (Quin et ipsi ulceribus percussi, coram Moyse stare non possunt). *Ibid.* 9. 11.

(Magi in Ægypto cum omni sua arte non poterant producere sciniphes : ex quo patet, non omnia illis a Deo esse permissa). *Ibid.* 8. 18.

(Inter alias leges judicibus a Deo datas, est etiam ista) : Maleficos (seu magos) non patieris vivere. *Ibid.* 22. 18.

Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. *Levit.* 19. 31.

Anima, quæ declinaverit ad magos et ariolos, etc. ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. *Ibid.* 20. 6.

Saul abstulit magos et ariolos de terra. 1. *Reg.* 28. 3. *V. et v.* 9. (Sed mox deinde ab hostibus coarctatus, pythonissam consuluit. *v.* 7. Postridie vero ejus diei in peccatis suis mortuus, se ipsum gladio suo interemit). *c.* 31. 4

(Ochoziæ regi, ob consultum Beelsebud Dei Accaron oraculum, mortem prædicit Elias). 4. *Reg.* 1. 3.

(Inter alia peccata, propter quæ Israelitæ sub Rege Osee ab Assyriis in captivitatem abducti fuerunt, etiam hoc adducitur) : Et divinationibus inserviebant et auguriis. *Ibid.* 17. 17.

Manasses rex observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos et incantatores. 2. *Paral.* 33. 6. Idcirco principes exercitus regis Assyriorum ceperunt Manassen : et vinctum catenis, atque compedibus, duxerunt in Babylonem. *v.* 11. *Item* 4. *Reg.* 25. 6.

(Simon magus, postquam multos suis magiis dementasset, tandem credidit, et baptizatus est : sed vana fuit ejus conversio). *Act.* 8. 9. *et seq.*

Multi autem ex eis, qui fuerunt curiosa sectati, contulerunt libros (magicos), et combusserunt coram omnibus. *Ibid.* 19. 19.

MAGISTERIUM *non ambiendum.*

Vos autem nolite vocari Rabbi : unus est enim Magister vester; omnes autem vos fratres estis. *Matth.* 23. 8. Nec vocemini magistri : quia Magister vester unus est, Christus. *v.* 10.

Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. *Joan.* 3. 1.

MAGNANIMITAS. *V.* **Confidentia.**

MALEDICENTIA. *V.* **Detractio.**

MALEDICTIO, *qua Deus maledicit homini.*

(Serpens legitur a Deo maledictus fuisse) : Maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ super pectus tuum gradieris, etc. *Gen.* 3. 14.

(Ad pœnam hominis dictum est) : Maledicta terra in opere tuo. *Ibid. v.* 17. *Item ad Cain, ibid.* 4. 11. Maledictus eris super terram. *V. et. c.* 5. 29.

Maledictus furor eorum (Simon et Levi), quia pertinax : et indignatio eorum, quia dura : dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel. *Ibid.* 49. 7.

Locutusque est Dominus ad Moysen; dicens : Loquere ad filios Israel, etc. *Num.* 5. 11. His maledictionibus subjacebis (loquitur de muliere polluta cum al-

tero viro) : Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo : putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur, etc. *v.* 21. *et seq.*

En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem : si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis (loquitur Israelitis Moyses) : maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, et ambulaveritis post Deos alienos, quos ignoratis. *Deut.* 11. 26. *V. c.* 21. 23. *et c.* 27. 15. *usque ad finem.*

Benedixit (Josue) populo Israel. Post hæc legit omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quæ scripta erant in legis volumine. *Josue* 8. 33. *V. Deut.* 28. 16. *et seq. Item* 1. *Reg.* 17. 43.

Excussi sinum meum, et dixi (scilicet Nehemias avaris) : Sic excutiat Deus omnem virum, qui non complevit verbum istud, de domo sua, et de laboribus suis : sic excutiatur, et vacuus fiat. 2. *Esdr.* 5. 13.

Sicut avis ad alia transvolans, et passer quo libet vadens : sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet. *Prov.* 26. 2.

Quia per memetipsum juravi, dicit Dominus, quod in solitudinem et in opprobrium, et in desertum, et in maledictionem erit Bofra : et omnes civitates ejus. erunt in solitudines sempiternas. *Jerem.* 49. 13.

(Plorans Jeremias excidium civitatis Jerusalem, dixit) : Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ. *Thren.* 2. 7.

(Daniel in oratione sua dicebat) : Stillavit super nos maledictio. *Dan.* 9. 11. (Nota, quod maledictio dicitur super peccatores stillare, sed benedictio super justos inundare : Benedictio illius quasi fluvius inundavit. *Eccli.* 39. 27.)

(Sacerdotibus malis loquens Dominus per Malachiam Prophetam dicit) : Et maledicam benedictionibus vestris. *Malach.* 2. 2.

(Ficus, habens folia sine fructu, maledicta fuit a Domino, et continuo aruit). *Matth.* 21. 19. *V. Marc.* 11. 14.

Discedite a me maledicti in ignem æternum. *Ibid.* 25. 44. (O quam terribilis ista maledictio, contra reprobos proferenda in die judicii) !

MALEDICTIO, *qua homo homini maledicit.*

(Primus inter homines legitur Noe madixisse Chanaan nepoti suo, pro eo quod Cham pater ejus nuditatem ipsius Noe cæteris fratribus nuntiavit, cum potius eam tegere debuisset). *Gen.* 9. 25.

(Inter alia verba benedictionis, qua benedixit Isaac filio suo, extant et hæc) : Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus. *Ibid.* 27. 29. *V. c.* 12. 3.

Principi populi tui non maledices. *Exod.* 22. 28.

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum. *Levit.* 19. 14.

Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur, etc. *Ibid.* 20. 9. *V. Exod.* 21. 17. *Prov.* 20. 20. *Matth.* 15. 4. *Marc.* 7. 10.

(Balac misit nuntios ad Baalam, ut veniret et malediceret populo Israel, dicens): Novi enim, quod benedictus sit, cui benedixeris, et maledictus, in quem maledicta congesseris. *Num.* 22. 6. *V. Capita* 22. 23. *et* 24. *per tot.*

(Diruta civitate Jericho), imprecatus est Josue, dicens : Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho. *Josue* 6. 25. 26.

(Sichemitæ) inter epulas et pocula maledicebant Abimelech. *Judic.* 9. 27. *V. c.* 5. 23.

(Saul volens persequi Philistæos), adjuravit — populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. 1. *Reg.* 14. 24.

Et maledixit Philisthæus (Goliath) David in diis suis. *Ibid.* 17. 43.

(Semei procedebat egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra David, et dicebat) : Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial. 2. *Reg.* 16. 7.

(Eliseus maledixit pueris illudentibus ei, et dicentibus) : Ascende calve, ascende calve. (Et lacerati sunt quadraginta duo pueri a duobus ursis). 4. *Reg.* 2. 23. 24.

Maledictio autem matris eradicat fundamenta. *Eccli.* 3. 11.

(Cum Judas Machabæus obsideret quoddam præsidium), hi, qui intus erant — supra modum maledicebant, et sermones nefandos jactabant. 2. *Mach.* 10. 34.

(Pharisæi maledixerunt cæco nato, per Jesum illuminato), et dixerunt : Tu discipulus illius fis. *Joan.* 9. 28.

(Arguebant Judæi Paulum, dicentes) :

Summum Sacerdotem Dei maledicis? (Sed ille excusavit se, et dixit) : Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum. *Act.* 23. 4. 5.

MALEFICIA. *V.* **Incantationes.**

MALUM *dicens bonum, punietur.*

Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. *Isa.* 5. 20.

Qui dicunt impio : Justus es : maledicent eis populi : et detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur : et super ipsos veniet benedictio. *Prov.* 24. 24. 25.

In eo quod dicitis : Omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii ? (Comminatur Dominus, se maledicturum benedictionibus sacerdotum, nisi resipiscant, etc.). *Malach.* 2. 17.

MALUM *declinandum et bonum faciendum.*

Ne sis sapiens apud temetipsum : time Deum, et recede a malo. *Prov.* 3. 7.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse, discite benefacere, etc. *Isa.* 1. 16.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, etc. *Ezech.* 18. 21. 22.

MALI. — *Malorum multitudo.*

(Cum factum fuit diluvium, octo tantum homines salvati sunt). Omnis quippe caro corruperat viam suam. *Gen.* 6. *per totum.*

(In quinque civitatibus Sodomorum non sunt inventi decem justi). *Ibid.* 18. 32.

(Plures fuerunt filii Ismaelis, quam filii Isaac; et plures filios suscepit Abraham de Cetura, quam de Sara). *Ibid. c.* 25. *per totum.*

(Inter omnes fratres Joseph non fuerunt nisi duo, Ruben et Judas, qui laboraverunt ut ipsum liberarent : sed prævaluerunt tamen mali). *Ibid.* 37. 22. *et* 26.

(Sexcenta millia pugnatorum numerati fuerunt, de quibus duo tantum, Caleb et Josue, intraverunt terram promissionis). *Num.* 11. 21. *etc.* 14. 30.

(Moyses exploratores misit ad considerandum terram promissionis; sed duo tantum erant boni, scilicet Josue et Caleb). *Ibid.* 14. 6. *V. et. Caput præcedens.*

(Plures fuerunt cum Absalom regnum patris usurpare nitente, quam cum David bene et juste regnante). 2. *Reg.* 15. *per totum.*

(Major pars filiorum Israel fuit in regno Samariæ, scilicet decem tribus, ubi erant homines multo pejores : minor autem pars in regno Jerusalem, scilicet duæ tantum tribus). 3. *Reg.* 12. *per totum.*

(Tantus erat numerus bellatorum regis Syriæ, qui pugnabant contra Israel, ut diceret ipse rex, pulverem Samariæ non sufficere pugillis eorum). *Ibid.* 20. 10.

(In exercitu Holofernis tantus erat numerus bellatorum, ut cooperuerint) faciem terræ, sicut locustæ. *Judith.* 2. 11.

(Omnis populus, qui habitabat in terra Ægypti, et mulieres,) quarum stabat multitudo grandis, (sacrificabant diis alienis). *Jerem.* 44. 15.

(Non remanserunt cum Juda Machabæo nisi octingenti viri ; et erant in exercitu Bacchidis et Alcimi proditoris 20000 virorum, et duo millia equitum). 1. *Mach.* 9. 3.

Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc (dimitte), sed Barabbam. *Joan.* 18. 40. (Ergo in maxima multitudine ista, quæ erat eo tempore Paschali in Jerusalem, quando passus est Dominus, non inventus est vir, qui se opponeret manifeste morti tam nequiter procuratæ).

De secta hac (Christianorum) notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. (Sic quidam Judæi, quos invenit Paulus Romæ in primo adventu suo, dixerunt ei). *Act.* 28. 22.

MALI *opprimentes bonos.* *V.* **Oppressio bonorum.**

MALI. — *Malorum consortium vitandum.*

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. *Psal.* 1. 1.

Non sedi cum concilio vanitatis : et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignantium : et cum impiis non sedebo. *Psal.* 25. 4. 5.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. *Prov.* 1. 10.

Vade contra virum stultum : et nescit labia prudentiæ, etc. *Ibid.* 14. 7.

Time Dominum, fili mi, et regem : et cum detractoribus non commiscearis : quoniam repente consurget perditio eorum : et ruinam utriusque quis novit? *Ibid.* 24. 21. 22.

Qui cum fure participat, odit animam suam : adjurantem audit, et non indicat. *Ibid.* 29. 24.

Discede ab iniqno, et deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te : ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries. *Ibid.* 8. 18. *V. Gen.* 4. 8.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: et qui communicaverit superbo, induet superbiam, etc. *Ibid.* 13. 1.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? 2. *Cor.* 6. 14. *et seq.*

Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis. 2. *Joan. v.* 10. *et* 11.

Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem : Exite de illa (scilicet Babylone), populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. *Apoc.* 18. 4.

MALUM *non est reddendum pro malo.*

Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. *Prov.* 17. 13.

Ne dicas : Reddam malum (pro malo) : expecta Dominum, et liberabit te. *Ibid.* 20. 22. *V. c.* 24. 29.

Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere. *Rom.* 12. 14. Nulli malum pro malo reddentes. *v.* 17.

Maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus. 1. *Cor.* 4. 12.

Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes, 1. *Thess.* 5. 15.

In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles : non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, etc. 1. *Petr.* 3. 8. 9.

MALUM *pœnæ est a Deo.*

Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. (scil. populo Israel propter eorum ingratitudinem.) *Deut.* 32. 23.

Quia dereliquerunt Dominum Deum suum (Israeliticus populus), qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt eos : idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc. 3. *Reg.* 9. 9.

Nonne vidisti (o Elia) humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus. *Ibid.* 21. 29.

Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum. *Isa.* 45. 6. 7.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt : et clamabunt ad me, et non exaudiam eos. *Jer.* 11. 11. *V. c.* 32. 42. *Item Jonæ* 3. 10.

Propter quod statuit Dominus Deus noster — ut adduceret — super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo, quemadmodum facta sunt in Jerusalem, etc. Ut manducaret homo carnes filii sui, et carnes filiæ suæ. *Baruch.* 2. 1. *et seq. V. Deut.* 28. 53.

Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescat? si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? *Amos* 3. 6.

Descendit malum a Domino in portam Jerusalem. *Mich.* 1. 12.

Dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam malum : unde non auferetis (scilicet Samaria et Jerusalem) colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. *Ibid.* 2. 3.

MALUM *culpæ summæ aversatur Deus, multo minus Deum auctorem habet.*

Mendacium fugies : insontem et justum non occides : quia aversor impium. *Exod.* 23. 7.

Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum. 2. *Paral.* 19. 7.

Deus enim illorum (filiorum Israel) odit iniquitatem. *Judith* 5. 21.

Viri cordati, audite me, absit a Deo impietas et ab Omnipotente iniquitas. *Job* 34. 10.

Mane astabo tibi, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Psal.* 5. 5. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem : perdes omnes, qui loquuntur mendacium, etc. *v.* 7.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. *Psal.* 44. 8.

Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia. Abominatio est Domino via impii : qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. *Prov.* 15. 8. 9.

Similiter autem odio sunt Deo, impius, et impietas ejus. *Sap.* 14. 9.

Nemini mandavit (Deus) impie agere, et nemini dedit spatium peccandi. *Eccli.* 15. 21.

Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum. *Oseæ* 13. 9.

Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. *Rom.* 9. 14.

Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? 2. *Cor.* 6. 15.

Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat. *Jacob.* 1. 13.

MALI. — *Malos Rectores et Prælatos seu Præpositos permittit Deus ob peccata populi.*

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job* 34. 30. *V.* 3. *Reg.* 12. 14.

Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. *Isa.* 29. 10. *V. Ezech.* 14. 9.

Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. *Oseæ* 13. 11.

Ideo (quia Christum non receperunt) mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. 2. *Thess.* 2. 10.

MALI. — ... ... *jubetque eis obedire.*

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite : secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt, etc. *Matth.* 23. 2. 3.

Servi, subditi estote — dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. 1. *Petr.* 1. 18.

MALI. — *Malorum etiam ministrorum opera utitur Deus.*

Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Matth.* 7. 22.

Respondit illi (Jesu) Joannes, dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum, etc. *Marc.* 9. 37. *Idem verbatim habetur Luc.* 9. 49.

MANENDUM *est nobis in Christo.*

Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : nisi in me manseritis, etc. *Joan.* 15. 4. *et seq.*

Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. *Rom.* 8. 1.

Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus. 1. *Cor.* 12. 13.

Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati, et superædificati, etc. *Coloss.* 2. 6. 7.

Et nunc, filioli, manete in eo : ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus. 1. *Joan.* 2. 28. *V. v.* 6. *et* 27.

Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo : et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu, quem dedit nobis. *Ibid.* 3. 24.

In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. *Ibid.* 4. 13.

MANNA.

(Murmurantibus in Sin Israelitis, pluit Dominus coturnices et Man ad saturitatem : jussio Domini de eo colligendo, et in monumento reponendo). *Exod. c.* 16. *per totum.*

Anima nostra arida est : nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii. *Num.* 11. 6. 7.

Affligit te penuria (Israel), et dedi tibi cibum Manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostenderet tibi, quod non in

solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. *V. Josue* 5. 12.

Et pluit illis Manna ad manducandum; et panem cœli dedit eis. *Psal.* 77. 24.

Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. *Sap.* 16. 20.

Patres nostri manducaverunt Manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cælo dedit eis manducare. *Joan.* 6. 31. *Exod.* 16. 14. *Item* 1. *Cor.* 10. 3.

MANSUETUDO. *V. et* **Patientia in adversis.**

Ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. *Josue* 7. 19.

Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem. *Prov.* 15. 1. *V.* 1. *Reg.* 25. 25. *Item* 2. *Reg.* 16. 10. *et seq.*

Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. *Eccli.* 1. 29.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth.* 5. 4. *V. Psal.* 36. 11.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *Ibid.* 11. 29.

Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. *Galat.* 5. 22. 23. *V. c.* 6. 1.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, etc. *Ephes.* 4. 1. 2.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, etc. *Coloss.* 3. 12. 13.

Admone illos — neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Tit.* 3. 1. 2. *V. Tim.* 2. 24. 25.

MARE *creatur.*

Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, terram, congregationesque aquarum appellavit maria. *Gen.* 1. 9. 10.

MARE *concluditur suis terminis.*

Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ. *Job* 26. 10. *V. Gen.* 1. 9.

Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus. *Ibid.* 28. 26.

Quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. *Prov.* 8. 29.

MARE *cedit filiis Israel.*

Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum : divisaque est aqua. *Exod.* 14. 21.

MARE *sedatur verbis Christi.*

Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. *Matth.* 8. 26.

MARIA *Virgo prænuntiata.*

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. *Genes.* 3. 15.

Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel : et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17.

In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* 18. 6.

Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Psal.* 44. 9. 10.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus : Deus in medio ejus, non commovebitur : adjuvabit eam Deus mane diluculo. *Psal.* 45. 5. 6.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini *Psal.* 83. 2. 3.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *Psal.* 86. 3.

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. *Psal.* 132. 8.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. *Prov.* 31. 10. Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu supergressa es universas. *v.* 29.

Osculetur me osculo oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dixerunt te : Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua : exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te. *Cant.* 1. 1. *et seq.* Si ignoras te, o pulcherima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum (tuorum), et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. *v.* 7. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum, etc. *v.* 14. *per totum caput.*

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. *Ibid.* 2. 1. *et seq.* En dilectus meus loquitur mihi : surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, etc. *v.* 10. Surge amica mea, speciosa mea, et veni. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora, etc. *v.* 13. *et* 14. *per totum caput.*

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? etc. *Ibid.* 3. 6. *per totum caput.*

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. *Ibid.* 4. 1. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te, etc. *v.* 7. Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. *v.* 12. Fons hortorum : puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano, etc. *v.* 15. *per totum caput.*

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? etc. *Ibid.* 5. 9. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum. *v.* 17.

Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem : teribilis, ut castrorum acies ordinata. *Ibid.* 6. 3. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. Quæ est ita, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? etc. *v.* 8. *et* 9. *per totum caput.*

Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram : ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi : in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti : et in omni populo, et in omni gente primatum habui. Et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi : et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato; et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea, etc. *Eccli.* 24. 6. *et seq. per totum.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. *Isa.* 7. 14. 15.

Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini : spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, etc. *Ibid.* 11. 1. *et seq.*

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægyti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. *Ibid.* 19. 1.

Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem : et justitia oriatur simul : ego Dominus creavi eum. *Ibid.* 45. 8.

Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum. *Jerem.* 31. 22.

MARIA *Virgo præfigurata per Arcam Noe.*
Fac tibi Arcam de lignis lævigatis : mansiunculas in Arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. *Gen.* 6. 14.

— *per Rubum Moysis.*
Apparuitque ei (Moysi) Dominus in flamma ignis de medio Rubi et videbat, quod Rubus arderet, et non combureretur. *Exod.* 3. 2.

— *per Arcam fœderis.*
Arcam de lignis Setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos : latitudo, cubitum et dimidium : altitudo, cubitum similiter ac semissem. *Exod.* 25. 10.

— *per Virgam Aaronis.*
Sequenti die regressus (Moyses), invenit germinasse Virgam Aaron in domo Levi : et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. *Num.* 17. 8.

— *per Vellus Gedeonis.*
Dixitque Gedeon ad Deum : Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. Dixitque rursus ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis rore madens. Fecitque Deus nocte illa, ut postulaverat : et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra. *Judic.* 6. 36. *et seq.*

— *per Thronum Salomonis.*
Fecit etiam rex Salomon Thronum de ebore grandem : et vestivit eum auro fulvo nimis. 3. *Reg.* 10. 18. *Item* 2. *Paral.* 9. 17.

— *per Templum Salomonis.*
2. *Paral.* 2. *per totum caput. Item c.* 3. *et* 4. *V.* 3. *Reg. c.* 6. *per totum.*

— *per Portam Orientalem clausam.*
Et dixit Dominus ad me : Porta hæc (sanctuarii exterioris respicientis ad Orientem) clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea. *Ezech.* 44. 2. 3.

MARIA *Virgo præfigurata per Montem.*
Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus. *Dan.* 2. 34.

— *per præclaras mulieres.*

— *per Rebeccam.*
En Rebecca coram te est : tolle eam, et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus. *Gen.* 24. 51.

— *per Rachel.*
Gen. c. 30. *et* 31. *per totum.*

— *per Abigail.*
Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, et cecidit ad pedes ejus, etc. 1. *Reg.* 25. 23. 24.

— *per Abisag.*
Dixerunt ergo ei (David) servi sui : Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, etc. 3. *Reg.* 1. 2. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamiditem, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei ; rex vero non cognovit eam. *v.* 3. *et* 4.

— *per Judith.*
Dixit Judith (ad eos, qui veniebant ad eam, cum abscidisset Holoferni caput) : Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se : et in me ancilla sua adimplevit misricordiam suam, quam promisit domui Israel : et interfecit in manu mea hostem populi sui in hac nocte, etc. *Judith.* 13. 17. 18.

— *per Esther.*
Esther quoque inter cæteras puellas, ei (Egeo eunucho) tradita est, ut servaretur in numero fœminarum. Quæ placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius. *Esther* 2. 8. 9.
Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex (Assuere), et si tibi placet, dona mihi

animam meam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro. *Ibid.* 7. 3. *V. c.* 8. *per totum.*

MARIA *figurate et per quamdam accommodationem appellatur Stella ex Jacob.*

Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17.

MARIA *sol vocatur.*

In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* 18. 6.

— *Regina vocatur.*

Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Psal.* 44. 9. 10.

— *Tabernaculum Altissimi.*

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. *Psal.* 45. 5.

— *vocatur Terra benedicta.*

Benedixisti, Domine, terram tuam : avertisti captivitatem Jacob. *Psal.* 84. 2.

— *Civitas Dei.*

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *Psal.* 86. 3.

— *Domus Sapientiæ.*

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. *Prov.* 9. 1.

— *vocatur Mulier fortis.*

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. *Ibid.* 31. 10.

— *dicitur tota pulchra.*

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. *Cant.* 4. 7.

— *Mater pulchræ dilectionis.*

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. *Eccli.* 24. 24.

— *vocatur Virgo.*

Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (nobiscum Deus). *Isa.* 7. 14.

— *vocatur Virga Jesse.*

Et egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *Isa.* 11. 1.

MARIA *dicitur Nubes.*

Ecce Dominus ascendet super nubem levem. *Isa.* 19. 1.

— *Dicitur Porta clausa.*

Porta hæc (scilicet orientalis porta sanctuarii) clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. *Ezech.* 44. 2.

— *dicitur Mons.*

Donec abscissus est lapis de monte sine manibus. *Dan.* 2. 34.

— *vocatur, et est Mater Domini Dei.*

Et unde hoc mihi (ait Elisabeth), ut veniat Mater Domini mei ad me? *Luc.* 1. 43.

— *Mater Jesu vocatur.*

Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. *Matth.* 2. 13.

Stabant autem juxta Crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. *Joan.* 19. 25. *V. Act.* 1. 14.

MARIA *Virgo quibus rebus comparetur.*

(Comparatur vino, et oleo effuso, et odori unguentorum). *Cant.* 1. 1. 2. 3. (Tabernaculis Cedar, et pellibus Salomonis). *v.* 4. (Soli, et vineæ). *v.* 5. (Fasciculo myrrhæ). *v.* 12. (Botro Cypri in vineis Engaddi). *v.* 13.

(Flori campi et lilio convallium). *Ibid.* 2. 1. (Malo inter ligna silvarum). *v.* 3. (Cellæ vinariæ). *v.* 4. (Columbæ in foraminibus petræ). *v.* 14.

(Virgulæ) fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. *Ibid.* 3. 6. (Filiabus Sion, et regi Salomoni) in die desponsationis illius. *v.* 11.

(Oculis columbarum, et gregibus caprarum). *Ibid.* 4. 1. (Vittæ coccineæ, et fragmini mali punici). *v.* 3. (Turri David). *v.* 4. (Hinnulo capreæ). *v.* 5. (Monti myrrhæ, et colli thuris). *v.* 6. (Libano monti). *v.* 8. (Favo mellis distillanti, melli et lacti, et odori thuris). *v.* 11. (Horto concluso, et fonti signato). *v.* 12. (Paradiso malorum punicorum cum pomorum fructibus). *v.* 13. (Fonti hortorum, et puteo aquarum viventium). *v.* 15. (Aquiloni et Austro). *v.* 16.

(Fructibus pomorum). *Ibid.* 5. 1. (Elatis palmarum). *v.* 11. (Areolis aroma-

tum). *v.* 13. (Ebore et saphyris). *v.* 14. (Columnis marmoreis). *v.* 15.

(Aciei castrorum). *Ibid.* 6. 3. (Cortici mali punici). *v.* 6. (Reginis et adolescentulis). *v.* 7. (Auroræ consurgenti, Lunæ et Soli). *v.* 9. (Horto nucum, et pomis convallium). *v.* 10.

(Comparatur Maria sapientiæ in Ecclesiis Altissimi). *Eccli.* 24. 1. (Plenitudini sanctæ). *v.* 3. (Multitudini electorum). *v.* 4. (Ori Altissimi). *v.* 5. (Lumini orienti in cælis, et nebulæ tegenti totam terram). *v.* 6. (Columnæ nubis). *v.* 7. (Aciei castrorum). *Ibid.* 6. 3. (Gyro cæli, et profundo abyssi). *v.* 8. (Cedro Libani, et cypresso montis Sion). *v.* 17. (Palmæ in Cades, et rosæ in Jericho). *v.* 18. (Olivæ speciosæ in campis, et platano juxta aquam in plateis). *v.* 19. (Cinnamomo et balsamo aromatizanti, et odorem danti). *v.* 20. (Myrrhæ electæ, storaci et galbano, ungulæ et guttæ). *v.* 21. (Terebintho). *v.* 22. (Tramiti aquæ, et aquæducto). *v.* 41. *per totum caput.*

MARIA. — *Mariæ perpetua virginitas significatur.*

Apparuitque ei (Moysi) Dominus in flamma ignis de medio Rubi : et videbat, quod Rubus arderet, et non combureretur. *Exod.* 3. 2.

Ponam (Dixit Gedeon ad Dominum) hoc vellus lanæ in area : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. Dixitque rursus ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro, ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa, ut postulaverat : et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra. *Judic.* 6. 37. *et seq.*

In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* 18. 6.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Cant.* 2. 2.

Tota pulchra es, amica mea, et macula (peccati) non est in te. *Ibid.* 4. 7. *V. c.* 6. 9.

Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Isa.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *Ibid.* 11. 1.

Laetabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinabit, et exultabit lætabunda, et laudans : gloria Libani data est ei : decor Carmeli et Saron : ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. *Ibid.* 35. 1. *et seq.*

Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? *Ibid.* 66. 7. 8.

Dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea. *Ezech.* 44. 2. 3.

Hæc autem eo cogitante (scilicet Joseph volente occulte dimittere Mariam), ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. *Matth.* 1. 20.

Et respondens Angelus, dixit ei (scilicet Mariæ dicenti : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?) : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1. 35.

MARIA. — *Mariæ Virginis virtutes : ut, quod fuerit fide dives.*

Gustavit, et vidit, quia bona est negotiatio ejus : non extinguetur in nocte lucerna ejus. *Prov.* 31. 18.

Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. *Luc.* 1. 38. Et beata, quæ credidisti (ait Mariæ Elisabeth), quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. *v.* 45.

MARIA *spe plena.*

MARIA *caritate perfecta.*

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et sanctæ spei. *Eccli.* 24. 24.

Dicit Mater ejus (Jesu) ministris (mensæ in nuptiis in Cana Galilææ) : Quodcumque dixerit vobis, facite. *Joan.* 2. 5.

Mansit autem Maria cum illa (Elisabeth) quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam. *Luc.* 1. 56.

Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum

in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio *Luc.* 2. 7.

Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent, etc. *Joan.* 2. 3.

Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophe, et Maria Magdalene. *Ibid.* 19. 25.

MARIA *casta erat ut supra probatur in perpetua ejus virginitate.*

MARIA *castitatem novisse videtur.*

Angelus dixit ei (Mariæ dicenti : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?) : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. *Luc.* 1. 35.

MARIA *humilis erat.*

Dixit autem Maria (ad Angelum) : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. *Luc.* 1. 38. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *v.* 48.

— *misericors erat.*

Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum : Vinum non habent, etc. *Joan.* 2. 3.

— *erat prudens.*

Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. *Luc.* 2. 19.

— *modesta erat.*

Et dixit Mater ejus (Jesu) ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. *Luc.* 2. 48.

— *erat pia.*

Magnificat anima mea Dominum : et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. *Luc.* 1. 27.

— *erat benigna.*

Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. *Ibid.* 1. 40.

— *erat fortis.*

Mulierem fortem quis inveniet? etc. *Prov.* 31. 19. *Per totum Caput. Joan.* 19. 25.

— *erat sapiens.*

Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. *Prov.* 31. 26.

Dicit Mater ejus (Jesu) ministris (mensæ in nuptiis Cana Galilææ) : Quodcumque dixerit vobis, facite. *Joan.* 2. 5.

— *erat pauper.*

Et intrantes domum (Magi), invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. *Matth.* 2. 11.

Impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. *Luc.* 2. 6. 7. *V. et v.* 24.

MARIA *patiens erat.*

Et tuam ipsius animam (ait ad Mariam Simeon) petransibit gladius (scilicet doloris), ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Luc.* 2. 35. *V. Matth.* 2. 13.

— *virtute præcellens erat.*

Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu supergressa es universas. *Prov.* 31. 29.

In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. *Eccli.* 24. 25.

Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (ait Angelus ad Virginem). *Luc.* 1. 28. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *v.* 48.

MARIA *salutatur ab Angelo.*

Angelus ad eam (Mariam) dixit : Ave gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28.

— *visitat Elisabeth, et laudat Deum.*

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda : et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. *Luc.* 1. 39. 40. Magnificat anima mea Dominum, etc. *v.* 46.

— *proficiscitur cum Joseph in Bethleem.*

Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : eo quod esset de domo et familia David, ut profitetur cum Maria, etc. *Luc.* 2. 4. 5.

— *proficiscitur cum Joseph in Ægyptum.*

Qui consurgens (Joseph), accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. *Matth.* 2. 14.

— *revertitur inde in terram Israel.*

Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem (Oseæ 11. 1.) : Ex Ægypto vocavi filium meum. *Matth.* 2. 15. Defuncto autem Herode, ecce An-

gelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel. *v.* 19. *et seq.*

MARIA *invenit Christum in templo.*

Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. *Luc.* 2. 46.

MARIA *assistit cruci, et Apostolo Joanni commendatur.*

Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Joan.* 19. 25. *et seq.*

MARIA. — *Manebat Maria cum Apostolis.*

Hi omnes (scilicet Apostoli) erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. *Act.* 1. 14.

MARITUS. — *Mariti officium, et auctoritas in uxorem.*

Mulieri quoque dixit (Deus) : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Gen.* 3. 16.

(Dominus ait ad Moysen) : Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Vir, cujus uxor erraverit, maritumque contemnens, dormierit cum altero viro, et hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro, etc. adducet eam ad sacerdotem, etc. *Num.* 5. 12. *et seq.*

Si maritum habuerit (mulier), et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento : quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat, etc. *Ibid.* 30. 7. 8. *V. v.* 13.

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea : abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc. *Deut.* 22. 5.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum : et hauriet jucunditatem a Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est et impius. *Prov.* 18. 22.

Perfruere vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ : hæc est enim pars in vita et in labore tuo, quo laboras sub sole. *Eccles.* 9. 9. *V. Prov.* 5. 18.

Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam : et odibili non credas te. *Eccli.* 7. 28.

Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. *Ibid.* 9. 1. 2.

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. *Ibid.* 25 1. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. *v.* 27.

Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illorum duplex. *Ibid.* 26. 1. *V. Malach.* 2. 14. 15.

(Paulus Corinthios instruit de matrimonio, ejusque usu et indissolubili vinculo, innuptis commendans cælibatum, et quomodo fidelis cum conjuge infideli se habere debeat, etc). 1. *Cor. c.* 7.

Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est : caput autem mulieris vir. *Ibid.* 11. 3. *V. v.* 10.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. *Ephes.* 5. 22. 23.

Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. *Coloss.* 3. 18. 19. *V. Tit.* 2. 4,

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum : sed esse in silentio. 1. *Tim.* 2 11. 12. *V.* 1. *Cor.* 14. 34.

Similiter et mulieres subditæ sint viris suis : ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. 1. *Petr.* 3. 1. 2. *V. v.* 5.

MATRIMONIUM *instituitur propter procreationem et propagationem humani generis.*

Masculum et fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplcamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram. *Gen.* 1. 27. 28.

Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, etc. *Ibid.* 2. 21. *V. versus sequentes.*

Dixitque Adam (Deo illum increpanti) : Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. *Ibid.* 3. 12. Adæ vero dixit (Deus) : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *v.* 17. *V. præcipue v.* 16.

Adam vero cognovit uxorem suam Hevam : quæ concepit, et peperit Cain, dicens : Possedi hominem per Deum. *Ibid.* 4. 1. *V. et v.* 17.

Benedixitque Deus Noe et filiis ejus. Et dixit ad eos : Crescite, et multiplicamini, et replete terram. *Ibid.* 8. 1. *V. c.* 8. 17.

Egressus est post hæc vir (Amram) de domo Levi : et accepit uxorem stirpis suæ. Quæ concepit, et peperit filium : et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. *Exod.* 2. 1. 2.

Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera. *Lev.* 20. 10.

Non inibis cum eis (Gentibus) fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia : filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. *Deut.* 7. 2. 3. *V. c* 5. 21. *c.* 22. 29.

Et duxerunt uxores (filii Israel) filias eorum, ipsique (Gentiles) filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt (Israelitæ) diis eorum. *Judic.* 3. 6. *Idem habetur* 1. *Esdr.* 9. 2. *de quibus fit quoque mentio* 2. *Esdr.* 13. 23. *V. Esther* 2. 17.

Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. *Tob.* 6. 22.

(Prima nocte, quando introductus est Tobias junior ad uxorem), hortatus est virginem — (dixitque ei) : Sara, exurge, et deprecemur Deum hodie et cras, et secundum cras : quia his tribus noctibus Deo jungimur : tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio. *Ibid,* 8. 4. Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio — meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. *v.* 9. *V. c.* 4. 13.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: et hauriet jucunditatem a Domino. *Prov.* 18. 22. *V. Jerem.* 3. 1.

Domus et divitiæ dantur a parentibus : a Domino autem proprie uxor prudens. *Ibid.* 19. 14. *V. Eccli* 25. 2.

Et quid unus quærit, nisi semen Dei? etc. *Malach.* 2. 15.

Ego autem (ait Jesus) dico vobis : Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth.* 5. 32. *Item Luc.* 16. 18.

Non legitis (ait Jesus Pharisæis tentantibus eum), quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una, etc. *Ibid.* 19. 4. 5. *V. c.* 22. 24. *et* 30. *Item Marc.* 10. 2. 6. 7. 8. 9. *c.* 6. 18. *c.* 12. 20.

Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. *Joan.* 2. 1. *V. Luc.* 2. 5. *c.* 3. 19. *c.* 16. 18. *c.* 20. 34.

Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri : ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. *Rom.* 7. 2. 3.

Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat, tantum in Domino. 1. *Cor.* 7. 39.

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. *Ephes.* 5. 31. 32.

Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4.

MATRIMONIUM *instituitur propter peccati devitationem.*

Bonum est homini mulierem non tangere : propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro. 1. *Cor.* 7. 1. *et seq.* Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram: *v*. 5. Melius est enim nubere, quam uri. *v*; 9;

MATRIMONIUM... *propter mutuam consolationem.*

Domus, et divitiæ dantur a parentibus : a Domino autem proprie uxor prudens. *Prov.* 19. 14.

Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam. *Eccli.* 7. 27.

Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem : adjutorium secundum illum est, et columna ut requies. *Ibid.* 36. 26. Ubi non est mulier, ingemiscit egens. Quis credit ei, qui non habet nidum? et deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro, exiliens de civitate in civitatem. *v*. 27.

Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea. *Ephes.* 5. 25. Ita et viri debent diligere uxores suas. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. *v*. 28. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat : uxor autem timeat virum suum. *v*. 33.

Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. *Coloss.* 3. 19.

Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem (bonam) sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans : cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, buasi infirmiori vasculo muliebri, impertientes honorem, tamquam et cohæredibus gratiæ vitæ : ut non impediantur orationes vestræ. 1. *Petr.* 3. 1. *usq. ad* 8.

MATRIMONIUM *est indissolubile.*

Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. *Gen.* 2. 24.

Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. *Tob.* 4. 13.

Ego autem dico vobis : Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth.* 5. 32. *V. c.* 19. 9.

Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic. *Ibid.* 19. 7. 8.

Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. *Marc* 10. 9. Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. *v*. 11. *Item Luc.* 16. 18.

Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. 1. *Cor.* 7. 10. 11. Mulier alligata est legi quanto vir ejus vivit. *Ita et reciproce. v*. 39. *V. Rom.* 7. 2.

MATRIMONIUM. — *Ad Matrimonium requiritur consensus.*

Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem. *Gen.* 24. 57.

Et accepta charta, fecerunt conscriptionem conjugii. *Tob* 7. 16.

MATRIMONIUM *debemus caste et debito modo ingredi et aggredi.*

(Recensentur gradus conjugii illiciti, ad Gentium et Chananæorum opera fugienda, in varia carnali turpitudine). *Levit. c.* 18. *V. totum Caput.*

(Sara filia Raguelis, dicebat in oratione sua ad Dominum) : Virum autem cum timore tuo, non cum libidine, consensi suscipere. *Tob.* 3. 18.

Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus — habet potestatem dæmonium super eos *Ibid.* 6. 17. Accipies virginem (in uxorem) cum timore Domini,

amore filiorum magis, quam libidine ductus. *v.* 22.

(Prima nocte, quando introductus est Tobias junior ad uxorem, hortatus est virginem — dixitque ei : Sara, exurge, et deprecemur Deum hodie et cras, et secundum cras : quia his tribus noctibus Deo jungimur : tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio. *Ibid.* 8. 4. Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio — conjugem, sed sola posteritatis dilectione, etc. *v.* 9.

MATRIMONIUM *est Sacramentum. V. et titulum* **Sacramenta.**

MATRIMONIUM *cujus rei Sacramentum.*

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. *Ephes.* 5. 32.

MATRIMONIUM *confert gratiam et sanctificationem.*

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione : ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, etc. *Thess.* 4. 3. 4.

MATRIMONIUM *spirituale. V. et titulum* **Connubium spirituale.**

MATRIMONIUM *spirituale virtuose inchoatur.*

Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et in judicio, et in misericordia, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide : et scies, quia ego Dominus. *Oseæ* 2. 19. 20.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. *Matth.* 22. 2.

Qui habet sponsam, sponsus est. *Joan.* 3. 29.

Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 2. *Cor.* 11. 2.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. *Ephes.* 5. 32.

Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. *Apoc.* 19. 9.

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. *Ibid.* 21. 2.

MATRIMONIUM... *copiose remuneratur.*

Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos, quasi sponsa. *Isa.* 49. 18. *V. c.* 50. 4.

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. *Ibid.* 61. 10.

Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes etc. *Matth.* 25. 1. 2.

Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei (Deo) : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum. *Apoc.* 19. 7. 8.

MEDIATOR *redemptionis solus Christus.*

Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit semetipsum pro omnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

(Christus) melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. *Hebr.* 8. 6. *V. c.* 12. 24.

Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. *Ibid.* 9. 15. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. *v.* 24.

MEDIATOR *intercessionis Christus.*

Christus Jesus, qui mortuus est : imo qui et surrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. 1. *Joan.* 2. 1.

MEDIATOR *Spiritus Sanctus.*

Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26.

MEDIATOR *Angelus.*

Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem : miserebitur ejus, et dicet : Libera eum, ut non descendat in corruptionem. Inveni, in quo ei propitier. *Job* 33. 23. 24.

Et respondit Angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? — Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria, etc. *Zach.* 1. 12. 13.

MEDIATOR *Homo. V. et titulum* **Sancti.**

Job autem servus meus (ait Dominus amicis Job) orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. *Job* 42. 8.

Erat autem hujuscemodi visus : Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse et alium virum, ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum : respondentem vero Oniam, dixisse : Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei. 2. *Mach.* 15. 12. *et seq.*

Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. *Rom.* 15. 30.

MEDICUS *spiritualis.*

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde. *Isa.* 61. 1. *V. Luc.* 4. 18.

Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. *Matth.* 9. 12.

Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura te ipsum. *Luc.* 4 23.

Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. *Ibid.* 5. 31.

Homo quidam descendebat, etc. *Ibid.* 10. 30.

MEDICUS *corporalis. V. et* **Infirmitas.**

Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcidit medicus. *Eccli.* 10. 11. 12.

Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela. *Ibid.* 38. 1 2. Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. *v.* 3. 4. Ad agnitionem hominum virtus illorum. *v.* 6. In his curans mitigabit dolorem. *v.* 7.

MEDICUS. — *Medicina.*

Ante languorem adhibe medicinam. *Eccli.* 18. 20.

MEDITATIO. *V.* **Contemplatio.**

MENDACIUM.

Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini. (Hoc est primum mendacium). *Gen.* 3. 4. *V. Joan.* 8. 44.

Negavit Sara, dicens : Non risi, timore perterrita. *Ibid.* 18. 15.

(Vide mendacium uxoris Putipharis). *Ibid.* 39. 14. *et* 17.

(Mendacium obstetricum Ægypti habuit remunerationem suam, quia fuit mendacium valde compassivum). *Exod.* 1. 17. *et seq.*

(Multoties Pharao voluit decipere Moysen per mendacia : sed tamen hæc illi non profuerunt). *Ibid. c.* 8. *et* 9.

Non suscipies vocem mendacii : nec — dicas falsum testimonium. *Ibid.* 23. 1. Mendacium fugies. *v. V. Deut.* 19. 18.

Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. *Lev.* 19. 11. Sedens et flens (dixit populus in deserto) : Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, etc. *Num.* 11. 5.

(Gabaonitæ simulatione longi itineris callide voluerunt per mendacium decipere Josue et principes Israelitarum, et interposito quidem juramento salvantur; insecuto tamen murmure, perpetuo famulitio adstringuntur). *Josue c.* 9.

(Nunquam licet mendacium dicere, sed veritatem licet et expedit quandoque tacere, sicut fecit Samuel, dicens) : Ad immolandum Domino veni. (Ad aliud enim faciendum principaliter venerat, et nihilominus hoc facere proponebat). 1. *Reg.* 16. 2. *et* 5.

(David occiso nuntio, qui se Saulem occidisse dicebat, scissis vestibus deflet eum cum cæteris occisis, jejunans usque ad vesperam ac super eos plangens, et planctu filiis Israel præcipiens). 2. *Reg.* *c.* 1. *V.* 4. *Reg.* 5. 25.

(Occiso unico de filiis David), fama pervenit ad David, dicens : Percussit Absalom omnes filios regis. (Sic faciunt homines sæpius, nuntiando rumores). *Ibid* 13 30.

(Officiose mentitus est Chusai Absalom, dicens) : Sicut parui patri tuo, ita parebo et tibi. *Ibid.* 16. 19.

(Naboth, ob negatam regi Achab vineam, a falsis testibus jussu Jezabel accusatus, lapidatur). 3. *Reg. c.* 21. 13.

(Spiritus mendax in ore multorum Prophetarum decipit Achab, ut iret ad pugnam, et percussus fuit). *Ibid.* 22. 23.

(Giezi propter munera mendacio extorta, et ab Eliseo spreta, lepra punitur). 4. *Reg.* 5. 25. *et seq.*

(Pessimum mendacium adinvenit Aman, ut posset perdere Mardochæum, se adorare nolentem). *Esth.* 3. 8.

Proferentem mendacia testem fallacem (odit Dominus). *Prov.* 6. 19.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos. *Ibid.* 10. 4.

Abominatio est Domino labia mendacia : qui autem fideliter agunt, placent ei. *Ibid.* 12. 22.

Verbum mendax justus detestabitur. *Ibid.* 13. 5.

Testis fidelis non mentitur, profert autem mendacium dolosus testis. *Ibid.* 14. 5. *V. et v.* 25.

Fallax obtemperat labiis mendacibus. *Ibid.* 17. 4.

Testis falsus non erit impunitus, et qui mendacia loquitur, non effugiet. *Ibid.* 19. 5. *et v.* 9. *idem repetitur.*

Suavis est homini panis mendacii : et postea implebitur os ejus calculo. *Ibid.* 20. 17. *V. c.* 23. 3

Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis. *Ibid.* 21. 6.

Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. *Ibid.* 29. 12.

Vanitatem et verba mendacia longe fac a me (Domine). *Ibid.* 30. 8.

Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ ; quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit : os autem, quod mentitur, occidit animam. *Sap.* 1. 11.

Noli arare mendacium adversus fratrem tuum : neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium : assiduitas enim illius non est bona. *Eccli.* 7. 13 14. *V. et c.* 41. 21.

Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit. Potior fur, quam assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore : et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. *Ibid.* 20. 36. *et seq.*

Tres species odivit anima mea — pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum et insensatum. *Ibid.* 25. 3. 4.

(Egregie confudit Daniel, debitoque supplicio damnavit duos impudicos, et mendaces senes, qui falsum testimonium contra Susannam dixerunt). *Dan. c.* 13.

Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit, etc. *Oseæ* 4. 2.

Vos (Pharisæi) ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. *Joan.* 8. 44.

(Ananias, et uxor sua Saphira agro divendito, pretii partem sibi servant, quod tamen interrogante Petro, factum esse negant : quam ob causam ad verbum Petri, uxor post maritum subita morte percutitur). *Act. c.* 5.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra. *Ephes.* 4. 25. *V.* 1. *Petr.* 2. 1.

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, etc. *Coloss.* 3. 9. 10.

Non intrabit in eam (Jerusalem cælestem) — abominationem faciens, et mendacium. *Apoc.* 21. 27.

Foris — omnis, qui amat, et facit mendacium. *Ibid.* 22. 15.

MENDICUS. *V.* **Pauper.**

MENSURA, *qua mensi fuerimus, remetietur nobis.*

Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima. *Exod.* 21. 23.

Dixitque Adonibezec : Septuaginta reges, amputatis manuum et pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias : sicut feci (eis), ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum (Judas et Simeon) in Jerusalem, et ibi mortuus est. *Judic.* 1. 7.

Et ait Samuel (ad Agag) : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic

absque liberis erit inter mulieres mater tua : et in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. 1. *Reg.* 15. 33.

Et restituet mihi Dominus (ait David) secundum justitiam meam : et secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum suorum. 2. *Reg.* 22. 25.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. *Psal.* 17. 21.

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est : neque conteras egenum in porta : quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus. *Prov.* 22. 22. 23.

Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis : cum fatigatus desieris, contemneris. *Isa.* 33. 1.

Ecce scriptum est coram me : non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinum eorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus — et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. *Ibid.* 65. 6. 7. *V. et. v.* 12. *Item c.* 66. 4.

Clamate adversus eam (Babylonem, ait Jeremias), ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta ejus, quoniam ultio Domini est : ultionem accipite de ea, sicut fecit, facite ei. *Jerem.* 50. 15. Reddite ei (Babyloni) secundum opus suum, et juxta omnia quæ fecit, facite illi : quia contra Dominum erecta est, adversum Sanctum Israel. *v.* 29.

Et quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israel : sic de Babylone cadent occisi in universa terra. *Ibid.* 51. 49.

Quia hæc dicit Dominus Deus : Et faciam tibi, sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum. *Ezech.* 16. 59.

Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos (minatur Deus Gentibus afflictionem, qua afflixerunt populum suum), et convertam retributionem vestram in caput vestrum. Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda, etc. *Joel.* 3. 7. 8.

In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.* 7. 2.

Et dicebat illis (Jesus) : Videte quid audiatis : In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis. *Marc* 4. 24.

Date et dabitur vobis : mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis remetietur vobis. *Luc.* 6. 38.

MENSURA *et pondera debent esse justa.*

Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. *Lev.* 19. 35. 36.

Non habebis in sæculo diversa pondera, majus et minus : nec erit in domo tua modius major et minor : pondus habebis justum et verum ; et modius æqualis et verus erit tibi. *Deut.* 25. 13. *et seq.*

Statera dolosa abominatio est apud Dominum : et pondus æquum, voluntas ejus. *Prov.* 11. 1. *V. c.* 20. 10. *et* 23.

Pondus et statera judicia Domini sunt : et opera ejus omnes lapides sacculi. *Ibid.* 16. 11.

Pondus, et pondus, mensura et mensura: utrumque abominabile est apud Deum. *Ibid.* 20. 10. *V. et v.* 23.

Statera justa, et ephi justum, et batus justus erit vobis, etc. *Ezech.* 45. 10.

Numquid justificabo stateram impiam, et sacelli pondera dolosa? *Mich.* 6. 11. *V. Amos.* 8. 5.

MERCENARIUS *remunerandus.*

Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. *Lev* 19. 13.

Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, etc. Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam : ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. *Deut.* 24. 14. 15.

Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. *Tob.* 4. 15.

Dignus est enim operarius mercede sua. *Luc.* 10. 7. *V. Matth.* 10. 10.

Ei autem, qui operatur, merces non imputatur, secundum gratiam, sed secundum debitum. *Rom.* 4. 4.

MERCENARIUS *non defraudandus.*

Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit san-

guinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. *Eccli.* 34. 26. 27.

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. *Jacob.* 5. 4.

MERCES *operariorum. V.* **Labor.**

MERCES *debetur operibus bonis. V. et* **Opera bona, etc.**

Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus (tuis) peccatum aderit? *Gen.* 4. 7.

Factus est sermo Domini ad Abraham, per visionem dicens : Noli timere, Abraham : ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. *Ibid.* 15. 1.

(Deus reddet unicuique secundum opera sua). *Psal.* 61. 13. *V. Matth.* 16. 27. *Rom.* 2. 6. 1. *Cor.* 3. 8.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Psal.* 118. 112.

Impius facit opus instabile : seminanti autem justitiam, merces fidelis. *Prov.* 11. 18.

Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. *Sap.* 5. 16.

Et reddidit (Deus) justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili : et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. *Ibid.* 10. 17.

Qui timetis Dominum, credite illi : et non evacuabitur merces vestra, etc. *Eccli.* 2. 8.

Benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in hora veloci processus illius fructificat. *Ibid.* 11. 24.

Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari : quoniam merces Dei manet in æternum. *Ibid.* 18. 22.

Da mercedem (Domine) sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur : et exaudi orationes servorum tuorum, etc. *Ibid.* 36. 18.

Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam : et in ipsa laudabo eum. *Ibid.* 51. 30. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. *v.* 38.

Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 10. 11.

Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua (Israel) a ploratu, et oculi tui a lacrymis : quia est merces operi tuo, ait Dominus : et revertentur de terra inimici. *Jerem.* 31. 16.

Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. *Matth.* 5. 12.

Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Ibid.* 6. 1.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ibid.* 10. 41. 42.

Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. *Ibid.* 20. 8.

Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis : amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Marc.* 9. 40.

Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. *Luc.* 6. 35.

In eadem autem domo manete : edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. *Ibid.* 10. 7.

Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam : ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit, etc. *Joan.* 4. 36.

Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. *Rom.* 4. 4.

Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8. *V. Galat.* 6. 5.

Dicit enim Scriptura (*Deut.* 25. 4) : Non alligabis os bovi trituranti. Et : Dignus est operarius mercede sua. 1. *Tim.* 5. 18. *V.* 1. *Cor.* 9. 9.

Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. *Apoc.* 22. 12.

MESSIAS, *id est Christus, et verus unctus, est Dominus noster Jesus.*

Dicit illi (Caiphæ) Jesus : Tu dixisti; verumtamen dico vobis : amodo videbitis Filium hominis, sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. *Matth.* 26. 64.

Jesus autem dixit illi (Caiphæ) : Ego sum, etc. *Marc.* 14. 62. *V. Luc.* 21. 27.

Si tu es Christus, dic nobis (Judæis). Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi, etc. *Luc.* 22. 66. *et seq.*

Invenit hic (Andreas) primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus). *Joan.* 1. 41.

Dicit ei (Jesu) mulier (Samaritana) : Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus) : cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. *Ibid.* 4. 25.

Alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Numquid a Galilæa venit Christus? *Ibid.* 7. 41.

Ait illi (Martha) : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Ibid.* 11. 27.

Disserebat eis (Paulus Judæis) de Scripturis, adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis, et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. *Act.* 17. 2. 3.

Vehementer enim Judæos revincebat publice (Apollo), ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum. *Ibid.* 18. 28. *V. c.* 19. 4.

Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo. 1. *Joan.* 5. 1.

MINISTER. — *Ministrorum etiam malorum opera dignatur uti Dei bonitas.*

Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? *Matth.* 7. 22.

Respondit illi (Jesu) Joannes, dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum, etc. *Marc.* 9. 37. *Item Luc.* 9. 49.

MINISTER. — ... *quos etiam jubet audire.*

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite : secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt, *Matth.* 23. 2. 3..

MINISTERIUM *Dei.*

In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit : et ministros ejus ne derelinquas. *Eccli.* 7. 32.

Millia millium ministrabant ei, etc. *Dan.* 7. 10. *V. Apoc.* 5 11.

Tunc reliquit eum diabolus : et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. *Matth.* 4. 11.

Si quis ministrat, me sequatur ; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. 1. *Cor.* 4. 1.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. 2. *Cor.* 6. 4.

MINISTERIUM *humanum ordinatum.*

Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. *Psal.* 100. 6.

Acceptus est regi minister intelligens : iracundiam ejus inutillis sustinebit. *Prov.* 14. 35.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. *Ibid.* 22. 11.

Secundum judicem populi, sic et ministri ejus. *Eccli.* 10. 2. *V*, *Prov.* 29. 12.

MIRACULA.

(Tempore diluvii miraculose salvavit Dominus Noe cum uxore, et tribus filiis suis, et uxoribus eorum ; tum etiam de cunctis animalibus masculum et fœminam fecit servari per arcam). *Gen. c.* 7.

(Præsumptionem hominum, turrim usque ad cœlum ædificare volentium, miraculose repressit Dominus, confundendo linguas eorum). *Ibid. c.* 11.

(Vide, quam multa fecerit Dominus miracula per Moysen, dum eduxit filios Israel de Ægypto). *Exod c.* 7. 8. 9. 10.

(Grande miraculum fuit, quod nunquam defuit columna nobis per diem, nec columna ignis per noctem populo exeunti de Ægypto ad terram promissionis). *Ibid.* 13. 21. *et* 22.

(Memorandum et terribile miraculum fuit in divisione et exsiccatione maris rubri. quando transierunt filii Israel sicco pede, Ægyptii vero in mediis fluctibus obvoluti sunt). *Ibid. c.* 14.

(Per lignum Moysi ostensum, miraculose edulcatæ sunt aquæ). *Ibid.* 15. 25.

(Murmurantibus in Sin pro cibo Israelitis, pluit Dominus coturnices et Manna ad saturitatem). *Ibid. c. V. et Num. c.* 11.

(Rursum murmurantibus pro aqua filiis Israel, dat Dominus aquam de petra : et in monte Moyse extensis manibus orante, vincunt ipsi Amalecitas). *Ibid. c.* 17.

(Occasione seditionis Core et complicum suorum, multa miracula contigerunt, dum eos vivos terra absorbuit, et ignis interfecit 250 viros offerentes incensum, et alios 14700 murmurantes consumpsit incendium, quod oratione sua Aaron compescuit). *Num. c.* 16.

(Sumptis 12 virgis a duodecim tribuum principibus, sola Aaronis virga floruit, ac fructum produxit : quo miraculo et indicio sacerdotium illi a Deo confirmatur, servataque est virga in tabernaculo testimonii). *Ibid. c.* 17.

(Percussi filii Israel a serpentibus ignitis, aspiciendo serpentem æneum, curabantur). *Ibid.* 21. 8.

(Veniens Balaam ad maledicendum populo Dei, redargutus fuit ab asina, cui insidebat). *Ibid.* 22. 28. *et* 30.

Adduxit (Dominus filios Israel) quadraginta annis per desertum : non sunt attrita vestimenta — nec calceamenta — vetustate consumpta sunt. *Deut.* 29. 5.

(Ingressis filiis Israel fluvium Jordanis, intumuerunt aquæ superiores ad instar montis, inferiores in mare mortuum descenderunt). *Josue c.* 3. *V. totum Caput.*

(Post varios septem dierum circuitus cum arca, muri Jericho corruerunt). *Ibid. c.* 6.

(Quinque reges oppugnantes urbem Gabaon, immoto sole, unius diei spatio vincuntur). *Ibid. c.* 10.

(Per arcam Domini a Philisthæis captam, multa facta sunt miracula). 1. *Reg. c.* 5.

(Factum est miraculum in castris Philisthinorum, dum Jonathas et armiger ejus tot de ipsis percusserunt, ut omnis populus obstupuerit), et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo. *Ibid.* 14 15. *V. totum contextum.* (Item de Davide, qui juvenis inexpertus, et inermis, prævaluit adversus Philisthæum armatum Goliath). *Ibid. c.* 17.

(Elias cœlum triennio claudit, primumque pascitur a corvis, deinde a muliere Sarephtana, cujus hydria farinæ, et lecythus olei non minuuntur, cujus etiam filius mortuus oratione Eliæ resuscitatur). 3. *Reg. c.* 17.

(Elias ignem, holocaustum mirabiliter consummantem, a Domino precibus impetrat). *Ibid.* 18. 38. (Demum post orationem ejus), facta est pluvia grandis. *v.* 45.

(Deinde Angelus Domini panem et aquam Eliæ ostendit, quem panem divinitus missum edit aquamque bibit), et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. *Ibid.* 19. 8.

(Vaticinatur Elias de Jezabel). *Ibid.* 21. 23. (quod postea impletur). 4. *Reg.* 9. 36.

(Duos quinquagenarios principes et quinquaginta viros, qui erant sub eis, Eliæ virtute et zelo, cælestis devorat ignis, tertio principe sua modestia servato, cum quo jussu Angeli Elias descendit de monte). 4. *Reg.* 1. 9.

(Tandem divisit Elias pallio suo aquas Jordanis, ut ipse et Eliseus transire possent. Elia autem in cœlum igneo curru rapto, Eliseus duplicem ejus spiritum accipit, ac pallio Eliæ rursum Jordanis aquas dividit, ac per siccum transit. *Ibid.* 2. 8. (Aquæ Jericho ac terræ sterilitas immisso per Eliseum sale sanantur, purique illum irridentes quadraginta duo, ab ursis lacerantur). *v.* 21. *et seq.*

(Dixit Eliseus) : Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas. Hæc enim dicit Dominus : Non videbitis ventum, neque pluviam : et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et jumenta vestra, etc. *Ibid.* 3. 16.

(Eliseus viduæ debitis oppressæ oleum augmentat, quo solvat creditoribus. Porro Sunamitidi hospiti suæ filium a Deo impetrat, quem postea mortuum suscitat. Farina quoque pulmento infusa, amara olera edulcat, et paucis panibus multos satiat, ita ut etiam superfuerit). 4. *Reg. c.* 4.

(Naaman Syrum Eliseus septena in Jordane lotione mundat a lepra). *Ibid.* 5. 10. (Absens tamquam præsens malitiam servi sui cognovit, cui propter mu-

nera mendacio extorta, et ab Eliseo spreta, lepra perpetuo adhæsit). *v.* 26. *et seq.*

(Eliseus ferrum securis natare super aquas facit : postea regis Syriæ milites ab ipso quasi excæcati in Samariam ducuntur, et servo currus igneos etc. in auxilium sui monstrat). *Ibid. c.* 6. (et tandem Eliseus abscondita et absentia iterum clara et præsentia cognoscit). *v.* 32.

(Eliseus in Samaria prædicit, fore frumenti abundantiam, quam leprosi quatuor annuntiant, territis miraculose Syris a Deo, ac omnibus relictis, obsidionem solventibus. Dux autem quidam, Elisei verbo incredulus, a turba conculcatur in porta Samariæ, ut ipse Eliseus prædixerat). *Ibid. c.* 7.

(Post septennem famem ab Eliseo prædictam, Sunamitis, quæ ipsius consilio peregrinata erat, reversa, suos agros cum fructibus recuperat. Eliseus Benadad ægrotantem prædixit moriturum, et impium Hasael regnaturum). *Ibid. c.* 8.

(Joas juxta Elisei morientis vaticinium Syros ter devicit : mortui autem Elisei sepulcro injectus quidam mortuus, tangens ossa Elisei resuscitatur). *Ibid.* 13. 19. 21.

(Percussit Angelus Domini in una nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum). *Ibid.* 19. 35.

(Mirabile fuit valde, quando ad petitionem Ezechiæ sol retrocessit per decem lineas in horologio Achaz) *Ibid.* 20. 11.

(Congregati sunt contra Josaphat filii Ammon et Moab, et de monte Seir; sed prædicato jejunio, dum rex cum populo supplex ad Deum confugeret, adversarii in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus). 2. *Paral.* 20. 25.

(Tobias post diutinam cæcitatem, filio juxta consilium Angeli patris oculos felle piscis liniente, recepit visum). *Tob.* 11. 13. 15.

(Memorandum fuit miraculum de tribus sociis Danielis, de fornace ignis tam magnifice liberatis). *Dan. c.* 3.

(Daniel cum leonibus sex diebus remansit illæsus, et mirabiliter cibatus est a Propheta Habacuc). *Ibid.* 14. 30. 36.

(Occasione Jonæ mare fuit commotum, quo in mare projecto, piscis eum glutivit, et per triduum in pisce vixit, et postea sanum evomuit piscis). *Jonæ c.* 1. *et* 2.

(Expertus est Heliodorus divinam virtutem, quando spoliare templum volens, fuit a duobus juvenibus gravissime verberatus). 2. *Mach.* 3. 25. 26.

(Nullum est dubium, quin et stella illa fuerit miraculosa, qua duce, Magi Hierosolymam pervenerunt. *Matth.* 2. 2.

(Angelus Domini apparuit Zachariæ, nuntians ei ex parte Dei, quod uxor ejus Elisabeth sterilis et senex, paritura sit filium : qui incredulus ad verbum Angeli, mutus effectus est usque ad circumcisionem pueri, et tunc loquela restituta est ei). *Luc. c.* 1.

(Mirum, dulce, et pium valde fuit, quando ad salutationem Beatæ Mariæ, quæ nuper conceperat Salvatorem, Joannes in utero matris exultavit, etc.) *Ibid v.* 41.

MIRACULA *Christi.*

(Quod attinet ad miracula Christi, quæ Salvator noster, cum hominibus conversatus, dignatus est operari, quantum ex Evangelica Historia colligitur, vocatus ad nuptias Salvator Jesus Christus initio signorum aquam in vinum vertit). *Joan. c.* 2.

(Item tres suscitavit a mortuis, nempe filiam Archisynagogi). *Matth.* 9. 25. *Marc.* 5. 42. *Luc.* 8. 55. (Filium viduæ, extra portam civitatis Naim delatum). *Luc.* 7. 15. (Et demum Lazarum). *Joan.* 11. 44. *V. totum Caput vere miraculosum.*

(Postea sex cæcos legitur illuminasse. De duobus conjunctim fit mentio). *Matth.* 9. 27. (Item de duobus simul illuminatis narratur), *Matth.* 20. 30. (De uno cæco), *Marc.* 8. 22. (Tandem de cæco nato), *Joan. c.* 9. *per totum.*

(Dæmoniacos septem liberavit). *Duos apud Matth.* 8. 28. *Confer. Luc.* 8. 30. (ubi extat, quod unus ex illis multa dæmonia habuerit, quia nomen habebat Legio. Alterum, qui erat cæcus et mutus). *Matth.* 12. 22. (Lunaticum, qui non poterat liberari, nisi in jejunio et oratione). *Matth.* 17. 14. *Marc.* 9. 16. *Luc.* 9. 38. (Alium, qui erat e Synagoga Judæorum). *Marc.* 1. 23. *Luc.* 4. 33. (Item filiam mulieris Chananææ ad instantiam matris). *Matth.* 15. 22. *Marc.* 7. 25. (Tandem Mariam liberavit a septem spiritibus immundis). *Marc.* 16. 9. *Luc* 8. 2.

(Iter faciente Jesu per civitates, castella, et vicos Galilææ), offerebantur ei omnes male habentes, et curabat eos, et liberabat obsessos a spiritibus malignis). *Matth.* 4. 23. 24. *Marc.* 1. 34. *Luc.* 8. 2.

(Non parvum quoque fuit Christi miraculum, quando habitatores Nazareth ira repleti), duxerunt illum usque ad supercilium montis — ut præcipitarent eum : ipse autem transiens per medium illorum, ibat. *Luc.* 4. 29. 30.

(Cum socrus Simonis teneretur magnis febribus, imperavit Jesus febri, et continuo surgens mulier, ministrabat eis). *Marc.* 1. 30. *Luc.* 4. 38. (Item paralyticum, per tegulas et tectum demissum, sanavit). *Matth.* 9. 2. *Marc.* 2. 3. *Luc.* 5. 18. Hydropicum quoque curavit, dum Sabbato in domo Pharisæi comederet; incurvatamque mulierem, nec sursum respicere valentem, erexit). *Luc.* 13. 11. *etc.* 14. 2.

(Hominem, manum aridam habentem, incolumitati restituit). *Matth.* 12. 10. (Item sanavit verbo servum Centurionis, qui jacebat paralyticus). *Ibid.* 8. 13. (Porro surdum fecit audire, et mutum loqui). *Marc.* 7. 22. (Filium reguli de Capharnaum, incipientem mori, ab infirmitate liberavit). *Joan.* 4. 46. (Fluxum sanguinis in muliere hæmorrhoissa cessare fecit, solo tactu fimbriæ vestimenti sui). *Matth.* 9. 20. *Marc.* 5. 25. *Luc.* 8. 43. 44.

(Tempestate valida in mari, ipso dormiente exorta, imperavit ventis, statimque venti et mare obedierunt ei). *Matth.* 8. 24.

(Ambulavit, discipulis admirantibus, supra mare, et Petrum ambulare fecit super undas, et incipientem mergi, manu extensa, salvavit). *Ibid.* 14. 25.

(Insigne miraculum ostendit Christus tribus illis discipulis, dum coram ipsis transfiguratus est). *Ibid.* 17. 2. *V. et Marc.* 9. 1. *Luc.* 9. 29.

(Item quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, et superfuerunt duodecim cophini). *Matth.* 14. 19. *V. et Marc* 6. 41. *Luc.* 9. 16. *Joan.* 6. 9.

(Quatuor millia hominum alia vice refecit de septem panibus et paucis pisciculis; superfueruntque septem sportæ). *Marc.* 8. 5 *V. et Matth.* 15. 34.

(Christus ficum, habentem folia sine fructu, maledixit, et continuo aruit). *Matth.* 21. 19. *Marc.* 11. 13.

(Auriculam per Petrum servo principis sacerdotum amputatam benigne restituit, et Petrum super hoc increpavit). *Luc.* 22. 50.

(Cum Salvator penderet in cruce, a sexta hora diei usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt per universam terram, et velum templi scissum est, et monumenta aperta sunt, etc). *Matth.* 27. 45. 51. *et seq.*

(Resurgente Domino), terræmotus factus magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo : et accedens, revolvit lapidem, etc. *Ibid.* 28. 2.

(Christus intrat ad discipulos congregatos, januis clausis). *Joan.* 20. 19. 26.

(Apparuit Jesus discipulis ad mare Tiberiadis, ubi ad præceptum ejus mittentes rete in mare, impletum est illud) magnis piscibus centum quinquaginta tribus : et cum tanti essent, non est scissum rete. *Ibid.* 21. 11.

(Apparuit insuper duobus discipulis pergentibus Emmaus, quibus sub specie peregrini se comitem adjunxit, completoque itinere, accubuit cum eis ad mensam, panem benedixit, ac fregit, statimque evanuit ex oculis eorum). *Luc. c.* 24. *V. Marc.* 16. 12.

(Tandem Christus, Salvator mundi, postquam per quadraginta dies post resurrectionem suam apparuerat discipulis, increpans eos et instruens, elevatus est in cœlum, videntibus illis et mirantibus), et nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Luc.* 24. 51. *Marc.* 16. 19. *Act.* 1. 2. 9. Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. *Joan.* 21. 25. *V. c.* 20. 30.

(Fuit sane magnum miraculum effusio Spiritus Sancti super discipulos in die Pentecostes : unde fuerunt mire roborati, consolidati, et illustrati). *Act. c.* 2.

MIRACULA *Apostolorum.*

(Videns Petrus hominem claudum juxta portam speciosam templi, dixit ei) : In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus, et plantæ, etc. *Act.* 3. 6. 7.

(Angelus Domini per noctem januas carceris aperiens, Apostolos ibi detentos eduxit). *Ibid.* 5. 18.

(In plateis ponebant infirmos in lectis et grabatis), ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum — Concurrebat autem et multitudo

vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis : qui curabantur omnes. *Supr. v.* 15.

(Prædicante Philippo in Samaria multi), qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. *Ibid.* 8. 7. 8.

Invenit autem ibi (Petrus) hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus : Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus : surge, et sterne tibi ; et continuo (sanatus) surrexit. *Ibid.* 9. 33. 34.

Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit : et conversus ad corpus (mortuæ Thabithæ), dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos : et viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam. *Ibid. v.* 40

(Describitur etiam admiranda Sauli persecutoris conversio, Domino ei apparente, dum iret Damascum ad capiendos Christi discipulos. Cœlesti enim lumine circumdatus et in terram prostratus est : sed interius illustratus, quamvis exterius obcæcatus). *Eod. cap. a v.* 1. *usq. ad* 20.

(Petrum in carcere catenis duabus vinctum, et a militibus diligentissime custoditum Angelus Domini solutum eduxit, et porta ferrea ultro aperta est eis). *Ibid.* 12. 6. *et seq.*

(Elymam magum, pseudoprophetam Judæum, Paulus privavit lumine oculorum, eo quod Proconsulem Sergium a fide avertebat, et Apostolis verbum Dei prædicantibus resistebat). *Ibid.* 13. 8. *et seq.*

(In civitate Lystris erat quidam vir) claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat, (quem intuens Paulus), et videns quia fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magna voce : Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. *Ibid.* 14. 7. *et seq.*

(Puella quædam habens spiritum pythonem, magnum quæstum præstabat dominis suis divinando. Hæc sequebatur Paulum et Silam, clamans et dicens) : Isti homines servi Dei excelsi sunt. (Paulus autem) spiritui dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exivit eadem hora. *Ibid.* 16. 16.

(Cum essent Paulus et Silas in carcere laudantes Dominum), subito — terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia : et universorum vincula soluta sunt, (et custos carceris conversus est). *Ibid. v.* 26. *et seq.*

(Virtutes non modicas) faciebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Ibid.* 19. 11. 12.

(Quidam Judæi) tentaverunt — invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat — Respondens autem spiritus nequam, dixit : Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium, (dominatus est eorum), ita ut nudi et vulnerati effugerent. *Ibid. v.* 13.

(Una Sabbati Paulus disputans, protraxit sermonem usque ad mediam noctemem). Sedens autem quidam adolescens — super fenestram, cum mergeretur somno gravi — cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum — Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime. *Ibid.* 20. 9. *te seq.*

(Tempore hyemali, cum evasissent Paulus et socii ejus de confracta navi, et calefacerent se ad ignem), vipera a calore cum processisset, invasit manum (Pauli : quam ille excutiens in ignem, nihil mali passus fuit, cum tamen crederetur ab hominibus regionis illius illico moriturus). *Ibid.* 28. 3. *et seq.*

(Patrem Publii, febribus et dysenteria laborantem, Paulus oratione, et manuum impositione sanavit). Quo facto omnes, qui in insula (illa) habebant infirmitates, accedebant et curabantur. *Ibid. v.* 9.

MIRACULA, *quæ operatur Deus per Sanctos et eorum Reliquias. V.* **Sancti, et Reliquiæ.**

MIRACULA *in Ecclesia, necessaria. V.* **Ecclesia.**

MISERICORDIA *Dei. V.* **Bonitas** : *item* **Caritas Dei.**

MISERICORDIA *Dei est generalis, nullum excludendo.*

(Misericors fuit Deus erga Cain, dum

posuit ei) signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum. *Gen.* 4. 15.

(Misericors fuit Deus erga Noe, dum eum liberavit a diluvio; consequenter erga totum humanum genus, ut non funditus periret). *Ibid. c.* 7.

(Adeo fuit Deus misericors erga Sodomitas, ut si in eorum civitate decem tantum justos invenisset, omnibus pepercisset). *Ibid.* 18. 32.

(Sic etiam misericors fuit Deus erga Lot et suos, dum ipsos per Angelos de Sodomitis et flamma ignis eripuit). *Ibid.* 19. 15.

(Misericors fuit Deus erga populum Israeliticum, dum eum liberavit a dura servitute Ægyptiaca). *Exod. c.* 14.

(Sic erga eumdem populum, dum a captivitate Babylonica eripuit, et in patriam reduxit, misericors fuit Deus). 1. *Esdr. c.* 1.

Miserebor, cui voluero, et clemens ero, in quem mihi placuerit. *Exod.* 33. 19.

Dominator Domine Deus, misericors, et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax. Qui custodis misericordiam in millia; qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem. *Exod.* 34. 6. 7. *V. Jerem.* 32. 18.

Ego enim sum Dominus Deus tuus — et faciens misericordiam in multa millia, diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. *Deut.* 5. 9. 10.

Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes. *Ibid.* 7. 9.

(Misericors fuit Deus erga David, qui vix pœnitenti corde illam vocem pronuntiavit) : Peccavi Domino : (statim a Propheta Nathan audivit) : Dominus quoque transtulit peccatum tuum. 2. *Reg.* 12. 13.

(Erga Manassen, cui post immania flagitia dedit gratiam, qua) egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. 2. *Paral.* 33. 12.

Misericordia Domini plena est terra. *Psal.* 32. 5.

Et tu Domine Deus, miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ. *Psal.* 85. 15. *V. et v.* 5.

Miserator et misericors Dominus, etc. *Psal.* 144. 8. Suavis Dominus universis : et miserationes ejus super omnia opera ejus. *v.* 9.

Tu autem Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam : et si non peccaverimus, scimus, quoniam apud te sumus computati. *Sap.* 15. 1. 2.

Miseratio hominis circa proximum suum : misericordia autem Dei super omnem carnem. *Eccli.* 18. 12.

Et præparabitur in misericordia solium. *Isa.* 16. 5

(Misericors fuit Deus erga Ninivitas, quibus propter insignem pœnitentiam condonavit excidium a Propheta Jona prædictum). *Jonæ.* 3. 10. (Reprehendit etiam Prophetam Jonam, quasi dolentem de ipsius erga Ninivitas misericordia). *V. totum Caput* 4.

(Misericors Christus erga Matthæum, quem a telonio ad Apostolatum votavit). *Matth.* 9. 9. *Item Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 27.

Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis. *Matth.* 18. 14.

(Misericors fuit Christus erga Magdalenam, cui, licet esset) in civitate peccatrix (non tantum omnia peccata remisit, sed illam ad magnam sanctitatem provexit). *Luc.* 7. 37.

(Misericors erga Zachæum Publicanum, apud quem se ultro invitavit, et salutem in ejus domum intulit). *Ibid.* 19. 5.

(Erga latronem in cruce, cui plus concessit, quam ille petierat). *Ibid.* 23. 42. 43.

(Erga fœminam adulteram, quam non tantum eripuit e manibus Scribarum et Pharisæorum, qui illam in adulterio deprehensam volebant lapidare, sed etiam a suo divino judicio et condemnatione absolvit). *Joan.* 8. 3. 11.

(Erga Petrum, quem post trinam condonatam negationem, in gradum pristinum restituit). *Ibid.* 21. 15.

(Erga Paulum, ad quem de cœlo locutus est, ut eum converteret, et ex persecutore magnum Apostolum faceret). *Act.* 9. 4. (quam misericordiam Paulus ipse deprædicat), 1. *Tim.* 1. 12. *et seq.*

(Erga peccatores omnes. Hinc communis de Christo sermo) : Hic peccatores recipit. *Luc.* 15. 2.

(Qui Salvator noster non dubitavit cru-

delissima supplicia, et acerbissimam mortem pati, ut nos ab interitu liberaret).

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, etc. *Ephes*. 2. 4. *et seq.*

MISERICORDIA. — *Misericordiam Dei Christus nobis per varias parobalas proposuit, ut :*

(Regis, qui servo suo, decem millium talentorum debitori, totum debitum dimisit, cum hic in genua procidens eum rogasset). *Matth.* 18. 27.

(Samaritani, qui cum vidisset hominem a latronibus vulneratum), misericordia motus — alligavit vulnera ejus. *Luc.* 10. 33. *et seq.*

(Boni pastoris, qui amissam ovem per desertum quærit, inventam humeris imponit, et ad ovile reportat). *Ibid.* 15. 4. *V. Matth.* 18. 12.

(Filii prodigi, qui ad patrem reversus, benignissime ab eo fuit exceptus), *Ibid.* *v.* 11. *usq. ad finem.*

MISERICORDIA *Dei est salutaris, mærentes consolando.*

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. *Psal.* 32. 22.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis. *Psal.* 85. 5. *V. Joel.* 2. 13. *Jonæ* 4. 2

Quoniam secundum altitudinem cæli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. *Psal.* 102. 11. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. *v.* 13.

Quoniam gratia Dei, et misericordia est in Sanctos ejus, et respectus in electos illius. *Sap.* 4. 15.

Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Eccli.* 35. 26.

Miserationum Domini recordabor. *Isa.* 63. 7.

Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. *Ibid.* 64. 8.

Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, etc. *Ibid.* 66. 13. Videbitis, et gaudebit cor vestrum. *v.* 14.

Benedictus Deus et Pater, etc. 2. *Cor.* 1. 3. *V. Consolatio.*

MISERICORDIA... *peccantes exspectando. V.* **Longanimitas.**

Sed misereris omnium (Domine) — et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, etc. *Ibid.* 65. 2.

Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite. *Ezech.* 18. 32. *V. v.* 23. *c.* 23. 11.

Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. *Luc.* 9. 56. *V. Joan.* 3. 17. *c.* 12. 47.

(Deus) patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 1. *Petr.* 3. 9.

MISERICORDIA..... *revertentes suscipiendo.*

Pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum. 2. *Paral.* 30. 9. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum. *v.* 18. *et* 19.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum. Secundum enim magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est. *Eccli.* 2. 22. 23.

Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius, convertentibus ad se! *Ibid.* 17. 28.

Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis cengregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui : dixit redemptor tuus Dominus. *Isa.* 54. 7. 8.

Revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. *Jerem.* 3. 1.

MISERICORDIA. — *Misericordiæ opera proximo exhibenda. V. et* **Liberalitas et Eleemosyna.**

Dixitque Saul Cynæo : Abite, redite, atque descendite ab Amalec : ne forte involvam te cum eo : tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. 1. *Reg.* 15. 6.

Ea tempestate erat ibi Propheta Domini, nomine Oded : qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis : Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas. 2. *Paral.* 28. 9. Steteruntque viri, quos supra memoravimus, et apprehen-

dentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis : cumque vestissent eos et calceassent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam : quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, et adduxerunt Jericho civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam. *v.* 15.

(Pium et misericordem se fuisse testatur Job, dicens) : Et cor viduæ consolatus sum. *Job* 29. 13. *etc.* Pater eram pauperum. *v.* 16.

Si comedi bucellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea : quia ab infantia crevit mecum miseratio, etc. *Ibid.* 31. 17. 18.

Jucundus homo, qui miseretur et commodat : disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. *Psal.* 111. 5. 6. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi cornu ejus exaltabitur in gloria. *v.* 9.

Qui despicit proximum suum, peccat : qui autem miseretur pauperis, beatus erit. *Prov.* 14. 21. *V. v.* 31. *Item c.* 19. 17. *c.* 25. 21.

Animam esurientem ne despexeris : et non exasperes pauperes in inopia sua. *Eccli.* 4. 2. *V. versus sequentes.*

Non despiciet (Dominus), preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. *Ibid.* 35. 17.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7. *V. Ezech.* 18. 7. 16.

Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et deligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6. 8.

Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationem facite, unusquisque cum fratre suo. *Zach.* 7. 9.

Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5. 7.

Euntes autem dicite, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. *Ibid.* 9. 13. *V. Oseæ* 6. 6.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi accipiet. *Ibid.* 10. 41. *V. Marc.* 9. 40.

Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut ego tui misertus sum? *Ibid.* 18. 33.

Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus. Esurivi enim, etc. *Ibid.* 25. 41. 42.

Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. *Luc.* 6. 35.

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum : et videns eum, misericordia motus est. *Ibid.* 10. 33. *V. Rom.* 12. 13.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, etc. *Coloss* 3. 12. *V.* 1. *Tim.* 5. 10. *V. Eleemosyna.*

MISSA. — *Missæ sacrificium olim prædictum et prænuntiatum.*

Respiciam vos, et crescere faciam : multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus, projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. *Levit.* 26. 9. *et seq.*

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quam præclarus est! *Psal.* 22. 5.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Psal.* 106 4. *V. Hebr.* 5. 6. *c.* 7. 17.

Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. *Isa.* 2. 2. 3. *V. Micheæ* 4. 1.

In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti : et titulus Domini juxta

terminum ejus. Erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. *Isa.* 19. 19. 20. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto (id est a Gentibus), etc. et colent eum in hostiis et in muneribus, etc. *v.* 21.

Adducam eos in montem sanctum meum, lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo; quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. *Ibid.* 56. 7.

Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : ministri Dei nostri, dicetur vobis : Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria earum superbietis. *Ibid.* 61. 6.

Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendentes sagittam; in Italiam et Græciam, in insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas, dicit Dominus. *Ibid.* 66. 19. *et seq.*

Ecce dies venient, dicit Dominus : et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, etc. *Jerem.* 31. 31. *V. Hebr.* 8. 8.

In diebus illis salvabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum : Dominus justus noster. Quia hæc dicit Dominus : Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel. Et de sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et cædat victimas omnibus. *Ibid.* 33. 16. *et. seq.*

Et auferent juge sacrificium ; et dabunt abominationem in desolationem. *Dan.* 11. 31.

Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. *Ibid.* 12. 11.

In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit : et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea, quæ corruerant, instaurabo : et reædificabo illud sicut in diebus antiquis. *Amos* 9 11. *V. Act.* 15. 16.

Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 1. 10.

MISSA. — *Missæ Sacrificium per varias figuras veteris Testamenti significatum est.*

At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei Altissimi), benedixit ei, et ait : Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram. *Gen.* 14. 18 *V. Hebr.* 7. 1.

Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. *Ibid.* 22. 13.

Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus : juxta quem ritum tolletis et hœdum. *Exod.* 12. 5. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum. *v.* 24.

Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. *Ibid.* 25. 30.

Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos, panesque azymos, et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita : de simila triticea cuncta facies. *Ibid.* 29. 1. 2. Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii ejus manus. *v.* 15. *V. totum caput. Item Levit.* 2. 1. 11.

Masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum : ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. *Levit.* 1. 3. 4.

Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum. *Ibid.* 4. 22. 23.

Sin autem non poterit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum — dabitque eos sacerdoti. *Ibid.* 5. 7. 8.

Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est : adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suavissimi Domino. *Ibid.* 6. 15. *V. c.* 9. 8.

Præcipiet (sacerdos) ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum, etc. *Ibid.* 14. 4.

Vitulum pro peccato offeret (Aaron), et arietem in holocaustum. *Ibid.* 16. 3.

Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii, arietem, etc. *Ibid.* 19. 21.

Offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus, ac liba, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato. *Num.* 15. 24. *V. c.* 18. 17.

Et respondens sacerdos ad David, ait illi : Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus. 1. *Reg.* 21. 4. *V.* 3. *Reg.* 19. 6. *Item* 4. *Reg.* 4. 42.

MISSA... *appellatur juge sacrificium.*

Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata : et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur. *Dan.* 8. 12.

Et brachia ex eo stabunt, et polluent sanctuarium fortitudinis, et auferent juge sacrificium : et dabunt abominationem in desolationem. *Ibid.* 11. 31.

Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. *Ibid.* 12. 11.

MISSA. — ... *nec interibit offerens sacrificium.*

Et de Sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et cædat victimas omnibus diebus. *Jer.* 33. 18. Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, et Levitæ et sacerdotes ministri mei. *v.* 21.

MISSA. — *Missæ Sacrificium a Christo institutum.*

Et accepto pane (Christus), gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19. *Item. Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 22. 1. *Cor.* 11. 24.

Pro vobis datur, διδόμενον, (datum in præsenti vel præterito; ergo Corpus Christi debuit de facto esse victima; non immolanda, ergo immolata; et consequenter tunc fuit sacrificium. Et licet Marcus et Matthæus, ille *c.* 14. 24, hic *c.* 26. 28, posuerint futurum verbum, tamen hoc ut præteritum intelligi debere, ratio convincit; quia quod necdum immolatum est, non potest habere rationem comestibilis, ut victima, nec aptum esse, ut sit cibus et potus : sed Christus in hac cœna habebat rationem comestibilis, et vere cibus et potus erat; ergo jam erat immolatus : non in cruce, quod postea secutum est; ergo per incruentum sacrificium, quod cruentum crucis antecessit).

Hoc facite in meam commemorationem. Facere (in Scriptura sacra sæpissime idem est ac) sacrificare. *V. supra in Lit. F. Facere pro sacrificare.*

Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud (Phase), (id est immolabit). *Exod.* 12. 47. *Confer v.* 6. *hujus capitis; et v.* 48. (repetitur idem verbum) facere (pro) immolare.

Facietis et hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. *Lev.* 23. 19.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Psal.* 109. 4. *Confer. Hebr.* 5. 6. 10. *et c.* 7. 17. (Atqui Melchisedech Sacerdos Dei Altissimi panem et vinum in sacrificium obtulit. Ergo etiam Christus in ultima cœna) (nam de nulla alio tempore dici hoc potest) (sub speciebus panis et vini Corpus et Sanguinem obtulit).

(Protulisse Melchisedechum panem et vinum ad milites Abrahami, certum est ex) *Gen.* 14. 18. Sed non ut eos cibaret, quia jam comederant, et saturi erant ex cibariis acceptis Sodomorum, ut habetur) *v.* 24. (Ergo panem et vinum sanctificatum protulit, ut ea primum in sacrificium oblata, militibus divideret, non ad famem sublevandam, sed ut sacrificii hujus participes efficeret; qui sensus probatur ex verbis immediate sequentibus) : Erat enim sacerdos Dei Altissimi. (Ergo et

Christus sic sacrificium obtulit, et hoc fieri in suam commemorationem, præcepit).

MISSA. — ... *et ab ejus Discipulis usitatum.*

Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, etc. (λειτουργούντων, sacrificantibus ipsis). *Act.* 13. 2.

MISSA. — ... *et a S. Paulo confirmatum.*

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguininis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 1. *Cor.* 10. 16.

Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? *Ibid. v.* 18. NB. (Triplicem mensam seu altare Apostolus agnoscit, Judæorum, Gentilium, et Christianorum), *Confer etiam Hebr.* 13. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. (Si ergo altare habemus, necesse est ut habeamus et sacrificium; et cum ex altari, non ex cruce victimam sumamus, sequitur, victimam esse sacrificii incruenti, quod fit per consecrationem Eucharisticam).

Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem, etc. *Ibid.* 11. 23. 24.

Quemadmodum et in alio loco dicit (*Psal.* 109. 4.) : Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. *Hebr.* 5. 6.

Translato enim Sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. *Hebr.* 7. 12. (Ergo et translatio sacrificii necessaria est; nam sacerdotium et sacrificium inseparabiliter connexa sunt : et quidem sacrificium perpetuum, uti sacerdotes perpetui. Et sicut in lege Mosaica sacerdotes habebant sacrificium crucis ut futurum; et tamen sua propria bestiarum et similia, quæ futurum crucis repræsentabant; sic in lege Christi, peracto semel sacrificio cruento crucis, sacrificium habere quoddam debemus, quod præteritum crucis sacrificium representet). *V. tit. Sacerdotes.*

MOBILITAS *populi. V.* **Inconstantia.**

MONACHUS.

Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut.* 23. 21. *V. Eccles.* 5. 4.

Semita justorum declinat mala : custos animæ suæ servat viam suam (id est, animam). *Prov.* 16. 17.

Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. 1. *Cor.* 9. 25. *V. Tim.* 2. 5.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit. 2. *Tim.* 2. 4.

MORBUS. *V.* **Ægrotatio.**

MORS *in genere.*

Nec possum in monte salvari (ait Lot), ne forte apprehendat me malum, et moriar. *Gen.* 19. 19. (Si antiqui in V. T. mortem timebant, et longam vitam optabant, non erat mirum; nam ipsi non poterant adhuc in cœlum ascendere, nec divina perfrui visione, donec Salvator adveniret ad aperiendas januas Paradisi).

Moriatur anima mea (dixit impius Propheta Balaam) morte justorum. *Num.* 23. 10. (Sic etiam mali optant bene mori).

(Noluit David flere pro filio mortuo, cum tamen flevisset pro eodem infirmo). 2. *Reg.* 12. 21.

Cumque venisset, et sederet (Elias) subter unam juniperum, petivit animæ suæ, ut moreretur, et ait : Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam; neque enim melior sum, quam patres mei. 3. *Reg.* 19. 4.

(Tobias, auditis exprobrationibus uxoris suæ), ingemuit; et cœpit orare cum lacrymis, dicens : Justus es, Domine, etc. *Tob.* 3. 1. 2. Et præcipe in pace recipi animam meam; expedit enim mihi mori magis, quam vivere. *v.* 6.

(Sara, filia Raguelis, accepta ab una ancillarum gravi contumelia, oravit Dominum, dicens) : Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. *Ibid. v.* 15.

(Ezechias Rex Juda ambulavit coram Domino in veritate, et fuit bonus et pius : attamen quando nuntiatum fuit ei per Isaiam, quia mori deberet, oravit Dominum) fletu magno, (ut adhuc ei vitam prolongaret). *Isa.* 38. 3. *Item* 4. *Reg.* 20. 3.

Discipuli omnes, relicto eo (Christo), fugerunt. *Matth.* 26. 56. (Ante adventum Spiritus Sancti nimis timuerunt mortem Apostoli, qui comprehenso Domino, omnes eum reliquerunt : postquam vero fuerunt virtute ex alto roborati, ducti coram principibus et tyrannis, fiducialiter loquebantur, et imperterriti mortem non amplius formidabant).

Non solum alligari, sed et mori — paratus sum, propter nomen Domini Jesu. *Act.* 21. 13.

MORS *est pœna peccati.*

De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Gen.* 2. 17. (Et hæc sententia Dei quam vera, et inevitabilis est! nam homo ab utero matris, et per totam vitam quasi vivens continue moritur).

In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reveteris. *Ibid.* 3. 19.

Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. 12. Si enim unius delicto mors regnavit per unum : multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. *v.* 17.

Stipendia enim peccati, mors. *Ibid.* 6. 23.

Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum, etc. 1. *Cor.* 15. 21.

Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. 1. *Tim.* 5. 6.

Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. *Jac.* 1. 15.

MORS, *et certus dies mortis omni homini constitutus est.*

(Cum tot annis vixerint homines ante diluvium, signanter tamen dicit Scriptura, post tempus descriptionis vitæ uniuscujusque) : Et mortuus est. *Gen. c.* 5. *pluries.*

Et ait Dominus ad Moysen : Ecce prope sunt dies mortis tuæ : voca Josue, et state in tabernaculo testimonii. *Deut.* 31. 14.

En ego hodie ingredior viam universæ terræ, et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. *Josue.* 23. 14. *V.* 1. *Reg.* 26. 10. 3. *Reg.* 2. 2.

Breves dies hominis sunt numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *Job.* 14. 5.

Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem : eruet animam suam de manu inferi? *Psal.* 88. 49.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis : nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. *Eccles.* 8, 8.

Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem : quia oblivioni tradita est memoria eorum. *Ibid.* 9. 5.

Noli de mortuo inimico tuo gaudere : sciens, quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. *Eccli.* 8. 8.

Numerum dierum et tempus dedit (homini Deus), et dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram. *Ibid.* 17. 3.

O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! *Ibid.* 41. 1. *V. Joan.* 7. 30. *et c.* 8. 20.

Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. 12.

Stipendia enim peccati, mors. *Ibid.* 6. 23.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic etiam Christus semel oblatus est, etc. *Hebr.* 9. 27.

MORS. — *Mortis hora incertissima.*

Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit (mors). *Eccles.* 9. 12.

Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora, Filius hominis venturus est. *Matth.* 24. 43. 44. *Item Marc.* 13. 33. *Luc.* 12. 39.

Et vos estote parati : quia qua hora

non putatis, Filius hominis veniet. *Luc.* 12. 40.

Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. 1. *Thess.* 5. 2. *V.* 2. *Thess.* 2. 2.

Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis : Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus : qui ignoratis, quid erit in crastino. *Jac.* 4. 15. 14.

Adveniet autem dies Domini ut fur. 2. *Petr.* 3. 10.

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te. *Apoc.* 3. 3. *V. c.* 16. 15.

MORS *justorum.*

Cumque essent in agro (Cain et Abel), consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum. *Gen.* 4. 8. (Rationem dat Joannes). 1. *Epist.* 3. 12. (Quoniam opera Cain mala erant, Abel autem justa).

Ambulavitque (Henoch) cum Deo, et non apparuit : quia tulit eum Deus. *Ibid.* 5. 24.

Et deficiens mortuus est (Abraham) in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum : congregatusque est ad populum suum. *Ibid.* 25. 8.

Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, consumptusque ætate mortuus est : et appositus est populo suo senex, et plenus dierum. *Ibid.* 35. 28. 29.

Finitisque mandatis, quibus filios suos instruebat (Jacob), collegit pedes suos super lectulum, et obiit : appositusque est ad populum suum. *Ibid.* 49. 32.

Cumque adjurasset eos (Joseph fratres suos), atque dixisset : Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto, mortuus est. *Ibid.* 50. 24. 25.

Ascenderunt (Moyses et Aaron juxta mandatum Domini) in montem Hor, coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset se vestibus suis, induit eis (Moyses) Eleazarum filium ejus, (et Aaron mortuus est). *Num.* 20. 27.

Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino : et sepelivit eum (Dominus), etc. et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. *Deut.* 34. 5. 6.

Cumque pergerent) simul Elias et Eliseus) — ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque : et ascendit Elias per turbinem in cœlum. 4, *Reg.* 2. 11.

(David post instructionem filii sui Salomonis et orationem, quam fecit ad Dominum pro eo et pro toto populo), mortuus est in senectute bona : plenus dierum, et divitiis, et gloria. 1. *Par.* 29. 28. *V. de morte Tobiæ, c.* 14. *et de morte Job. c.* 42.

(Eleazarus post multa tormenta sibi illata, e) vita decessit, non solum juvenibus , sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens. 2. *Mach.* 6. 31.

(Septem fratres cum pia matre finem vitæ suæ miro modo imposuerunt, et plurima nobis virtutum reliquerunt exempla). *Ibid. c.* 7. *per tot.*

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.* 16. 22.

(Stephanus inter lapides videns cœlos apertos etc.), obdormivit in Domino. *Act.*

MORS *corporis, justis est dormitio et quasi somnus.*

Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea : ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. *Deut.* 31. 16.

Cumque completi fuerint dies tui (David), et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum (filium tuum) post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. 2. *Reg.* 7. 12. *V. Sap.* 3. 3. *Item Act.* 13. 36.

Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David. 3. *Reg.* 2. 10. *V. c.* 11. 21.

Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo. *Ibid.* 11. 43.

Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt, et dormivit cum patribus suis. *Ibid.* 14. 20.

(Dicebat Jesus veniens in domum principis) : Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit. *Matth.* 9. 24.

Et post hæc dixit eis (Jesus discipulis suis) : Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a sommo excitem. *Joan.* 11. 11.

Positis autem genibus, clamavit (Stephanus) voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc

dixisset, obdormivit in Domino. *Act.* 7. 59.

Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. 1. *Cor.* 11. 30.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent, etc. 1. *Thess.* 4. 12.

MORS. — *Mortem nostram, sua morte devicit Christus.*

Morte turpissima condemnemus eum. *Sap.* 2. 20.

Præcipitabit mortem in sempiternum : et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie et opprobium populi sui auferet de universa terra : quia Dominus locutus est. *Isa.* 25. 8. *V. Rom.* 6. 9.

Et nunc hæc dicit Dominus — Noli timere, quia redemi te, etc. *Ibid.* 43. 1.

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, etc. *Ibid.* 53. 5. Et cum sceleratis reputatus est : et ipse peccata multorum tulit. *v.* 12. *V.* 1. *Cor.* 15. 3.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne : consolatio abscondita est ab oculis meis. *Oseæ* 13. 14.

Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet, sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. 1. *Cor.* 15. 54.

Caritas enim Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. 2. *Cor.* 5. 14. 15.

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. *Ephes.* 2. 4. *et seq.*

Manifestata est autem nunc (gratia) per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, et incorruptionem per Evangelium. 2. *Tim.* 1. 10. *V. Hebr.* 2. 14.

Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. 1. *Petr* 3. 18. *V. Rom.* 5. 6. *Hebr.* 9. 28.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. *Apoc.* 21. 4. *V. c.* 7. 17.

MORS *gratiæ vitia extirpat.*

Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, etc. *Rom.* 6. 1. *et seq.* Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *v.* 11. *et* 12.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes. 2. *Cor.* 4. 10. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. *v.* 11.

Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. *Galat.* 2. 20.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram. *Coloss.* 3. 5.

MORS... *vitam præstat.*

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus : simul et resurrectionis erimus. *Rom.* 6. 5. Si autem mortui sumus cum Christo : credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo, etc. *v.* 8.

Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra : tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. *Coloss.* 3. 3. 4.

Nam si commortui sumus, et convivemus : si sustinebimus, et conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

MORS *malorum.*

(Cain, qui occidit fratrem suum, occisus est a Lamech). *Gen.* 4. 23.

Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo : et subvertit (quinque civitates, detestabili peccato fœtentes). *Ibid.* 19. 24.

(Sichem filius Hemor, qui oppressit Dinam filiam Jacob, interfectus est a filiis Jacob, una cum omnibus masculis civitatis). *Ibid.* 34. 25.

(Aquæ maris rubri cooperuerunt currus et equites cunctos exercitus Pharaonis, nec unus quidem remansit; et quidem sa-

tis juste, ut cujus cor non potuit emolliri, corpus ejus in aquis totaliter mergeretur). *Exod.* 14. 28.

(Israelitæ in deserto murmurantes, et diversa committentes peccata, variis mortibus interierunt, ita ut de sexcentis millibus et amplius hominum pugnatorum duo tantum, Josue scillicet et Caleb, terram promissionis intraverint). *Ibid.* 32. 28. *Num.* 11. 33. *c.* 14. 30.

(Nadab et Abiu filii Aaron, offerentes ignem alienum coram Domino, devorati sunt ab igne Domini, et interierunt). *Lev.* 10 1.

(Præcepto Domini, filii Israel eduxerunt blasphemum extra castra, ac lapidibus obruerunt). *Ibid.* 24. 14.

(Core, Dathan, et Abiron, ac eorum complices, Moysi rebellantes), descenderuntque vivi in infernum, operti humo, et perierunt. *Num.* 16. 33.

(Quoniam Achan tulit furtive de anathemate Jericho), lapidavitque eum omnis Israel : et cuncta, quæ ejus erant, igne consumpta sunt. *Josue* 7. 25.

(Comprehenderunt filii Israel Adonibezec, ac) cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum (uti fecerat et ipse septuaginta regibus), adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est. *Judic.* 1. 6. 7.

Tulit itaque Jahel, uxor Haber, clavum tabernaculi — et defixit in cerebrum (Sisaræ) — qui soporem morti consocians, defecit, et mortuus est. *Ibid.* 4. 21.

(Si Zebee et Salmana servassent fratres Gedeonis, pepercisset eis Gedeon; sed quia eos occiderunt, ipsi quoque a Gedeone occisi fuerunt). *Ibid.* 8. 19.

(Cum audisset Heli, Arcam Domini esse captam), cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. 1. *Reg.* 4. 18.

(Superbum Goliath et blasphemum, David puer inermis, non habens usum armorum, gladio illius proprio interfecit). *Ibid.* 17. 51.

(Adolescens, qui dixit se Saulem occidisse, jubente David occisus est, cum putaret prospera nuntiare). 2. *Reg.* 1. 15. *V. et. c.* 4. 10.

(Simile accidit duobus latronibus, qui caput Isboseth, filii Saul, attulerant ad David). *Ibid.* 4. 12.

(Amnon filius David oppressit sororem suam Thamar, et paulo post occisus est, jubente Absalom fratre suo, cum comederet cum eo). *Ibid.* 13. 29.

(Libidine dominandi, Absalom multum afflixit patrem suum David, sed antequam consilium suum perficeret, supensus est) inter cœlum et terram. *Ibid.* 18. 9.

(Seba filius Bochri concitavit populum contra David, et fugiens in Abelam civitatem, ubi putabat habere refugium et auxilium, decollatus fuit ibidem). *Ibid.* 20. 22.

(Quamvis Joab fuisset miles strenuus et fidelis, quia tamen occidit duos viros proditorie, jussus est occidi, præcipiente Salomone). 3. *Reg.* 2. 29.

(Vulneratus in bello Achab, mortuus est vespere), et linxerunt canes sanguinem ejus (in eodem loco, in quo linxeruut sanguinem Naboth, qui, dissimulante ipso Achab, cum liberare eum deberet, et posset, lapidatus est). *Ibid.* 22. 38. *et c.* 21. 19.

(Cum ascenderet Eliseus in Bethel, quidam pueri illudebant ei) : egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. *Reg.* 2. 24.

(Unus de ducibus, qui aderant cum rege Israel, noluit credere verbis Elisei, futuram abundantiam prædicentis : in crastino vero) conculcavit eum (turba hominum, ad spolia concurrentium, et mortuus est. *Ibid.* 7. 20.

(Benadad, rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Israel, fuit demum ab Hazael servo suo suffocatus). *Ibid.* 8. 15.

(Videns Jehu Jezabel impiam, quæ fuit causa tot malorum, jussit eam præcipitari deorsum; quæ fuit adeo equorum ungulis conculcata, ut, licet esset filia regis, non fuit tradita sepulturæ; tantum enim calvaria capitis aderat, reliqua canes comederunt). *Ibid.* 9. 33. *et* 35.

Athalia vero mater Ochoziæ — interfecit omne semen regium, (ut posset regnare super populum, et postmodum turpiter interfecta fuit, jussu Jojadæ sacerdotis). *Ibid.* 11. 1. *et* 16. *Item* 2. *Par.* 23. 15.

(Joas rex Juda malus et ingratus, qui Zachariam filium sacerdotis Jojadæ fecit crudeliter lapidari, postea interfectus est a suis). *Ibid.* 12. 20. *et* 21. *Item* 2. *Par.* 24. 25.

(Rex Assyriorum superbissimus, Sennacherib, et in Deum cœli blasphemus, postquam de terra Juda confusus aufugit,

a filiis suis interfectus fuit). *Ibid.* 19. 37. *Item* 2. *Par.* 32. 21. *Tob.* 1. 24. *Isa.* 37. 38.

(Sedecias rex Juda malus apud Deum et homines, comprehensus est fugiens. Ante cujus oculos rex Babylonis proprios filios fecit occidi; deinde exoculatus fuit, et ductus in Babylonem, ubi miserabiliter mortuus est). *Ibid.* 25. 7. *Item Jerem.* 39. 6. 7. *et c.* 52. 10. 11.

(Multas terras cepit et destruxit Holofernes : tandem dormiens inebriatus, per manum mulieris capite truncatus fuit). *Judith* 13. 10.

(Superbissimus Aman, qui faciebat se ab hominibus adorari, suspensus est in patibulo, quod ipse paraverat Mardochæo). *Esth.* 7. 10.

(Balthassar rex Babylonis non est correctus per exemplum Nabuchodonosor papatris sui, qui ante eum fuerat mutatus in bestiam. Igitur in convivio vidit scripturam in pariete) : Mane, Thecel, Phares — (statimque) eadem nocte interfectus est, (et regnum ejus ad Medos et Persas translatum). *Dan.* 4. 30. 5. 25. *et seq.*

(Accusatores Danielis, jubente Dario rege Persarum, missi sunt in lacum leonum, et a leonibus devorati). *Ibid.* 62. 4. *V. similem casum et historiam, c.* 14. 41.

Percussus est Alcimus (proditor) — et dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum, et mandare de domo sua. Et mortuus est — cum tormento magno. 1. *Mach.* 9. 55. 56.

(Contristatus rex Antiochus, eo quod Andronicus injuste occiderat Oniam summum sacerdotem occidi in eodem loco Andronicum jussit, quia nimiam impietatem commiserat). 2. *Mach.* 4. 38.

Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis — congregata est multitudo adversus (eum, et ipsum) secus ærarium interfecerunt. *v.* 39. *et* 42.

(Jason impius, qui) proprium fratrem captivaverat — et qui multos de patria sua expulerat, peregre periit — et illamentatus, et insepultus (abjectus fuit). *Ibid. v.* 26. *et c.* 5. 9. 10.

(Antiochus, qui) aliorum torserat viscera, (passus durum dolorem viscerum), in montibus miserabili obitu vita functus est. *Ibid.* 9. 5. 6. *et* 28.

Menelaus, qui malitiose obtinuit modico tempore sacerdotium, de alta turri fuit præcipitatus in aggestum cineris), *Ibid.* 13. 6.

(Homo ille dives, cujus ager uberes fructus attulit, cum cogitaret destruere horrea sua et facere majora, credebat se adhuc multos vitæ suæ habere annos. Dominus autem illi ait) : Stulte, hac nocte (morieris, etc.) *Luc.* 12. 20.

(Vide quoque terribilem historiam et exemplum de divite epulone, qui mortuus est, et sepultus in inferno). *Ibid.* 16. 19. 22.

(Ananias et uxor ejus Saphira, qui fraudaverunt de pretio agri venditi, ad increpationem Petri, terribiliter ambo expirarunt extemplo). *Act.* 5. 5. 10.

(Herodes sedens pro tribunali, et vestitus veste regali, concionabatur ad populum). Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus, expiravit. *Ibid.* 12. 21. *et seq.*

MORS. — *Mortem qui sibi intulerint.*

Qui (scilicet Abimelech, cujus caput quædam mulier fragmine molæ eliserat ex turri quadam excelsa, in quam confugerant viri et mulieres a facie Abimelech) vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum : Evagina gladium tuum, et percute me : ne forte dicatur, quod a fœmina interfectus sim, etc. *Judic.* 9. 54.

Et apprehendens (Samson) ambas columnas, quibus innitebatur domus : alteramque earum dextera, et alteram læva tenens, ait : Moriatur anima mea cum Philisthiim. *Ibid.* 16. 29. 30.

Dixitque Saul ad armigerum suum : Evagina gladium tuum, et percute me : ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus : fuerat enim nimio terrore perterritus : arripuit itaque Saul gladium (suum), et irruit super eum. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo. 1. *Reg.* 31. 4. 5. *Item* 1. *Par.* 10. 4. 5.

Porro Architophel videns, quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque et abiit in domum suam — et disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui. 2. *Reg.* 17. 23.

Videns autem Zambri, quod expugnanda esset civitas (Thersa), ingressus est pala-

tium, et succendit se cum domo regia : et mortuus est in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, et ambulans in via Jeroboam, et in peccato ejus, quo fecit peccare Israel. 3. *Reg*. 16. 18. 19.

Sed ob hoc accusatus (Ptolemæus) ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometore deseruisset, et ad Antiochum Nobilem translatus, etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit. 2. *Mach*. 10. 13.

(Suggerente Alcimo, qui summo destitutus erat sacedotio, Nicanor in Judæos missus a rege Demetrio, auditis Judæ præclaris facinoribus, amicitiam cum eo contraxit; quam postmodum rege cogente solvens, dum Judam nequit comprehendere, templi minatur eversionem, et senem Raziam Judæum magnanimum apprehendere conatur ; qui dum ab hostibus jam se capiendum videret, elegit potius constantissimo animo sibi mortem inferre, quam indigna pati ab hostibus, in quos propriis manibus sua intestina projecit). 2. *Mach*. *c*. 14. Turbis autem irruere in domum ejus, et januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum jam comprehenderetur, gladio se petiit, etc. *v*. 41. *et seq*.

Et projectis argenteis in templo, recessit (Judas) : et abiens, laqueo se suspendit. *Matth*. 27. 5.

Et hic quidem (Judas) possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius; et diffusa sunt omnia viscera ejus. *Act*. 1. 18.

MORS. — *Mortuos lugere, quatenus permittatur, et prohibeatur.*

Et super mortuo (ait Moyses Israelitis) non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. *Lev*. 19. 28.

Filii estote Domini Dei vestri : non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. *Deut*. 14. 1.

Fleveruntque eum (Moysen mortuum) filii Israel in campestribus Moab, triginta diebus : et completi sunt dies planctus lugentium Moysen. *Ibid*. 34. 8. *V. et. de Joseph*, *Gen*. 50. 3.

Apprehendens autem David vestimenta sua, scidit, omnesque viri, qui erant cum eo : et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonatham filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio. 2. *Reg*. 1. 11. 12.

Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner : flevit autem et omnis populus. *Ibid*. 3. 32.

Dixitque David : Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. *Ibid*. 10. 2.

Luxit ergo David filium suum (Amnon) cunctis diebus. *Ibid*. 13. 37.

Joab filius Sarviæ — misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem : dixitque ad eam : Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum. *Ibid*. 14. 1.

Nuntiatum est autem Joab, quod Rex (David) fleret et lugeret filium suum (Absalom) : et versa est victoria in luctum in die illa omni populo : audivit enim populus in die illa dici : Dolet Rex super filio suo. *Ibid*. 19. 1. 2.

Supra mortuum plora; defecit enim lux ejus : et supra fatuum plora, deficit enim sensus, etc. *Eccli*. 22. 10. *V. et versus sequentes*.

Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius, etc. *Ibid*. 38 16.

Et fleverunt eum (scilicet Judam occisum) omnis populus Israel planctu magno, et lugebant dies multos. 1. *Mach*. 9. 20.

Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Judam. Et planxerunt Jonatham, et eos, qui cum ipso fuerant, valde : et luxit Israel luctu magno. *Ibid*. 12. 52. *V. c*. 13. 26.

Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines, et turbam tumultuantem, dicebat : Recedite. etc. *Matth*. 9. 23. 24.

Quam (viduam scilicet, cujus unicus filius erat mortuus) cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere. *Luc*. 7. 13.

Jesus ergo, ut vidit eam (Mariam sororem Lazari) plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit

spiritu, et turbavit se ipsum. *Joan.* 11. 33. Et lacrymatus est Jesus. *v.* 35.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. *Act.* 8. 2.

Exurgens autem Petrus, venit cum illis (scil. duobus viris eum rogantibus, ut veniret ad eos). Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum : et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas. *Ibid.* 9. 39.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent, etc. 1. *Thess.* 4. 13.

MORS. — *Mortui revocantur ad vitam.*

Et clamavit ad Dominum (Elias), et dixit : Domine Deus meus etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus ? etc. 3. *Reg.* 17. 20. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ; et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. *v.* 22.

Ingressus est ergo Eliseus domum, et ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus: ingressusque clausit ostium super se, et super puerum : et oravit ad Dominum. etc. 4. *Reg.* 4. 33. 34. At ille vocavit Giezi, et dixit ei : Voca Sunamitidem hanc (viduam). Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait : Tolle filium tuum, etc. *v.* 36.

Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. *Ibid.* 13. 21.

Et cum ejecta esset turba, intravit (Jesus), et tenuit manum ejus. Et surrexit puella (scilicet filia principis). *Matth.* 9. 25.

Et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt (scilicet in passione Christi). *Ibid.* 27. 52.

Et tenens manum puellæ, ait illi (Jesus): Thalita cumi, quod est interpretatum : Puella (tibi dico), surge. Et confestim surrexit puella, et ambulabat (scilicet filia Jairi Archisynagogi). *Marc.* 5. 41. 42. *Item Luc.* 8. 54.

Quam (viduam) cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. *Luc.* 7. 13. *et seq.*

Voce magna clamavit (Jesus) : Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus ; ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. *Joan.* 11. 43. 44.

Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit; et conversus ad corpus dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos : et viso Petro, resedit. *Act.* 9. 40.

Ad quem (adolescentem Eutychum lapsum a tertio cœnaculo et mortuum) cum descendisset Paulus, incubuit super eum: et complexus, dixit : Nolite turbari ; animam enim ipsius in ipso est. *Ibid.* 20. 10.

MORS *est consolabilis miseris.*

Moritur doctus similiter ut indoctus. *Eccles.* 2. 16.

Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. *Sap.* 7. 6.

Melior est mors, quam vita amara : et requies æterna, quam languor perseverans. *Eccli.* 30. 17.

O mors ! bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus, defecto ætate, etc. *Ibid.* 41. 3. *V. versus sequentes.*

MORS... *honorabilis bonis.*

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, etc. *Sap.* 3. 1.

Justus autem, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Ibid.* 4. 7.

Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi : hoc judicium a Domino omni carni. *Eccli.* 41. 5.

Justus perit, et non est, qui recogitet in corde suo — Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua *Isa.* 57. 1. 2.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. *Cor.* 5. 1.

Coarctor autem e duobus ; desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, etc. *Philipp.* 1. 23.

Beati mortui, qui in Domino moriantur. *Apoc.* 14. 13.

MORS... *horribilis malis.*

Mors peccatorum pessima. *Psal.* 33. 22.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes. *Prov.* 11. 7.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habere potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. *Eccles.* 8. 8.

Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. *Eccli.* 10. 13.

O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis : viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum! *Ibid.* 41. 1.

MORS... *lamentabilis cunctis.*

Super mortuum plora, etc. *Eccli.* 22. 10.

Ingemisce tacens, mortuorum luctum non faciens. *Ezech* 24. 17. *V. Eccli.* 38. 16.

MORS. — *Mortuorum sepultura. V.* **Sepeliendi mortui.**

MORS. — *Mortuorum suffragia. V.* **Purgatorium.**

MORTIFICATIO.

(Caino a passione invidiæ occupato, ait Dominus) : Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. *Gen.* 4. 7.

Magna opus fuit mortificatione, ut Abraham primo exiret de terra sua, deinde ut immolaret quod carius in mundo habebat, nempe unigenitum suum filium). *Ibid.* 12. 1. *et* 22. 2.

(Jacob mortificans se, innixus capite lapidi, vidit mysticam scalam). *Ibid.* 28. 11. 12.

(Nazaræi abstinebant a vino, et omni, quod inebriare potest, per totam vitam). *Num.* 6. 3.

Et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram, etc. (nec voluit surgere, et comedere cibum). 2. *Reg.* 12. 16. 17.

Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, etc. (Et ait Dominus) : Quia igitur (Achab) humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. 29.

(David, vehementer sitiens, desiderabat aquam de cisterna Bethlehem; sed postquam hæc fuit allata, noluit bibere), sed magis libavit illam Domino, (eamque effudit in terram). 1. *Par.* 11. 17. 18. *V.* 2. *Reg.* 23. 15. 16.

Et clamavit omnis populus ad Dominum — et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, etc. *Judith.* 4. 8. 9. Et erat cinis super capita eorum, etc. *v.* 16.

(Judith, licet innocentis vitæ), habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata — et festa domus Israel. *Ibid.* 8. 6.

(Cum promulgatum fuisset crudele edictum Assueri contra Judæos, Mardochæus) indutus est sacco, spargens cinerem capiti — In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis — planctus ingens erat apud Judæos, jejunium et ululatus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. *Esther* 4. 1. 3.

(Job, licet nullius gravis culpæ conscius, de se testatur) : Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. *Job* 42. 6.

(Quam austeram vitam duxerit David, indicat ipse his verbis) : Ego autem — induebar cilicio : humiliabam in jejunio animam meam. *Psal.* 34. 13.

Anticipaverunt vigilias oculi mei. *Psal.* 76. 5.

Cinerem tamquam panem manducabam : et potum meum cum fletu miscebam. *Psal.* 101. 10.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joel.* 2. 12.

(Innocentissimus Joannes Baptista, austerissimam in deserto duxit vitam, habens) vestimentum de pilis camelorum — esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre. *Matth.* 3. 4.

(Sic et Paulus dicit) : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 27.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 2. *Cor.* 4. 10.

Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram. *Coloss.* 3. 5.

MULIER *bona Deum reverenter honorat.*

Fallax gratia, et vana est pulchritudo :

mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Prov.* 31. 30.

Fundamenta æterna super petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ. *Eccli.* 26. 24.

MULIER... *viro humiliter obtemperat.*

Mulier diligens, corona est viro suo : et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit. *Prov.* 12. 4.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, etc. *Ibid.* 31. 10. 11.

Noli discedere a muliere sensata et bona, quam sortitus es in timore Domini : gratia enim verecundiæ illius super aurum. *Eccli.* 7. 21.

Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. *Ibid.* 9. 1. 2.

Beatus qui habitat cum muliere sensata. *Ibid.* 25. 11.

Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. *Ibid.* 26. 1. *et seq.* Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est, etc. *v.* 16. *et* 17. *V. versus sequentes.*

Species mulieris exhilarat faciem viri sui, et super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. *Ibid.* 36. 24.

(Ut ut amicus opportune congruat cum amico, vir tamen et uxor concordes utrique præferendi sunt). *Ibid.* 40. 23.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. *Ephes.* 5. 22. *V. Coloss.* 3. 18.

Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, etc. 1. *Petr.* 3. 1. Sanctæ mulieres — subjectæ (sunt) propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, etc. *v.* 5 *et* 6.

MULIER. — *domum diligenter curat.*

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum : et hauriet jucunditatem a Domino, etc. *Prov.* 18. 22.

Filia prudens hæreditas viro suo. *Eccli.* 22. 4.

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei : sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus, etc. *Ibid.* 26. 21. *V. v.* 19.

Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem : adjutorium secundum illum est, et columna ut requies. *Ibid.* 36. 26.

Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, etc. *Tit.* 2. 4. 5.

MULIER... *proximum ædificat honesto affatu.*

Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. *Cant.* 4. 11.

Mulieres in Ecclesiis taceant : non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse etc. 1. *Cor.* 14. 34.

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. 1. *Tim.* 2. 11. Adam enim primus formatus est, deinde Eva : et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate. *v.* 13. *et seq.*

MULIER... *modesto gestu, et incessu.*

Mulier gratiosa inveniet gloriam. *Prov.* 11. 16.

Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. *Eccli.* 26. 18. Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. *v.* 23.

Filii, et ædificatio civitatis confirmabit nomen, et super hæc mulier immaculata computatur. *Ibid.* 40. 19.

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. 1. *Cor.* 7. 14.

Vir quidem non debet velare caput suam : quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier potestatem (scil. velamen) habere supra caput, propter Angelos. *Ibid.* 11. 7. *et seq.* Vos ipsi judicate : decet mulierem non velatam orare Deum ? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, etc. *v.* 13. *et seq.*

Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia, et sobrietate ornantes

se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa : sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 1. *Tim.* 2. 9. 10.

Quarum (mulierum) non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, etc. *Petr.* 3. 3.

MULIER. — *Mulierum fides.*

(Ruth adhæsit socrui suæ Noemi, dicens) : Populus tuus, populus meus, et Deus tuus, Deus meus. (Unde Booz postea dixit ei) : Reddat tibi Dominus — plenam mercedem — ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. *Ruth* 1. 15. *et c.* 2. 12.

(Mulier vidua Sarepthana credidit verbis Eliæ Prophetæ, licet rem satis difficilem illi prædixisset). 3. *Reg.* 17. 14.

(Mundi creationem et corporum resurrectionem optime confitebatur mirabilis illa mater, quæ septem filios torqueri uno die vidit, et ipsos ad moriendum pro Dei legibus fortiter animavit), 2. *Mach.* 7. 23. *V. totum Caput.*

(Sic etiam mulier Chananæa, nec longa expectatione, nec dura responsione destitit clamare ad Dominum; idcirco tandem audivit) : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. *Matth.* 15. 28.

(De resurrectione Domini legimus, multos viros dubitasse, et Dominum Jesum illorum incredulitatem, et cordis duritiam exprobrasse : de mulieribus autem nihil tale legitur, sed resurgens Dominus primo apparuit mulieri, scilicet Magdalenæ, et illa currens discipulis lugentibus nuntiavit). *Ibid.* 28. 17. *et Marc.* 16. 9. *et seq.*

(Circa mysterium Dominicæ Incarnationis fuerunt mulieres ad credendum promptiores, quam viri. Nam Zacharias, pater Joannis Baptistæ, fuit incredulitatis ab Angelo redargutus). *Luc.* 1. 20. (Elisabeth autem in adventu B. Virginis exclamavit) : Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? *v.* 43.

(Commendatur Beatissima Virgo, quæ credidit Angelo, et dixit) : Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum. *Ibid. v.* 38.

(Anna vidua Prophetissa), loquebatur (de puero nato) omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. *Ibid.* 2. 38.

(Mariæ Magdalenæ dixit Dominus) : Fides tua te salvam fecit : vade in pace. *Ibid.* 7. 50.

(Tantam fidem habebat ad Dominum mulier hæmorrhoissa, ut sufficeret ei, si tantummodo tangeret fimbriam vestimenti ejus. Ideo meruit audire) : Fides tua salvam te fecit. *Ibid.* 8. 48. *Item Matth.* 9. 21. 22. *et Marc.* 5. 28. 34.

(Mulier Samaritana plene confessa est, dicens) : Quia Messias venit, qui dicitur Christus. (Et postea multi Samaritanorum crediderunt in Dominum, propter sermonem ejus). *Joan.* 4. 25. 41.

(Confessio fidei Marthæ, quæ dixit) : Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Ibid.* 11. 27. (valde similis fuit confessioni Petri) : Tu es Christus Filius Dei vivi. *Matth.* 16. 16.

Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria — (audivit prædicationem Pauli, eique) Dominus aperuit cor — (et baptizata est), et domus ejus. *Act.* 16. 14.

(Commendat Apostolus fidem Rahab, quæ, non periit cum incredulis, (eo quod excepit hospitio exploratores pacifice). *Hebr.* 11 31. *Confer Josue* 2. 3. *et Jacob.* 2. 25.

MULIER. — *Mulierum pietas et compassio.*

(Rebecca videns servum Abrahæ, hominem peregrinum et bibere petentem, sine mora respondit) : Bibe, domine mi — quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. *Gen.* 24. 18. 19.

Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. *Exod.* 1. 17.

(Cernens filia Pharaonis) parvulum vagientem, miserta ejus, ait : De infantibus Hebræorum est hic : (et faciens eum nutriri, in filium adoptavit). *Ibid.* 2. 6.

(Rahab meretrix audiens exploratores Josue ad mortem quæri, compassa est eis. et ipsos abscondens liberavit, et sanos remisit). *Jos. c.* 2. *per tot.*

(Nuntii, euntes ad David, absconditi fuerunt in puteo et salvati per mulierem : quæ posuit velamen super os putei, et eos, qui quærebant, delusit). 2. *Reg.* 17. 19.

(Duarum mulierum coram Salomone contendentium, illa pium cor habuit, quæ liti cedere voluit, quia ejus viscera super filium suum commota sunt). 3. *Reg.* 3. 26.

(Vidua mulier Sarephtana fuit hospita Eliæ prophetæ, et hic apud illam sustentabatur). *Ibid.* 17. 9.

(Mulier Sunamitis induxit virum suum ad hoc, ut fieret in domo sua Eliseo locus aptus ad manendum). 4. *Reg.* 4. 10.

(Cum occidisset Athalia) omne semen regium, (Josaba filia regis Joram tulit Joas unum de filiis regis, et abscondens, salvavit eum). *Ibid.* 11. 2.

(Esther compatiens populo suo, morti addicto, magno se exposuit periculo, et sic liberationem et sublimationem eorum obtinuit). *Esther. c.* 5. *per tot.*

(Mulier Chananæa miseriam filiæ suæ propriam reputabat, dicens) : Miserere mei, Domine fili David : filia mea male a dæmonio vexatur. *Matth.* 15. 22.

(Mulieres studiose obsequi voluerunt Jesu jacenti jam in sepulcro). *Marc.* 16. 2. *Matth.* 28. 1. *Luc.* 23. 55. 56. *et* 24. 1. *Joan.* 20. 1.

(Mulieres item ministraverunt Domino prædicanti, et per castella et civitates eunti). *Luc.* 8. 2. 3. *V. et c.* 10. 38. *de Martha.*

(Blasphemantibus miracula Domini Scribis et Pharisæis, mulier quædam devote audiens verba ejus, extulit vocem, clamans) : Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. *Ibid.* 11. 27.

(Prætulit Dominus duo æra minuta pauperculæ viduæ, quæ misit in gazophylacium, muneribus divitum : quia plus ponderat Dominus mentis pietatem, quam muneris quantitatem). *Ibid.* 21. 2.

(Mulieres astiterunt Christo patienti, et sequebantur eum, dum ad crucem duceretur, ab Apostolis derelictus). *Ibid.* 23. 27.

(Pietas B. Virginis Mariæ multum apparet in hoc, quod ad pauperes nuptias ire voluit, et deficiente vino, non requisita ab aliquo, sed ultro sponsis miserta, dixit Filio) : Vinum non habent (quod et ab ipso miraculose obtinuit. *Joan.* 2. 3.

(Ambulans per mundum Salvator, in domo Marthæ et Mariæ specialius hospitium legitur habuisse). *Ibid.* 12. 2.

Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus, etc. *Ibid.* 19. 25.

(Propter opera pietatis et eleemosynas, quas Thabita viduis faciebat, rogaverunt flentes Petrum, ut ad eam defunctam veniret. Et motus lacrymis eorum Petrus ponens genua, oravit, et eam suscitavit). *Act.* 9. 36.

(Exiens de carcere Petrus), venit ad domum Mariæ matris Joannis, (qui cognominatus est Marcus. Unde patet præcipue quia ibi multi erant congregati orantes, piam fuisse istam et bonam mulierem, et hospitam discipulorum Domini). *Ibid.* 12. 12.

(Lydia purpuraria, credens ad prædicationem Pauli, et baptizata cum domo sua), deprecata est dicens : Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete : et coegit nos, *ait Lucas. Ibid.* 16. 15.

MULIER. — *Mulierum sapientia.*

(Sara prudenter deprehendit inter Isaac et Ismaelem ludum non bonum : hinc dixit Dominus ad Abraham) : Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, etc. *Gen.* 21. 12.

(Sapientissime procuravit Rebecca, ut Jacob benedictionem a patre, quæ debebatur primogenito, obtineret : et postea fecit eum caute iram Esau declinare). *Ibid.* 27. 5. *et* 42.

(Sapienter meretrix Rahab exploratores abscondit, et per hoc se et totam domum suam a periculo mortis liberavit). *Josue* 2. 4.

(Debbora judicavit populum, docuitque Barac filium Abinoem, quid facturus esset, ut populum Dei de manu Sisaræ liberaret). *Judic.* 4. 4. 6.

(Sollicita fuit Noemi et astuta ad modum inveniendum, quo Ruth alienigena nurus sua nubere posset Booz inclyto et potenti). *Ruth c.* 3. *per tot. V. et c.* 4.

(Per sapientiam, eloquentiam, et liberalitatem suam Abigail viro suo Nabal vitam servavit, et regem David ab homicidio impedivit) : 1. *Reg.* 25. 23.

(Sapiens mulier Thecuitis induxit David ad hoc, ut filium suum Absalom exulem revocaret). 2. *Reg.* 14. 2.

(Obsidente Joab civitatem Abelam, mulier quædam sapiens taliter locuta est Joab et populo, ut omnes ab obsidione recesserint). *Ibid.* 20. 16. *et* 22.

(Bethsabee mater Salomonis sapienter verbum proposuit coram rege David, ut filius ejus Salomon post eum regnaret). 3. *Reg.* 1. 15. *et seq.*

(Magna sapientia fuit in regina Saba, quæ venit audire sapientiam Salomonis), et tentare eum in ænigmatibus. *Ibid.* 10. 1. *Item* 2. *Par.* 9. 1.

(Miram sapientiam, prudentiam, et constantiam ostendit Judith, alloquendo populum et decipiendo tyrannum). *Judith a c.* 8. *usque ad finem libri.*

(Esther cum magna sagacitate fecit petitionem suam, postquam regem ad prandium invitaverat, et ille vino incaluerat). *Esther.* 7. 2.

MULIER. — *Mulierum fortitudo.*

(Barac nolebat ducere exercitum contra Sisaram, nisi Debbora iret cum eo). Quæ dixit ad eum : Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. *Judic.* 4. 9.

(Dixit Booz ad Ruth, quæ reliquerat patriam et Deos suos) : Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. *Ruth.* 3. 11.

(Michol viriliter salvavit virum suum David, cum quæreretur ad mortem a Saul patre suo). 1. *Reg.* 19. 11.

(Cum vidisset Abigail virum suum Nabal dure respondisse nuntiis David, festinavit, et tulit diversa xenia, et David iratum placavit). *Ibid.* 25. 18. *V. totum Caput.*

(Supra modum autem fuit fortis et mirabilis mater illa, quæ pereuntes septem filios suos sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, et fœmineæ cogitationi masculinum animum inserebat). 2. *Mach.* 7. 20. 21.

MULIER. — *Mulierum fallacia et astutia.*

(Occasione Hevæ deceptus est Adam, cum de ligno vetito, ipsa suadente, comedit). *Gen.* 3. 6.

(Sara risit, audita promissione de conceptione filii : redarguta autem a Domino ejus diffidentia, se ipsam mendaciter excusavit). *Ibid.* 18. 10. 15.

(Duæ filiæ Lot volentes ex patre suo concipere, cum verbis eum fortasse ad hoc inducere non auderent, mediante vino consilium sunt executæ). *Ibid.* 19. 31.

(Rebecca) pelliculasque hœdorum circumdedit manibus (Jacob), et colli nuda protexit. *Ibid.* 27. 16.

(Rachel patrem proprium, quærentem idola sua, fallax delusit). *Ibid.* 31. 34. 35.

(Vide fallaciam et astutiam Thamar). *Ibid.* 38. 13. *et seq.*

(Uxor Putipharis Joseph apud virum suum nequiter accusavit, ut se ipsam mendaciter excusaret, et sic se de Joseph impiissime vindicavit). *Ibid.* 39. 16. *et seq.*

(Obstetrices Hebræorum, licet piam intentionem habuerint in reservatione puerorum, tamen Pharaonem mendacio fefellerunt). *Exod.* 1. 19.

(Mulieres Moabitides filios Israel deceperunt, contra quos Balaam ariolus cum omnibus suis magicis artibus nihil profecerat). *Num.* 4. 18. 21.

(Uxor Samsonis, fundens ad eum lacrymas, dixit) : Odisti me — idcirco problema etc. non vis mihi exponere : (quod tamen in damnum proprium Samson illi revelavit). *Ibid.* 14. 16.

(Dalila molesta fuit Samsoni jugiter per multos dies), spatium ad quietem non tribuens (tandem victus fortissimus Samson, stulte aperuit ei arcanum). *Ibid.* 16. 16.

(Michol intelligens, quod Saul quæreret David virum suum ad mortem, fecit eum fugere, et posuit simulacrum super lectum ejusdem). 1. *Reg.* 19. 12. 13.

(Mulieris Thecuitæ solertia et fallacia revocatur Absalom). 2. *Reg.* 14. 4. *et seq.*

(Viri, qui nuntiare debebant David insidias Absalom, fuerunt positi in puteo : et mulier quædam ponens) velamen super os putei, quasi siccans ptisanas, (ipsos recessisse mentita est). *Ibid.* 17. 19-20.

(Vide fallaciam meretricis mentientis). 3. *Reg.* 3. 20.

(Fefellit Holofernem Judith, a cujus facie terra tremere videbatur ; attamen fefellit pia intentione). *Judith. c.* 10. *V. et c.* 11.

(Herodes metuebat Joannem, sciens esse virum justum ; et tamen Herodias adeo laboravit, ut fecerit illum in carcere decollari). *Matth.* 14. 8. *Item Marc.* 6. 20. 27.

(Saphira uxor et Ananias maritus fallere voluerunt et decipere Petrum, fraudantes de agri pretio. Sed fallacia ista et mendacium gravissime fuit punitum). *Act.* 5. 1. *et seq.*

MULIER. — *Mulierum aviditas et concupiscentia.*

(Prima mulier vidit lignum pulchrum et delectabile, et statim sine deliberatione) tulit de fructu illius, et comedit. *Gen.* 3. 6.

(Sara licet esset bona, tamen culpabi-

lem aviditatem liberos recipiendi satis manifestavit, dicens ad Abraham) : Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. *Ibid.* 16. 2.

Filiæ Lot potius voluerunt de patre liberos suscipere, quam sine liberis permanere). *Ibid.* 19. 31. *et seq.*

Cernens autem Rachel, quod infœcunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar. *Ibid.* 30. 1.

Egressa est autem Dina — ut videret mulieres regionis illius. *Ibid.* 34. 1.

(Domina, cui serviebat Joseph, non expectavit, ut sollicitaretur ab eo; sed ipsum nimis procaciter incitavit). *Ibid.* 39. 7. 12.

(Anna, mater Samuelis, præ desiderio habendi liberos), flebat, et non capiebat cibum. 1. *Reg.* 1. 7.

(Athalia mater Ochoziæ regis, concupiscens regnare super terram), interfecit omne semen regium, excepto Joas infantulo, qui furtim absconditus fuit). 4. *Reg.* 11. 1. 2. *V.* 2. *Par.* 22. 10. 11.

(Anna Tobiæ uxor) quotidie exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum (filium suum), si fieri posset, venientem. *Tob.* 10. 7. *V. c.* 11. 5.

(Vide insatiabilitatem Esther, quæ non contenta cladibus in Susan peractis, petiit a rege, ut et sequenti die cædes renovaretur). *Esther* 9. 12. 13.

(Mulier Chananæa sanitatem filiæ obtinuit multis precibus importunis). *Matth.* 15. 22. *et seq.*

(Mater filiorum Zebedæi non expectavit, ut remuneraret filios Dominus secundum merita, sed petiit ante tempus, unum poni ad dexteram Domini in regno suo, et alterum ad sinistram). *Ibid.* 20. 21.

(Puella, nomine Rhode, intelligens pulsare Petrum ad januam), præ gaudio (et aviditate) non aperuit, (sed relinquens Petrum foras, cucurrit, et aliis in domo nuntiavit). *Act.* 12. 13. 14.

MULIER. — *Mulierum stultiloquium.*

(Heva prius legitur locuta fuisse cum serpente, quam cum Deo adorando, vel cum viro suo). *Gen.* 3. 2.

(Stulte Sara ridens locuta est, et iteram stulte negavit, se risisse). *Ibid.* 18. 12. *et seq.*

Cernens autem Rachel, quod infœcunda esset — ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar. (Quasi esset in ipsius Jacob potestate, de sterili fœcundam facere). *Ibid.* 30. 1. *V. v.* 2.

(Uxor Samsonis, statim ut scivit solutionem ænigmatis viri sui, indicavit civibus suis in damnum mariti). *Judic.* 14. 17.

(Cum vidisset Dalila, quod Samson) confessus ei esset omnem animum suum, in quo scilicet fortitudo sua sita esset, inimicos illius vocavit, et statim eis revelavit). *Ibid.* 16. 18.

(Quia David præ magna devotione saltaverat coram arca Domini, Michol stulte et ironice dixit) : Quam gloriosus fuit hodie rex Israel! *Reg.* 6. 20.

(Stulte locuta est mulier illa, quæ coram Salomone de infante vivo rixata est) : Nec mihi, nec tibi sit (filius), sed dividatur. 3. *Reg.* 3. 26.

(Stulte respondit uxor Tobiæ, marito) : Manifeste vana facta est spes tua. *Tob.* 2. 22.

(Sara filia Raguelis, increpante ancillam juste, hæc impatienter et injuriose respondit : Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. *Ibid.* 3. 9.

(Audi stultam sententiam et loquelam uxoris Aman, dum maritus ejus quereretur de Mardochæo : respondit enim) : Jube parari excelsam trabem — ut appendatur super eam Mardochæus. *Esther* 5. 14.

(Sedente Job in sterquilinio, et saniem defluentem testa radente), dixit — illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Domino, et morere. (Sed illi Job bene et discrete respondit) : Quasi una de stultis mulieribus locuta es. *Job* 2. 9. 10.

(Si non stulte, attamen quasi stulte locuta est Domino mater filiorum Zebedæi) : Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo : (nam et Christus hanc loquelam non approbavit). *Matth.* 20. 21.

MULIER. — *Mulierum ornatus superfluus et curiosus.*

(Thamar, nurus Judæ filii Jacob, volens socerum allicere, ut ex illo conciperet, depositis viduitatis vestibus, (ornavit se, et) assumpsit theristrum. *Gen.* 38. 14.

(Audito adventu Jehu, qui occiderat Joram regem Israel, Jezabel) depinxit

oculos suos stibio et ornavit caput suum. 4. *Reg.* 9. 30.

(Testatur Judith, quod ornamenta, quæ assumpsit, deceperint Holofernem). Induit (enim) se vestimento lætitiæ — unxit faciem suam unguento, et colligavit cincinnos suos mitra — ad decipiendum illum, etc. *Judith* 16. 8. *et seq.*

(De Esther legitur, quod quando debuit intrare ad regem), non quæsivit muliebrem cultum (sicut faciebant aliæ mulieres). *Esther* 2. 15.

(Reprehensibilem habitum malæ mulieris describit Salomon) : Considero vecordem juvenem — et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas : garrula, et vaga, quietis impatiens, etc. *Prov.* 7. 10. *et seq. V. totum Caput.*

Averte faciem tuam a muliere compta. *Eccli.* 9. 8.

(Comminando dixit Propheta) : Auferet Dominus ornamenta calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia et mitras, et discriminalia, (et multa alia enumerat). *Isa.* 3. 18. *et seq.*

Similiter et mulieres (incedant) in habitu ornato, cum verecundia, et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa. 1. *Tim.* 2. 9.

Quarum (mulierum) non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio, aut indumenti vestimentorum cultus. 1. *Petr.* 3. 3.

MULIER *est viri adjutrix, et propter ipsum ex costa ejus effecta.*

Faciamus ei (homini) adjutorium simile sibi, (ait Creator), *Gen.* 2. 18. Et ædificavit Dominus Deus costam (Adæ) — in mulierem, etc. *v.* 22.

Mulier autem gloria viri est. 1. *Cor.* 11. 7. Etenim non est creatus vir propter mulierem : sed propter virum. *v.* 9.

MULIER *mystica est Ecclesia tam veteris, quam novi Testamenti.*

Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce duæ mulieres egredientes, etc. *Zach.* 5. 9. *Confer Apoc.* 12. 1. *et seq. per totum.*

MULIER. — *Mulierum officia.*

(Viris suis mulieres subjectæ esse debent, ipsis parere, et honorem deferre : nam mulieri dixit Deus) : Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Gen.* 3. 16.

(Debent sequi maritum quocumque ierit, uti Sara). *Ibid.* 12. 11.

(Sara, juxta mandatum Abrahæ mariti, reticet se esse uxorem ejus). *Ibid. v.* 13.

Igitur Rebecca et puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum. *Ibid.* 24. 61.

(Lia et Rachel Jacob profugum sponte sequuntur). *Ibid.* 31. 14. *et seq.*

(Similiter sequitur Moysen Sephora). *Exod.* 4. 20.

Et apprehendentes parentes (Saræ filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire : monentes eam honorare soceros, diligere familiam, gubernare domum, et se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Tob.* 10. 12. 13.

(Maritum amore complecti debent mulieres, ut Michol David). 1. *Reg.* 18. 28. *V. Tit.* 2. 4.

(Mulieres velato capite orare debent). 1. *Cor.* 11. 5.

Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permitittur eis loqui, sed subditas esse. *Ibid.* 14. 34. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. *v.* 35.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris, etc. *Ephes.* 5. 22. 25. *V. Coloss.* 3. 18. 1. *Petr.* 3. 1.

Mulier in silentio discat, cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum : sed esse in silentio. 1. *Tim.* 2. 11. Mulier — salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, cum sobrietate. *v.* 15.

Subjectæ (sint mulieres) propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, etc. 1. *Petr.* 3. 5. 6.

MULIER. — *Mulieres steriles, fœcundæ redditæ.*

(Sara uxor Abrahami). *Gen.* 16. 1. *et c.* 21. 2.

(Rebecca uxor Isaac). *Ibid.* 25. 21.

(Rachel uxor Jacob). *Ibid.* 30. 1. *et v.* 22. 23.

(Uxor Manue, mater Samsonis). *Judic.* 13. 2. 3. *et v.* 24.

(Anna mater Samuelis). 1. *Reg.* 1. 2. *et v.* 5. 6. 20.

(Elisabeth mater Joannis Baptistæ). *Luc.* 1. 7. *et v.* 24. 57.

MULIER *mala Deum contemnit.*

Ut eruaris a muliere aliena, et ab ex-

tranea, quæ mollit sermones suos, et relinquit ducem pubertatis suæ, et pacti Dei sui oblita est : inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ. *Prov.* 2. 16. *et seq.*

Virum de mille unum reperi : mulierem ex omnibus non inveni. (Ergo mulierum probarum numerus rarissimus est). *Eccles.* 7. 29.

(Peccatum duxit initium a muliere), et per illam omnes morimur. *Ibid.* 25. 33. *V. totum caput.*

(Mulieres translatæ in Ægyptum, sacrificabant Reginæ cœli). *Jerem.* 44. 25.

MULIER... *virum offendit.*

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est, et impius. *Prov.* 18. 22.

Melius est sedere in angulo domatis (scil. in pinna tecti), quam cum muliere litigiosa, et in domo communi. *Ibid.* 21. 9.

Tecta perstillantia in die frigoris, et litigiosa mulier comparantur. *Ibid.* 27. 15.

Patrem et virum confundit audax (mulier). *Eccli.* 22. 5.

Omnis plaga tristitia cordis est : et omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis : et omnem nequitiam, et non nequitiam mulieris. *Ibid.* 25. 17. Non est caput nequius super caput colubri : et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, et obcæcat vultum suum tanquam ursus : et quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadet super illam. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. *v.* 12. *et seq.* Mulieris ira, et irreverentia, et confusio magna. Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo. Cor humile, et facies tristis, et plaga cordis, mulier nequam. *v.* 29. *et seq. V. reliquos versus hujus capitis.*

Dolor cordis, et luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. *Ibid.* 26. 8. 9. *V. et versus sequentes.*

Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. *Coloss.* 3. 18.

MULIER... *proximum incendit procaci affatu.*

Ne attendas fallaciæ mulieris. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius absynthium, et (lingua ejus) acuta, quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, et investigabiles. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus. *Prov.* 5. 2. *et seq.*

Dic sapientiæ, soror mea es : et prudentiam voca amicam tuam, ut custodiat te a muliere extranea, et ab aliena, quæ verba sua dulcia facit. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, et video parvulos, considero vecordem juvenem, qui transit plateam juxta angulum, et prope viam domus illius graditur, in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris et caligine. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas : garrula, et vaga, etc. Apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, dicens, etc. *Ibid.* 7. 4. *et seq.* Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum, et nescit, quod de periculo animæ illius agitur. *v.* 21. *usq. ad finem.*

Mulier stulta, et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo. *Ibid.* 9. 13. *et seq. V. et reliquos versus.*

MULIER....... *petulanti gestu.*

Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum suam, et apprehenderit verenda ejus : abscides manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia. *Deut.* 25. 11. 12.

Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor

ejus, vincula sunt manus illius, etc. *Eccles.* 7. 27. *V. totum versum.*

Manus debiles, et genua dissoluta, mulier, quæ non beatificat virum suum. *Eccli.* 25. 32.

Sicut bonum jugum, quod movetur, ita et mulier nequam. Qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Mulier ebriosa, ira magna : et contumelia, et turpitudo illius non tegetur, etc. *Ibid.* 26. 10. 11. *V. et versus sequentes.*

Omnem masculum excipiet mulier. *Ibid.* 36. 23. *Multa invenies in Tit. Fornicatio.*

MULIER... *domum destruit.*

Sapiens mulier ædificat domum suam : insipiens extructam quoque manibus destruet. *Prov.* 14. 1.

Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum : qui autem nutrit scorta, perdit substantiam (et animam suam). *Ibid.* 29. 3.

MULIER *mala summe cavenda.*

Quia mandatum lucerna est, etc. ut custodiant te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ. Non concupiscat, etc. *Prov.* 6. 23. *et seq.* Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant ? etc. Sic qui ingreditur ad mulierem, etc. *v.* 27. *et seq.*

(Os scorti profundus est hiatus, in quem cadet ille, cui Dominus irascitur). *Ibid.* 22. 14.

Ne dederis mulieribus substantiam tuam. *Ibid.* 31. 3.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, etc. *Eccli.* 19. 2. *V. et c.* 25. 28.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. *Cor.* 7. 1.

Adolescentiores autem viduas, devita. 1. *Tim.* 5. 11. *V. versus sequentes.*

MULIER... *sollicite custodienda.*

(Uxorem ex sententia nactus, ne repudies : nec te permittas odiosæ). Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam : et odibili non credas te. *Eccli.* 7. 28.

Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris, etc. *Ibid.* 9. 2. *V. versus sequentes usq. ad* 14.

Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum : nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundit te in conspectu inimicorum. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur. *Ibid.* 25. 34. *et seq. V. versus præcedentes.*

Super mulierem nequam bonum est signum. *Ibid.* 42. 6.

Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. *Mich.* 7. 5.

MULTILOQUIUM. *V. et* **Loquacitas.**

In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. *Prov.* 10. 19.

Orantes autem, nolite multum loqui, sicut Ethnici ; putant enim, quod in multiloquie suo exaudiantur. *Matth.* 6. 7.

MULTITUDO *Dei auxilio non anteponenda.*

(Expugnat Josue regem Jabin, cum aliis plurimis regibus ac populis). *Josue c.* 11. (Sic vide victoriam Gedeonis). *Judic. c.* 7.

(Asa regem Æthiopum Zaram cum exercitu immenso, divino auxilio concidit ad internecionem). 2. *Paral.* 14. 12.

(Josaphat oratione jejunio juncta, et soli Deo fidens, vicit Moabitas et Ammonitas). *Ibid. c.* 20.

Cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, etc. *Ibid.* 24. 24.

Nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem — multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. Cum illo enim est brachium carneum : nobiscum Dominus Deus noster, pugnatque pro nobis, etc. *Ibid.* 32. 7. 8.

Non timebo millia populi circumdantis me. *Psal.* 3. 7.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? etc. *Psal.* 26. 1. In die malorum protexit me — Et — exaltavit caput meum super inimicos meos. *v.* 5. 6.

Facile est concludi multos in manus paucorum : et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis : quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, etc. 1. *Mach.* 3. 18. 19. *V. Tit. Bellum.*

MUNDUS *piis contemnendus est.*

Nolite conformari huic sæculo, etc. *Rom.* 12. 2. *V. et Joan.* 15. 18. *et c.* 16. 33. 2. *Petr.* 1. 4.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem

mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Galat.* 6. 14.

Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Coloss.* 3. 2.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, etc. 1. *Joan.* 2. 15.

MUNDUS. — ***Mundi amor et amicitia, valde noxia, a Deo avertunt.***

Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? *Psal.* 4. 3.

Odisti (Domine) observantes vanitates, supervacue. *Psal.* 30. 7.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. *Psal.* 52. 6.

Levate in cœlum oculos vestros, et videte sub terra deorsum : quia cœli sicut fumus liquescent et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : Salus autem mea in sempiternum erit, etc. *Isa.* 51. 6.

Væ cum benedixerint vobis homines : secundum hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum. *Luc.* 6. 26.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. *Joan.* 14. 16. 17.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Ibid.* 15. 18. 19.

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit. 2. *Tim.* 2. 4.

Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *Jacob.* 4. 4.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. 1. *Joan.* 2. 15. *V. c.* 3. 13.

Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi. 1. *Cor.* 7. 31.

Et mundus transit, et concupiscentia ejus. 1. *Joan.* 2. 17.

Propter hoc mundus non novit nos : quia non novit eum (Deum). *Ibid.* 3. 1.

Qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ : fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2. *Petr.* 1. 3. 4.

Omne, quod est in mundo, concupicentia carnis est, etc. 1. *Joan.* 2. 16.

Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, etc. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? *Ibid.* 5. 4. 5.

MUNDUS. — *Mundi prosperitas. V.* **Prosperitas mundana.**

MUNDITIES *cordis.*

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, etc. *Psal.* 23. 4. 5.

Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psal.* 50. 12.

Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! *Psal.* 72. 1.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth.* 5. 8.

Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius. 1. *Petr.* 1. 22.

MUNDITIES ***exterior et interior commendatur.***

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis : intus autem pleni estis rapina et immunditia. *Matth.* 23. 25. *Item Luc.* 11. 39.

Has ergo habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. *Cor.* 7. 1.

MUNDITIES... *imperatur.*

Nolite contaminare animas vestras. *Levit.* 11. 43.

Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis. *Ibid.* 15. 31.

Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. *Deut.* 18. 13.

Lavamini, mundi estote, etc. *Isa.* 1. 16.

Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, etc. *Jerem.* 4. 14.

Propter quod exite de medio eorum, et

separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis : et ego recipiam vos : et ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. 2. *Cor.* 6. 17. 18.

MUNDITIES... *remuneratur.*

Salvabitur innocens; salvabitur autem in munditia manuum suarum. *Job.* 22. 30.

Et ero immaculatus cum eo — Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. *Psal.* 17. 24 25. *V. et v.* 21.

Quis ascendet in montem Domini? — Innocens manibus et mundo corde. *Psal.* 23. 3. 4.

Novit Dominus dies immaculatorum — Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur. *Psal.* 36. 18. 19.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. *Psal.* 83. 13.

Beati immaculati in via. *Psal.* 118. 1. Fiat cor meum immaculatum. *v.* 80.

Perversa via viri, aliena est (a Deo) : qui autem mundus est, rectum opus ejus. *Prov.* 21. 8.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. *Ibid.* 22. 11.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth.* 5. 8.

Sicut elegit nos in ipso (Christo), ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* 1. 4.

Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. 2. *Tim.* 2. 21.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, etc. *Apoc.* 7. 14. 15.

Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni. *Ibid.* 22. 14.

MUNDITIES... *a Deo datur.*

Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? etc. *Job.* 4. 17.

Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ : tamen sordibus intinges me, etc. *Ibid.* 9. 30. 31.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? *Ibid.* 14. 4. *V. Psal.* 50. 4.

Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. *Ibid.* 15. 14. 15.

Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicetur? *Eccli.* 34. 4.

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, et spiritu ardoris. *Isa.* 4. 4.

Et convertam conversionem Juda — et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi : et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, etc. *Jerem.* 33. 7. 8.

Et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo, etc. *Ezech.* 16. 9.

Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis : quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis : sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. *Ibid.* 24. 12. 13.

Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor* 6. 11.

Has ergo habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. *Cor.* 7. 1.

Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 1. *Thess.* 4. 7.

Qui (Christus) cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, etc. *Hebr.* 1. 3.

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? *Ibid.* 9. 13. 14. *V.* 1. *Joan.* 1. 7.

Qui (Christus) dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. *Apoc.* 1. 5. *V.* 1. *Petr.* 1. 19.

MUNDITIA *ficta acriter reprobatur.*

Audite et intelligite : Non quod intrat in os coinquinat hominem. *Matth.* 15 10. 11. *V. Marc.* 7. 15.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, et paropsidis : intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est. mundum. *Ibid.* 23. 25. 26. *V. versus sequentes.*

Pharisæi enim, et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant tenentes traditionem seniorum : et a foro (venientes), nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum. *Marc.* 7. 3. 4.

Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis : quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, et iniquitate — Verumtamen, quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis. *Luc.* 11. 39. 41.

MUNUS. — *Munerum acceptio periculosa.*

Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas : Ego ditavi, Abraham. *Gen.* 14. 23.

Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes. et subvertunt verba justorum. *Exod.* 23. 8. *V. Deut.* 16. 19.

Perrexeruntque seniores Moab — habentes divinationis pretium in manibus. *Num.* 22. 7. 18. *V. totum contextum. Item c.* 24. 13.

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. *Deut.* 27. 25. *V. exemplum, Judic.* 16. 5.

Sed declinaverunt (filii Samuel) post avaritiam, acceperuntque munera. et perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3. *V. c.* 12. 3. 4. 5.

(Giezi munera accipiens, leprosus fit). 4. *Reg.* 5. 23. 27.

Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job.* 15. 34.

Non te ergo superet ira — nec multitudo donorum inclinet te. *Ibid.* 36. 18.

Qui — munera super innocentem non accepit — non movebitur in æternum. *Psal.* 14. 5.

In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus. *Psal.* 25. 10.

Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam : qui autem odit munera, vivet. *Prov.* 15. 27. *V. Isa.* 33. 15. *Item Act.* 20. 35.

Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. *Ibid.* 17. 23. *V. et c.* 22. 9.

Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. *Eccli.* 4. 36.

Xenia et dona excæcant oculos judicum, etc. *Ibid.* 20. 31.

Donec accipiant, osculantur manus dantis, etc. *Ibid.* 29. 5. *V. Isa.* 1. 23.

Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et Prophetæ ejus in pecunia divinabant, (propterea Jerusalem vastabitur). *Micheæ* 3. 11. *V. Ezech.* 22. 27. *Soph.* 3. 3.

(Milites pecunia corrumpuntur). *Matth.* 28. 12. *Confer v.* 15. 15. 1. *Mach.* 2. 18. *Act.* 8. 20. *Judæ* 16.

MUNUS. — *Munerum oblationis et exhibitionis evempla. V. et.* **Acceptatio Munerum.**

(Rex Sodomorum Abrahæ). *Gen.* 14. 21.

(Jacob Esau fratri suo). *Ibid.* 33. 9.

(Jacob Josepho munera mittit). 43. 11.

(Israelitæ munera offerunt ad tabernalum). *Exod.* 35. 21. *et seq.*

(Aod Regi Eglon munera dat). *Judic.* 3. 17.

(Regina Saba Salomoni, et idem ipsi Reginæ). 3. *Reg.* 10. 10. *et* 13.

(Asa Regi Benadad). *Ibid.* 15. 18.

(Rex Babyloniorum Regi Ezechiæ). 4. *Reg.* 20. 12.

(Achaz Regi Assyriorum). 2. *Paral.* 28. 21.

(Bethuliani Judith). *Judith* 15. 14.

(Magister militiæ Jeremiæ). *Jerem.* 40. 5.

(Nabuchodonosor Danieli). *Dan.* 2. 48.

(Jonathas Alexandro et Ptolemæo). 1. *Mach.* 10 60.

(Magi Christo). *Matth.* 2. 11.

MUNUS. — *Munerum recusationis in tempore a piis factæ exempla.*

(Abraham nihil accepit a Rege Sodomorum, ne diceret, se ditasse ipsum). *Gen.* 14. 23.

Responditque vir Dei ad regem (Jeroboam) : Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum. *Reg.* 13. 8.

(Ita etiam Eliseus nihil accepit a Naaman Syro, quem sanaverat). 4. *Reg*. 5. 16.

(Respondit Daniel Regi Nabuchodonosor) : Munera tua sint tibi, et dona domus tuæ alteri da. *Dan*. 5. 17. *V. et exemplum generosum*. 1. *Mach*. 2. 18.

(Dixit Petrus Simoni mago) : Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Act*. 8. 20.

MURMURATIO. — *Murmurationis, ejusdemque pœnæ, dicta, et exempla. V. et* **Impatientia**.

Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, etc. *Gen*. 4. 13.

(Murmuraverunt Israelitæ contra Pharaonem). *Exod*. 5. 15. (Et contra Moysen et Aaron). *v*. 21.

Et dixerunt ad Moysen (filii Israel, videntes Pharaonem et Ægyptios appropinquare) : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine : quid hoc facere voluisti, ut educeres nos Ægypto? etc. *Ibid*. 14. 11.

Et murmuravit (Israel) contra Moysen, dicens : Quid bibemus? *Ibid*. 14. 24. *V. c*. 16. 2.

Et mane videbitis (dixerunt Israelitis Moyses et Aaron) gloriam Domini : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses : Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate : eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum : nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. *Ibid*. 16. 7. 8.

Qui jurgatus (populus Israel) contra Moysen, ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ibid*. 17. 2. *V. et versum sequentem. Item Num*. 20. 3. *et seq*.

Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum : quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem. *Num*. 11. 1. *V. Psal*. 77. 19.

Iratusque (Dominus) contra eos (Aaronem et Mariam), abiit : nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum : et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix (scilicet in pœnam peccati). *Ibid*. 12. 9. 10. *V. c*. 13. 31. *c*. 14. 2. 27. *et* 36. *c*. 16. 3. 49. *c*. 20. 3.

(Post terribilem mortem seditiosorum, multitudo murmuravit contra Moysen et Aaron), dicens : Vos interfecistis populum Domini, etc. *Num*. 16. 41. *V. versum sequentem*.

Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, et te : ora, ut tollat a nobis serpentes. *Ibid*. 21. 5. *et seq. V. Josue* 9. 18. *Judith* 8. 18.

Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis : Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet. *Deut*. 1. 27.

Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit : os autem, quod mentitur, occidit animam. *Sap*. 1. 11.

Pharisæi dicebant discipulis ejus (Christi) : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? *Matth*. 9. 11. *V. et c*. 12. 2. *et c. Item Marc*. 2. 6. *et* 24. *c*. 7. 5. *Luc*. 5. 30. *et c*. 6. 2.

(Mercenarii) murmurabant adversus patremfamiliam, dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, etc. *Ibid*. 20. 11. 12.

(Indignati discipuli, dixerunt) : Ut quid perditio hæc? etc. *Ibid*. 26. 8. *V. Marc*. 14 4. 5. *Joan*. 12. 5.

Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. *Luc*. 15. 2. *V. c*. 19. 7.

Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, etc. *Joan*. 6. 41. Respondit ergo Jesus, et dixit eis : Nolite murmurare in invicem. *v*. 43. *V. et c*. 12. 32. *Act*. 6. 1.

Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt; et perierunt ab exterminatore 1. *Cor*. 10. 10.

Omnia autem facite sine murmurationibus, et hæsitationibus. *Philipp*. 2. 14. *V. et* 1. *Petr*. 4. 9.

Hi sunt murmuratores querulosi, se-

cundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa. *Judæ v.* 16.

MUSICA. — *Instrumenta in divinis celebranda laudibus adhibenda.*

David autem et omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris et tympanis, et sistris, et cymbalis. 2. *Reg.* 6. 6. *Item* 1. *Paral.* 13. 8.

Dixitque principibus Levitarum, ut constituerent de fratibus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ. 1. *Paral.* 15. 16. *V. versus sequentes. Item c.* 25. 1. 6.

Cymbalis, et psalteriis, et citharis concrepabant (Levitæ et cantores), stantes ad orientalem plagam altaris, et cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent et dicere : Confitemini Domino, etc. 2. *Paral.* 5. 12. *V. c.* 29. 25.

Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum novum : bene psallite ei in vociferatione. *Psal.* 32. 2. *et* 3. *V. Psal.* 56. 9. 70. 22. 80. 3. 97. 5. *et* 6. 107. 3. 146. 7. 149. 3. 150. 3. 4. *et* 5.

MUTUATIO *fructuosa.*

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit : non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum : sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. *Deut.* 15. 7. 8.

Volenti mutuari a te, ne avertaris. *Matth.* 5. 42.

Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia — Mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa. *Luc.* 6. 34. 35.

MUTUATIO *periculosa.*

Mutuabitur peccator, et non solvet. *Psal.* 36. 21.

Qui recipit mutuum, servus et fœnerantis. *Prov.* 23. 7.

N

NEGLIGENTIA. *V.* **Acedia.**

NEGOTIATIO. *V. et* **Emere et vendere.**

NEGOTIATIO. — *Negotiationis corporalis periculositas.*

Duæ species difficiles, et periculosæ mihi apparuerunt : difficile exuitur negotians a negligentia : et non justificabitur caupo a peccatis labiorum. *Eccli.* 26. 28.

Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum. *Ibid.* 27. 2.

In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam, etc. *Ezech.* 28. 18. *V. v.* 16.

NEGOTIATIO. — ... *æquitas.*

Malum est, malum est, dicit omnis emptor : et cum recesserit, tunc gloriabitur. *Prov.* 20. 14.

Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum. 1. *Thess.* 4. 6.

NEGOTIATIO. — *Negotiantium exempla.*

Viri isti pacifici sunt, et volunt habitare nobiscum : negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata cultoribus indiget. *Gen.* 34. 21.

Et prætereuntibus Madianitis — vendiderunt eum (fratres Joseph) Ismaelitis, etc. *Ibid.* 37. 28.

Adducebantur autem ei equi de Ægypto. et de Coa, a negotiatoribus regis, qui ibant et emebant pretio — similiter de universis regnis Hethæorum, etc. emptio celebrabatur. 2. *Paral.* 1. 16. 17. *Item* 3. *Reg.* 10. 28. 29.

Et manserunt negotiatores et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis. 2. *Esdr.* 13. 20.

Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatum cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? *Isa.* 23. 8.

Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt

nundinas tuas, etc. *Ezech.* 27. 12. *et seq.* *V. totum Caput.*

(Christus ejiciebat e templo omnes negotiatores profanantes illud). *Matth.* 21. 12. *V. Marc.* 11. 15. *Luc.* 19. 45. *Joan.* 2. 14. *et seq. V. et Apoc.* 18. 11. *et seq.*

NEQUITIA. *V.* **Malitia.**

NOMEN. — *Nominis Dei invocatio fructuosa.*

Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Prov.* 18. 10.

Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. *Eccli.* 13. 18.

Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. *Isa.* 43. 6. 7.

Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est, qui invocet nomen tuum (Domine), qui consurgat, et teneat te. *Ibid.* 64. 6. 7.

Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. *Jerem.* 14. 9.

Et erit : omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Joel* 2. 32.

Quid tu sopore deprimeris ? surge : invoca Deum tuum. *Jonæ* 1. 6.

Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, etc. *Malach.* 1. 11.

Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum, etc. *Rom.* 10. 12. *V. et Act.* 2. 21.

NOMEN. — ... *infructuosa.*

Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7. 21. *V. c.* 25. 11.

Et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. 2. *Tim.* 2. 19.

NOMEN. — *Nominis Dei frequentatio periculosa.*

Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra, quia etc. *Deut.* 5. 11. *V. Exod.* 20.7. *Levit.* 19. 12.

Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, etc. *Eccli.* 23. 10.

(Sicut servus crebro vapulatus non levatur a vibicibus, ita qui dejerat, et nomen Dei assidue usurpat, culpa non vacabit). *v.* 11.

NOMEN. — *Nominum impositionis exempla.*

(Heva), *Gen.* 3. 20. (Seth), *c.* 4. 25. (Noe), *c.* 5. 29. (Ismael), *c.* 16. 11. (Sara), *c.* 17. 15. (Isaac), *v.* 19. (Moab), *c.* 19. 37. (Ammon), *v.* 38. (Esau), *et* (Jacob), *c.* 25. 25. (Ruben), *c.* 29. 32. (Simeon), *v.* 33. (Levi), *v.* 34. (Juda), *v.* 35. (Joseph), *c.* 30. 24. (Benjamin), *c.* 35. 18. (Manasses), *c.* 41. 51. (Ephraim), *v.* 52. (Moyses), *Exod.* 2. 10. (Gersam et Eliezer), *v.* 22. *et c.* 18. 3. (Samuel), 1. *Reg.* 1. 20. (Lorihamo) (absque misericordia), *Oseæ* 1. 6. (Loammi) (non populus meus), *v.* 9. (Jesus), *Matth.* 1. 21. *et Luc.* 1. 31. *et c.* 2. 21. (Joannes), *Luc* 1. 60. *et* 63.

NOVISSIMA. — *Novissimorum memoria a malo revocat.*

Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent. *Deut.* 32. 29.

Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum : qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. *Eccles* 11. 8.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. *Eccli.* 7. 40.

Memento novissimorum, et desine inimicari. *Ibid.* 28. 6. *V. c.* 38. 21.

NOVISSIMA. -- ... *ad bonum incitat.*

In die bonorum, ne immemor sis malorum : et in die malorum ne immemor sis bonorum : quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. *Eccli.* 11. 27. 28.

Memento iræ in die consummationis, et tempus retributionis in conversatione faciei. *Ibid.* 18. 24.

Ne dederis in tristitia cor tuum : sed repelle eam a te, et memento novissimorum. *Ibid.* 38. 21. Memor esto judicii mei : sic enim erit et tuum. Mihi heri, et tibi hodie. *v.* 23.

Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. *Isa.* 47. 7.

NOVUM TESTAMENTUM.

Ecce dies venient, dicit Dominus; et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum. *Jer.* 31. 31.

Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remis-

sionem peccatorum. *Matth.* 26. 28. *Idem verbatim habetur Marc.* 14. 24. *Item Luc.* 22. 20.

Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. 1. *Cor.* 11. 25.

Vituperans enim eos dicit : Ecce dies venient, dicit Dominus : et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum. *Hebr.* 8. 8. *V. et versus sequentes usq. ad finem.*

Et ideo novi testamenti mediator est : ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. *Ibid.* 9. 15. *V. Calat.* 3. 15.

Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus; dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas : et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. *Ibid.* 10. 16. 17. *V. et v.* 29. *Item c.* 13. 20.

NOVUM CŒLUM *et nova terra post mundi innovationem.*

Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam : et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. *Isa.* 65. 17.

Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus : sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. *Ibid:* 66. 22.

Novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. 2. *Petr.* 3. 13.

Et vidi cœlum novum et terram novam, etc. *Apoc.* 21. 1.

NUBES.

(Deus in nube apparet Moysi), *Exod.* 19. 9. 16. *c.* 24. 15. 16. *et* 18. *c.* 33. 9. *Item Num.* 11. 25. *c.* 12. 10. (Nubes tabernaculum operit), *ibid.* 40. 34. *et seq: Item Num.* 9. 15. *et seq.* (Deus in nube super oraculum apparituros). *Levit.* 16. 2. (Nubes rore concrescunt), *Prov.* 3. 20. (Nubes in occasu ortæ pluviæ signum). *Luc.* 12. 54. *et Matth.* 16. 3. (Nubis candidæ visio). *Apoc.* 14. 14.

NUDITAS *spiritualis.*

Prohibe pedem tuum a nuditate. *Jerem:* 2. 25.

Eras nuda et confusione plena. *Ezech.* 16. 7. *V. et v.* 22. *et* 39. *Item c.* 23. 29. *Oseæ* 2. 3. *Nahum* 3. 5.

Et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus, etc. *Apoc.* 3. 17.

Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. *Ibid.* 16. 15.

NUDITAS. — *Nudi vestiendi. V. et* **Misericordia.**

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isa.* 58. 7. *V. Tob.* 1. 20. *Ezech.* 18. 7. 16. *Matth.* 25. 35. 38.

NUNTIUS *bonus.*

Legatus autem fidelis, sanitas. *Prov.* 13. 17.

Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. *Ibid.* 25. 13. Aqua frigida animæ sitienti. et nuntius bonus de terra longinqua. *v.* 25.

NUNTIUS. — *Nuntii boni exempla.*

(Rebecca), *Gen.* 24. 28. (Rachel), *c.* 29. 12. (Filii Jacob), *c.* 45. 26. (Judas,) *c.* 46. 28. (Uxor Manue), *Judic.* 13, 10, (Jonathas et Achimaas), 1, *Reg.* 17. 17. 21. (Nuntius Elisei), 4. *Reg.* 5. 10. (Leprosi, *c.* 7. 9. *et seq.* (Nuntii Ezechiæ), 4. *Reg.* 18. 14. *Item* 2. *Paral.* 30. 5. (Ancilla Annæ), *Tob.* 8. 16. (Uxor Tobiæ), *c.* 11. 6. (Mulieres resurrectionem Christi annuntiantes), *Matth.* 28. 8, (Angelus in nativitate Christi), *Luc.* 2. 10. (Septuaginta duo Discipuli), *c.* 10. 17. (Rhode), *A* 12. 14. (Petrus), *v.* 17.

NUNTIUS *malus.*

Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. *Prov.* 10. 26.

Nuntius impii cadet in malum. *Ibid.* 13. 17.

Claudus pedibus, et iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum. *Ibid.* 26. 6.

NUNTIUS. — *Nuntii mali, tristis, et infelicis exempla.*

(Cham), *Gen.* 9. 22. (Rebeccæ), *c.* 27. 42. (Jacobo), *c.* 37. 32. (Judæ), *c.* 38. 24. (Josepho), *c.* 48. 1. (Pharaoni), *Exod.* 14. 5. (Regi Jerichuntis), *Jos.* 2. 2. (Sisaræ), *Judic.* 4. 12. (Joatham), *c.* 9. 7. (Vir de Benjamin), 1. *Reg.* 4. 12. *et seq:* (Uxori Phinees), *v.* 19. (Samueli), *c.* 15. 12. (Jonathas), *c.* 19. 2. (Sauli), *c.* 24. 2. (Abigaili), *c.* 25. 14. (Amalecita), 2. *Reg.*

1. 2. *et seq.* (Joabo), *c.* 3. 23. (Rechab et Baana), *c.* 4. 8. (Davidi), *c.* 10. 5. 17. *c.* 11. *per tot. c.* 12. 18. 27. *c.* 15. 12. 31. (Chusi), *c.* 18. 32. (Gad), *c.* 24. 13. (Salomoni), 3. *Reg.* 1. 51. *c.* 2. 29. 41. (Achabo), *c.* 19. 1. (Eliæ), *v.* 2. (Ochoziæ), 4. *Reg.* 1. 5. (Minister Elisei), *c.* 6. 15. (Regi Assyriorum), *c.* 17. 26. (Ezechiæ), *c.* 18. 37. (Josaphat), 2. *Paral.* 20. 2. (Nehemiæ), 2. *Esdr.* 1. 3. (Eunuchi Esther), *Esth.* 4. 4. *per tot.* (Nuntii Jobi), *Job.* 1. 14. *et seq.* (Ezechiæ), *Isa.* 38. 1. (Nuntii de Galilæa), 1. *Mach.* 9. 14. (Alius nuntius tristis), *c.* 16. 21. (Disciputi Joannis), *Matth.* 14. 12. (Nuntius Jairi), *Luc.* 8. 49.

NUPTIÆ *celebrantur, et Salvator noster iisdem non dedignatus est interesse.*

Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. *Gen.* 24. 54.

Qui (Laban), vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. *Ibid.* 29. 22.

Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium : sic enim juvenes facere consueverant. *Judic.* 14. 10.

Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. *Joan.* 2. 1. 2.

O

OBEDIENTIA. — *Obediendum Deo ejusque præceptis, et quæ obedientibus constituta sit merces.*

(Hominem Deus volens sub obedientia vivere etiam in statu innocentiæ, statim ut conditus est, ipsum præceptis adstrinxit, et eum contra obedientiam peccantem severe punivit). *Gen. c.* 2. *et* 3.

(Prompte obedivit Noe Domino in omnibus, quæ ei facienda præcepit tempore instantis diluvii). *Ibid.* 7. 5. 9. *V. c.* 6. 22. *Item Hebr.* 11. 7.

(Abraham Dei mandato parens, promissaque accipiens, patria relicta, comitante Lot, Domino in Sichem sacrificavit). *Ibid. c.* 12.

Dixit iterum Deus ad Abraham : Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. *Ibid.* 17. 9.

(Præceptum Dei de circumcisione, quamvis esset grave et insolitum, non distulit tamen Abraham implere usque in crastinum). *Ibid. v.* 23.

(Abraham præceptum Dei de immolatione filii sine mora exequi voluit : ex quo considera mirabilem ejus obedientiam). *Ibid.* 22. 2. *V. Act.* 7. 4. *Hebr.* 11. 8. *et* 17.

Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Ibid. v.* 15. *et seq. V. Exod.* 7. 6.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit. *Ibid.* 26. 4. 5. *V. c.* 28. 7.

Timuerunt autem obstetrices Deum, etc. (et ideo benefecit illis Deus). *Exod.* 1. 17. 20.

Si audieris (ait Dominus ad Moysen) vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem quem posui in Ægypto, non inducam super te : ego enim sum Dominus sanator tuus. *Ibid.* 15. 26.

Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. *Ibid.* 19. 5. 6.

Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. *Ibid.* 20. 6.

Quod si audieris vocem ejus (Angeli), et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te, etc. *Ibid.* 23. 22. *V. et versus sequentes.*

Custodite leges meas, atque judicia, et facite ea : ne et vos evomat terra, quam intraturi estis, et habitaturi. *Levit.* 20. 22. *Item c.* 22. 31.

Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea,

dabo vobis pluvias temporibus suis. Et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur, etc. *Ibid.* 26. 3. 4. *per totum Deut.* 28. 1. *pariter per totum.*

(Filii Israel per desertum ambulantes ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium ejus deponebant). *Num.* 9. 18. *V. reliquos versus hujus capitis.*

Custodi præcepta ejus atque mandata (ait Moyses ad populum Israel) quæ ego præcipio tibi : ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, et permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. *Deut.* 4. 40. *V. c.* 7. *per totum. Item c.* 8. 1. *et c.* 11. *per totum.*

Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus ; ipsi servietis et ipsi adhærebitis. *Ibid.* 13. 4.

Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies, etc. *Ibid.* 18. 15. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. *v.* 49.

Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te Sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite. *Ibid.* 24. 8. *V. c.* 27. 10.

Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra, etc. *Ibid.* 28. 1. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo : benedicetque cunctis operibus manuum tuarum, etc. *v.* 12.

(Quia transgressus est Achan mandatum Josue, populus in prælio fuit superatus, et Achan postea a populo lapidatus). *Josue c.*

Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini : eritis et vos, et rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non audieritis vocem Domini, etc. erit manus Domini super vos, et super patres vestros. 1. *Reg.* 12. 14. 15.

(Saul offerens holocaustum, contra mandatum Samuelis, reprobatus est). *Ibid.* 13. 12. *et seq.*

Melior est enim obedientia, quam victimæ. *Ibid.* 15. 22. *V. Eccles.* 4. 17.

(Prædixit Dominus Salomoni, quod si faceret omnia, quæ præceperat ei, poneret thronum regni ejus in sempiternum : si autem averteretur, et non custodiret ejus mandata, auferret Israel de superficie terræ). 3. *Reg.* 9. 4. *et seq. V.* 2. *Paral.* 7. 17. *et seq.*

(Cum ad mandatum Elisei Naaman indignatus abiret, dixerunt ei servi sui) : Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras. 4. *Reg.* 5. 13.

Dixit autem Dominus ad Jehu : Quia studiose egisti, quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Achab : filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. *Ibid.* 10. 30.

Tu quoque (Salomon) si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, et feceris juxta omnia quæ præcepit tibi, et justitias meas, judiciaque servaveris : suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens : Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel. Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea, quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis Diis alienis, et adoraveritis eos : evellam vos de terra mea, quam dedi vobis, et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis. 2. *Paral.* 7. 17. *et seq. Item* 3. *Reg.* 9. 4. *et seq.*

(Tobias junior, auditis exhortationibus patris, respondit) : Omnia quæcumque præcepisti mihi, faciam, pater. *Tob.* 5. 1.

Quidquid enim ille præcipiebat (Mardochæus), observabat Esther : et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat. *Esther* 2. 20. *V. v.* 10.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. *Prov.* 1. 8. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato. *v.* 33.

Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. *Ibid.* 15. 31. *V. Isa.* 55. 2. 3.

Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt. *Eccli.* 35. 7.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. *Isa.* 1. 19.

Utinam attendisses (increpat Dominus Judæorum ingratitudinem, hypocrisim, atque duritiam) mandata mea : facta fuisset quasi arena semen tuum, etc. *Ibid.* 48. 18. 19.

Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam : sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali : factique sunt retrorsum, et non in ante, etc. *Jerem.* 7. 23. 24. *V. c.* 11. 4. *et c.* 17. 24.

(Exemplo obedientiæ Rechabitarum, præcepta patris sui licet dura servantium, expostulat Dominus de pertinaci Judæorum inobedientia adversus ipsius præcepta : quapropter his prænuntiat Dominus mala, illis autem bona): *Ibid. c.* 35. *V. Dan.* 3. 16.

(Jonas insipienter refugiebat obedire Domino præcipienti, ut iret ad prædicandum in Ninive; sed refugiendo devenit, quo Dominus eum miserat). *Jonæ c.* 1. 2. *et* 3.

(Mathathias dixit nuntiis regis Antiochi : Etsi omnes obediunt regi), ego, et filii mei, et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. 1. *Mach.* 2. 20.

Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens : Quem sustinetis? Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. (Et alius ante dixerat) : Parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari. 2. *Mach.* 7. 30. *et v.* 2.

Et ait illis (Jesus Simoni et Andreæ) : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominnum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. *Matth.* 4. 19. 20. *V. Marc.* 1. 17. 18.

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram — et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, etc. *Ibid.* 7. 24. 26. *V. v.* 21. *et c.* 15 3.

Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite. *Ibid.* 17. 5. *V. Luc.* 5. 4. *Joan.* 2. 5. 7. *Act.* 4. 19.

(Descendebat puer Jesus cum Maria et Joseph in Nazareth), et erat subditus illis. *Luc.* 2. 51.

Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. *Ibid.* 10. 16.

(Principes sacerdotum comminati sunt Petro et Joanni), ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu : (qui responderunt eis) : Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus et audivimus, non loqui. *Act.* 4. 18. 19. 20.

Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. *Ibid.* 5. 29. Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. *v.* 32. *V. Rom.* 16. 19.

(Saulus in terram prostratus, audiens verba Jesu Nazareni, prompte ait) : Domine, quid me vis facere? *Ibid.* 9. 6.

(Cornelius dixit Petro) : Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, (parati) audire omnia, quæcumque tibi præcepta sunt a Domino. *Ibid.* 10. 33.

(Paulus, electo sibi Sila in socium), perambulabat — Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias : præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et seniorum. *Ibid.* 15. 41.

Humiliavit semetipsum (Christus) factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, etc. *Philipp.* 2. 8. Itaque, carissimi mei, (sicut semper obedistis), non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. *v.* 12. *V.* 1. *Thess.* 4. 3. *et c.* 5. 18.

Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. *Jacob.* 1. 22. *V. Matth.* 7. 21. 24. *Rom.* 2. 13.

Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius. 1. *Petr.* 1. 22.

OBEDIENTIA. — *Obediendum perseveranter.*

Quod cum audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi : bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis, et filiis eorum in sempiternum? *Deut.* 5. 28.

OBEDIENTIA. — ... *ob mali devitationem.*

Numquid vult Dominus holocausta et

victimas (ait Samuel Sauli) et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ : et auscultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare : et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. 1. *Reg.* 15. 22. 23.

Quia vocavi et renuistis : extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit, etc. *Prov.* 1. 24. *et seq.* *V. Isa.* 65. 12. *et c.* 66. 66. 4.

Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos. *Isa.* 1. 20.

Numquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? *Jerem.* 35. 13. *et c.* 7. 13. *et seq.*

OBEDIENTIA. — ... *et boni consecutionem.*

En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, et maledictionem : benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri — maledictionem, si non obedieritis, etc. *Deut.* 11. 26. *et seq.*

Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato. *Prov.* 1. 33.

Custodi legem, atque consilium : et erit vita animæ tuæ. *Ibid.* 3. 21. 22. *et seq.*

Mens justi meditabitur obedientiam. *Ibid.* 15. 28.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. *Isa.* 1. 19.

Audite audientes me, et comedite bonum — Inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum. *Ibid.* 55. 2. 3.

OBEDIENTIA. — *Obedientiæ exempla.*

(Noe), *Gen.* 6. 22. *et c.* 7. 5. *Hebr.* 11. 7. (Abraham), *c.* 12. 4. *et c.* 17. 23. *et c.* 22. 3. 10. *et c.* 26. 5. *Act.* 7. 4. *Hebr.* 11. 8. 17. (Jacob), *c.* 28. 7. (Jacobi familia), *c.* 35. 4. (Joseph), *c.* 37. 14. (Moyses), *Exod.* 3. 13. *et c.* 4. 3. *et c.* 7. 6. *et c.* 40. 14. (Israelitæ), *c.* 24. 3. *et c.* 39. 31. 42. *Num.* 1. 54. *et c.* 34. *et c.* 9. 18. *et seq.* *Deut.* 34. 9. *Josue* 1. 16. 17. 2. *Paral.* 11. 4. *et c.* 24. 21. (Moyses et Aaron), *Exod.* 7. 6. (Aaron et ejus filii), *Lev.* 8. 36. (David), 1. *Reg.* 17. 20 (Joram), 4. *Reg.* 6. 21. 22. (Multitudo), 1. *Esdr.* 10. 12., 2. *Esdr.* 5. 12. (Tobias), *Tob.* 5. 1. (Esther), *Esth.* 2. 10. 20. (Isaias), *Isa.* 6. 8. (Ezechiæ Regis legati), *c.* 36. 21. (Rechabitæ), *Jerem.* 35. 6. *per tot.* (Mathatias), 1. *Mach.* 2. 20. (Joseph Mariæ Virginis Sponsus), *Matth.* 1. 24. *et c.* 2. 14. 21. (Petrus et Andreas), *c.* 4. 20. *Marc.* 1. 18. (Jacobus et Joannes). *v.* 22. *Marc.* 1. 20. (Matthæus), *c.* 9. 9. *Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 28. (Discipuli Christi), *c.* 26. 19. *Luc.* 22. 13. (Apostoli), *Marc.* 16. 20. *Luc.* 9. 6. *Joan.* 6. 10. (Deipara Virgo cum viro suo Joseph), *Luc.* 2. *v.* 21. 22. 39. *et* 41. (Christus), *Isa.* 50. 5. *Luc.* 2. 51. *Joan.* 10. 18. *et c.* 12. 49. *et c.* 14. 31. *et c.* 15. 10. *et c.* 17. 4. *Philipp.* 2. 8. *Hebr.* 5. 8. *et c.* 10. 7. (Petrus), *Luc.* 5. 5. *Act.* 10. 33. (Cæcus natus), *Joan.* 9. 7. (Petrus et Joannes), *Actor.* 4. 19. *et c.* 5. 29. (Paulus), *c.* 9. 6. (Ananias), *v.* 17. (Cornelius Centurio), *c.* 10. 33. (Romana Ecclesia), *Rom.* 16. 19. (Corinthiaca Ecclesia), 2. *Cor.* 7. 15. (Philippenses), *Philipp.* 2. 12. (Timotheus), *v.* 22. (Thessalonicenses), 1. *Thess.* 1. 6. (Sara), 1. *Petr.* 3. 6.

OBEDIENTIA *inferiorum erga superiores.* *V.* **Subditorum officium**

OBJURGATIO. — *Objurgationes in Ecclesia sunt necessariæ.*

Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? 1. *Cor.* 4. 21.

Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis, per multas lacrymas : non ut contristemini, sed ut sciatis, quam caritatem habeam abundantius in vobis. 2. *Cor.* 2. 4.

Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. *Ephes.* 5. 11. *V. et v.* 13.

Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, etc. 2. *Tim.* 3. 16.

Prædica verbum, insta opportune, importune : argue, obsecra in omni patientia et doctrina. *Ibid.* 4. 2.

OBJURGATIO. — *Objurgationis exempla.*

(Dei ad Adam et Hevam), *Gen.* 3. 11. (Dei ad Cain), *c.* 4. 6. 10 (Dei ad Abimelech), *c.* 20. 3. (Abimelech ad Isaac), *c.* 26. 9. (Laban ad Jacob), *c.* 31. 26.

(Ruben ad fratres), *c.* 42. 22. (Moyses ad Aaron). *Exod.* 32. 21. (Angeli Domini ad Israelitas, *Judic.* 2. 1. 2. (David ad Saul), 1. *Reg* 24. 10. (David ad Abner), *c.* 26. 15. (Nathan ad David). 2. *Reg.* 12. 9. (Joab ad David), *c.* 19 5. 6. (Eliæ ad Achab), 3. *Reg.* 18. 18. (Eliæ ad Israelitas), *v.* 21. (Eliæ ad Ochoziam). 4. *Reg.* 1. 16. (Elisei ad Joram), *c.* 3. 13. (Abiæ ad Jeroboam), 2. *Paral.* 13. 5. (Josaphat ad Achab), *c.* 18 6. (Jehu ad Josaphat), *c.* 19. 2. (Zachariæ ad populum Israel), *c.* 24. 20. (Prophetæ cujusdam ad Amasiam). *c.* 25. 15. (Sacerdotum ad Oziam), *c.* 26. 18. (Nehemiæ ad optimates Israel), 2. *Esdr.* 5. 7. (Job ad uxorem), *Job.* 2. 10. (Jeremiæ ad populum), *Jerem.* 34. 17. (Joannis ad Pharisæos), *Matth.* 3. 7. (et ad Herodem), *c.* 14. 4. *Marc.* 6. 18. (Christi ad Discipulos), *c.* 15. 13. *et c.* 16. 8. *et c.* 19. 14. *et c.* 26. 10. *Marc.* 8. 17. *et c.* 14 6. *et c.* 16. 14. *Luc.* 8. 25. *et c.* 22. 46. 51. *Joan.* 6. 62. *et c.* 12. 7. (Ad Petrum), *Matth.* 16. 23. *et c.* 26. 40. 52. *Joan.* 18. 11. (Ad Judæos), *Marc.* 9. 18. *Luc.* 9. 41. *Joan.* 9. 43. *et c.* 7. 19. (Ad mercenarium), *Matth.* 20. 15. (Ad turbam), *Matth.* 15. 3. *Marc.* 7. 18. *Joan.* 6. 26. (Ad Herodianos), *Matth.* 22. 18. *Marc.* 12. 15. *Luc.* 20. 23. (Ad Discipulos et ad Petrum), *Matth.* 26. 40. *Marc.* 14. 37. *Luc.* 22. 46. (Ad Scribas et Pharisæos), *Matth.* 9. 4. *Marc.* 2 8. *Luc.* 5. 22. *et c.* 6. 3. (Ad Hypocritas), *v.* 41. (Ad Pharisæos), *Luc.* 11. 39. (Ad quemdam hominem), *c.* 12. 14. (Ad duos de Discipulis), *c.* 24. 25. (Ad Nicodemum), *Joan.* 3. 10. (Ad quemdam regulum), *c.* 4. 48. (Ad servum Pontificis), *c.* 18. 23. (Ad Sadducæos), *Matth.* 22. 29. *Marc.* 12. 24. (Latronis ad socium suum), *Luc.* 23. 40. (Petri ad populum), *Act.* 3. 12. (Ad Sacerdotes, principes, et seniores), *c.* 4. 10. (Ad Ananiam et Saphiram), *c.* 5. 3. *et* 9. (Stephani ad Judæos), *c.* 7. 51. (Petri ad Simonem magnum), *c.* 8. 20. *et seq.* (Pauli ad Elymam magnum), *c.* 13. 10. (Pauli et Barnabæ ad Judæos), *v.* 46. (Ad Lycaones), *c.* 14. 14. (Pauli ad Ananiam sacerdotem), *c.* 23. 3. (Ad nautas), *c.* 27. 21. (Ad Corinthios), 1. *Cor.* 1. 11. *et c.* 3. 3. *et c.* 6. 1. *et seq.* 2. *Cor.* 12. 11. *et seq.* (Ad Galatas), *Gal.* 3. 1. *et c.* 5. 7. (Ad Hebræos), *Hebr.* 5. 12.

OBLATIO *V. et* **Sacrificium, et Deus.**

OBLATIO *omnis debet esse sine vitio aut macula.*

Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum. *Levit.* 1. 3. *V. Exod.* 29. 10.

Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive fœminam, immaculata offeret coram Domino *Ibid.* 3. 1. *V. c.* 22. 19. *et seq.*

Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum. *Num.* 28. 3. Immaculata offeres omnia cum libationibus suis. *v.* 31. *V. Exod.* 29. 38.

Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit vel cæcum ; aut in aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo. *Deut.* 15. 21. *V. Levit.* 22. 20. *et seq.*

Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa (Dominus). *Eccli.* 35. 14.

Cumque compleveris expians illud (altare) offeres vitulum de armento immaculatum, et arietem de grege immaculatum. *Ezech.* 43. 23.

Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino : quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in Gentibus. *Malach.* 1. 14. *V. et. v.* 8.

OBLATIO. — *Oblationes Deo gratæ cœlitus incenduntur.*

Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus errum : et respexit Dominus ad Abel. et ad munera ejus. *Gen.* 4. 4. *V. c.* 8. 21. *et c.* 15. 17. *Item Hebr.* 11. 4.

Apparuitque gloria Domini omni multitudini : et ecce egressus ignis a Domino devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare, etc. *Levit.* 9. 23. 24. *V. et Judic.* 6. 21. *c.* 13. 20.

Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quæ erat in aquæductu, lambens. 3. *Reg.* 18. 38.

Et ædificavit ibi (David) altare Domino: obtulitque holocausta et pacifica, et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti. 1. *Par.* 21. 26.

Cumque complesset Salomon fundens

preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas : et majestas Domini implevit domum. 2. *Par.* 7. 1. *V.* 2. *Mach.* 1. 22.

Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum, etc. 2. *Mach.* 2. 10.

OBLATIO. — *Oblationes quotidianæ.*

Hoc est, quod facies in altari : Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum mane, et alterum vespere. *Exod.* 29. 38. 39.

Hæc sunt sacrificia, quæ offere debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum. *Num.* 28. 3. *V.* 1. *Esdr.* 3. 3. 4.

OBLATIO *pro defunctis.*

Et, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit (Judas Machabæus) Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans, etc. 2. *Mach.* 12. 43. *et seq.*

OBLATIO. — *Oblationes propriorum filiorum.*

De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui : ego Dominus. *Levit.* 18. 21.

Hæc, loqueris filiis Israel (ait Dominus Moysi) : Homo de filiis Israel, et de advenis, qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur : populus terræ lapidabit eum, etc. *Ibid.* 20. 2. *et seq.*

Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. *Deut.* 12. 31.

Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem : aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. *Ibid.* 18. 10. *V. Judic.* 11. 34. 39.

Arripiensque (Mesa rex Moab) filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, etc. 4. *Reg.* 3. 27.

Sed ambulavit (Achaz) in via regum Israel : insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem, secundum idola gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel. *Ibid.* 16. 3. *V.* 2. *Paral.* 28. 3.

Servieruntque Baal, et consecraverunt (filii Israel) filios suos et filias suas per ignem : et divinationibus inserviebant, et auguriis : et tradiderunt se, ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum. *Ibid.* 17. 16. 17.

Et traduxit (Manasses) filium suum per ignem, et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, etc. *Ibid.* 21. 6. *Item Paral.* 33. 6.

Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. *Psal.* 105. 37. *V. Isa.* 57. 5.

Et ædificaverunt (filii Juda) excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom : ut incenderent filios suos, et filias suas igni : quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo. *Jerem.* 7. 31.

Et ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni, in holocaustum Baalim : quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. *Ibid.* 19. 5.

Et tulisti (Jerusalem) filios tuos, et filias tuas, quas generasti mihi : et immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua ? Immolasti filios meos, et dedisti, illos consecrans, eis. *Ezech.* 16. 20. 36. *Item c.* 20. 31. *c.* 23. 37.

OBLATIO. — *Oblationum convivia cum gaudio celebrantur.*

Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta, et hostias Deo : veneruntque Aaron et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo. *Exod.* 18. 12. *V. Gen.* 31. 46. 54.

Surgentesque mane (filii Israel), obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. *Ibid.* 32. 6. *V. Num.* 25. 2.

Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo. *Deut.* 27. 7. *V.* 1. *Reg.* 1. 4. *c.* 9. 13. *c.* 18. 5.

Igitur evigilavit Salomon, et intellexit, quod esset somnium : cumque venisset Jerusalem, stetit coram Arca fœderis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis. 3. *Reg.* 3. 15. *V. et c.* 1. 9. *Item* 2. *Reg.* 15. 12.

Et comederunt, et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. 1. *Paral.* 29. 22.

OBLATIO. — *Oblationes impiorum.*

Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. *Gen.* 4. 3.

Tulit autem de præda populus oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis. 1. *Reg.* 15. 21.

Sacrificium et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti. *Psal.* 39. 7. *V. Psal.* 49. 9.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis. *Psal.* 50. 18. *V. Eccli.* 34. 21.

Victimæ impiorum abominabiles Domino : vota justorum placabilia. *Prov.* 15. 8.

Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. *Ibid.* 21. 27.

Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. *Eccli.* 35. 15. *V. Isa.* 43. 23.

Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum suaveolentem de terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt accepta, et victimæ vestræ non placuerunt mihi. *Jerem.* 6. 20. *V. Isa.* 1. 11. *et seq. Item. c.* 61. 8. *c.* 66. 3.

Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum : et si obtulerint holocautomata, et victimas, non suscipiam ea; quoniam gladio, et fame, et peste consumam eos. *Ibid.* 14. 12.

Hostias offerent, immolabunt carnes, et comedent, et Dominus non suscipiet eas : nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum : ipsi in Ægyptum convertentur. *Oseæ.* 8. 13.

Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei : sacrificia eorum quasi panis lugentium, etc. *Ibid.* 9. 4.

Quod si obtuleritis (Israelitis loquitur Dominus) mihi holocautomata, et munera vestra, non suscipiam : et vota pinguium vestrorum non respiciam. *Amos* 5. 22. *V. Mich* 6. 7.

Et intulistis de rapinis claudum, et languidum, et intulistis munus : numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? *Malach.* 1. 13. *V. et v.* 7.

Euntes autem discite, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores (ad pœnitentiam). *Matth.* 9. 13. *V. c.* 12. 7. *Item Marc.* 12. 33.

Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. *Hebr.* 10. 5. 6. *V. Psal.* 39. 7.

OBLIVIO *beneficium. V.* **Beneficia.**

OBLIVIO. — *Obliviscendum nunquam est Dei.*

Observa, et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui. *Deut.* 8. 11.

Deum, qui te genuit, dereliquisti. et oblitus es Domini creatoris tui. *Ibid.* 32. 18.

OBLIVIO. — *Obliviscor, de Deo humanitus dictum.*

(Si tu, Deus), recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, etc. 1. *Reg.* 1. 11.

(Deus) non est oblitus clamorem pauperum. *Psal.* 9. 13. *V et v.* 11.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? *Psal.* 12. 1. *V. Psal.* 41. 10. *et* 43. 24. *et* 73. 19. 23. *et* 74. *Item Isa.* 44. 12, *c.* 49. 14. 15. *Thren.* 5. 20.

Voca nomen ejus Absque misericordia: quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum. *Oseæ* . 16. *V. c.* 4. 6.

OBSCURITAS *sumitur pro cæcitate spirituali.*

Obscurentur oculi eorum, ne videant. *Psal.* 68. 24. *Item Rom.* 11. 10.

Et obscuratum est insipiens cor eorum. *Rom.* 1. 21.

Tenebris obscuratum habentes intellectum, etc. *Ephes.* 4. 18. *V. totum versum.*

OBSECRATIO *sumitur pro deprecatione.*

Ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus. 2. *Paral.* 6. 19. *V. et v.* 35.

Domine, exaudi orationem meam : auribus percipe obsecrationem meam. *Psal.* 142. 1.

Et hæc vidua — non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt? *Ibid.* 5. 33.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. *Rom.* 10. 1. *V. et* 1. *Tim.* 2. 1.

OBSECRATIO... *pro oratione.*

Nec est alia natio tam grandis, quæ

habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut.* 4. 7.

Reliqua autem gestorum Manasse : et obsecratio ejus ad Deum suum, etc. 2. *Paral.* 33. 18.

OBSECRATIO... *pro petitione.*

(Daniel) tribus temporibus per diem (orabat) obsecratione sua. *Dan.* 6. 13.

Et in ipsorum obsecratione pro vobis. 2. *Cor.* 9. 14.

OBSECRATIO... *pro supplicatione.*

Cum obsecrationibus loquetur pauper; et dives effabitur rigide. *Prov.* 18. 23.

Assumite et gladium spiritus (quod est verbum Dei), per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis. *Ephes.* 6. 17. 18.

In omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philipp.* 4. 6.

Quæ autem vere vidua est — instet obsecrationibus, orationibus nocte ac die. 1. *Tim.* 5. 5.

OBSEQUIUM *sumitur pro cultu divino.*

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Joan.* 16. 2.

Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa. *Rom.* 9. 4.

Rationabile (sit) obsequium vestrum. *Ibid.* 12. 1.

OBSEQUIUM... *pro officio seu functione et ministerio divino.*

Et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem Sanctis. *Rom.* 15. 31.

OBSERVATIO *Legis. V.* **Lex.**

OBSTETRIX. — *Obstreticum usus longe antiquissimus.*

Dixitque ei obstetrix (ad Rachel) : Noli timere, quia et hunc habebis filium. *Gen.* 35. 17.

In ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, etc. *Ibid.* 38. 27.

OBSTETRIX. — *Obstreticum in Ægypto pietas.*

Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis, etc. *Exod.* 1. 17.

OBSTINATIO *et Duritia cordis.*

OBSTINATIO *cavenda.*

Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius. *Deut.* 10. 16.

Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Psal.* 94. 8. *V. Hebr.* 3. 7. 8. 15. *et c.* 4. 7.

Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est, corrigit viam suam. *Prov.* 21. 29. *V.* 2. *Paral.* 30. 8.

Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. *Rom.* 2. 5.

Mali autem homines et seductores, proficient in pejus. 2. *Tim.* 3. 13.

Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor. *Hebr.* 13. 9.

OBSTINATIO. — *Obstinationis pœna.*

Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. *Isa.* 1. 20.

Hæc dicit Dominus — Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omurbes ejus, universa mala, quæ locutus sum adversus eam, quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos. *Jerem.* 19. 15. *V. Baruch* 2. 8. *et seq Zach.* 7. 11. *et seq.*

Væ provocatrix et redempta civitas — Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam, etc. *Soph.* 3. 1. *V.* 2. *Paral.* 36. 16. *per tot. Amos* 4. 6. *per tot. Matth.* 23. 37.

OBSTINATIO. — *Obstinationis et prævaricationis exempla.*

Dixitque Dominus ad eum (Cain) : Quare iratus es? et cur concidit facies tua? *Gen.* 4. 6. (Sed post increpationem, quam fecit Dominus, pejor fuit, et fratricidium perpetravit).

Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. *Exod.* 7. 13. *V. v.* 14. *et* 22. *imo a cap.* 5. *usque ad* 11 (nam cor ipsius nec per blanda verba, quæ primo dixit Moyses ex parte Domini, nec per dura flagella potuit emolliri).

(Filii Israel dicuntur a Domino) popu-

lus duræ cervicis, (ut patet). *Exod.* 32. 9. *et c.* 33. 3. 5. *Item Deut.* 9. 6. 13.

(Heli sermonibus suis filios corripuit, 1. *Reg.* 2. 23. *et seq.*

(Samuel prædixit populo conditiones regis eorum valde graves, et quod hoc displiceret Domino ; et tamen noluerunt desistere a proposito). *Ibid.* 8. 11. 19.

(Nec per verba Jonathæ, nec per beneficia a David recepta, cor Saul ad diligendum ipsum potuit provocari). *Ibid. c.* 18. *V. Capita sequentia.*

(De Nabal dicitur, quod esset vir) durus, et pessimus, et malitiosus. *Ibid.* 25. 3.

(Obstinate nimis Asael persequebatur Abner). 2. *Reg.* 2. 18.

Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. Et abjecerunt legitima ejus, et pactum, etc. 4. *Reg.* 17. 14. 15. *et seq.*

Mittebatque eis Prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. 2. *Paral.* 24. 19. *V. et v.* 21.

Fecitque (Sedecias) malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini — et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel. Sed et universi principes sacerdotum et populus prævaricati sunt inique, etc. *Ibid.* 36. 12. *et seq. V. et c.* 30. 8.

Renuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. *Jer.* 5. 3.

Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, etc. *Ibid.* 44. 16. *et seq.*

Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et filii dura facie, et indomabili corde sunt. *Ezech.* 2. 3. 4. *V. c.* 5. *et* 6. *per tot.*

Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, etc. *Zach.* 7. 11. 2. *et seq. V. Baruch* 2. 7. *et seq. Amos* 4. 11.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas — quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? *Matth.* 23. 37. *V. Luc.* 13 34.

Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, etc. *Act.* 7. 51.

OBTRECTATIO *damnatur.*

Non eris criminator, nec susurro in populo. *Lev.* 19. 16.

Prohibe linguam tuam a malo : et labia tua ne loquantur dolum. *Psal.* 34. 14. *V. et Psal.* 14. 3.

Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. *Psal.* 100. 5. *V. et Psal.* 119. 2.

Vir linguosus non dirigetur in terra. *Psal.* 139. 12.

Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. *Prov.* 4. 24.

Timor Domini odit malum : arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Ibid.* 8. 13.

Cogitatio stulti peccatum est : et abominatio hominum, detractor. *Ibid.* 49. 9. Time Dominum, fili mi — et cum detractoribus non commiscearis. *v.* 21. Ne sis testis frustra contra proximum tuum : nec lactes quemquam labiis tuis. *v.* 28.

Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. *Ibid.* 25. 23.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. *Eccles.* 10. 11. In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti. *v.* 20.

Detractores (sunt) Deo odibiles, etc. *Rom.* 1. 30.

Timeo enim, ne forte cum venero (inquit Paulus), non quales volo, inveniam vos — ne forte — detractiones sint inter vos. 2. *Cor.* 12. 20.

Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fidelesin omnibus. 1. *Tim.* 3. 11. *V. Tit.* 3. 2. *Jacob* 1. 26. *et c.* 3. 2. *et seq.*

Nolito detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, etc. *Jacob.* 4. 11.

Deponentes igitur omnem malitiam — et omnes detractiones. 1. *Petr.* 2. 1.

OBTRECTATIO. — *Obtrectationis et detractationis exempla.*

(Filii Laban), *Gen.* 31. 1. (Uxor Putipharis), *c.* 39. 14. 17. (Maria et Aaron),

Num. 12. 1. 2. (Exploratores terræ promissæ), *Num.* 14. 36. (Multitudo), *c.* 16. 41. (Filii Belial), 1. *Reg.* 10. 27. (Doeg Idumæus), *c.* 22. 9. (Principes Philisthiim), *c.* 29. 3. 4. (Principes Ammonitarum), 2. *Reg.* 10. 3. (Absalom), *c.* 15. 3. (Siba), *c.* 16. 3. (Rehum cum sociis), 1. *Esdr.* 4. 13. *et seq.* (Ancilla Raguelis), *Tob.* 3. 9. (Aman), *Esth.* 3. 8. (Principes Juda), *Jerem.* 38. 4. (Chaldæi quidam), *Dan.* 3. 12. (Danielis hostes), *c.* 6. 13. (Alcimus cum viris iniquis), 1. *Mach.* 7. 6. 25. (Simon), 2. *Mach.* 3. 6. *et c.* 4. 1. (Alcimus), *c.* 14. 6. 26. (Pharisæi), *Matth.* 9. 11. (Judæi), *c.* 11. 18. 19. *Luc.* 19. 7. *Joan.* 7. 12. *et c.* 8. 48. *et c.* 9. *v.* 16. 24. 28. (Domini puellæ pythonissæ). *Act.* 16. 20. (Judæi Thessalonicenses), *c.* 17. 6. *et seq.* (Epicurei et Stoici Philosophi), *v.* 18. (Judæi Corinthii), *c.* 18. 13. *et c.* 19. 9. (Judæi Asiatici), *c.* 21. 28. (Barbari), *c.* *V. et Accusationis et falso accusatorum exempla.*

OCCASIO *oblata non est prætermittenda.*

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno : verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt. *Psal.* 31. 6.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Ibid.* 94. 8.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Eccles.* 9. 10.

Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est. *Isa.* 55. 6.

Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos : expectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem. *Jerem.* 13. 16. *V. et c.* 21. 12.

Dum autem irent (virgines fatuæ) emere (oleum), venit sponsus ; et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. *Matth.* 15. 10. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. *v.* 13. *V. Marc.* 13. 33.

Contendite intrare per angustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, etc. *Luc.* 13. 24. *V. c.* 12. 40. 46. *et Matth.* 24. 42. 50.

Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. *Ibid.* 17. 22.

Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit. *Ibid.* 19. 26.

Quæretis me. et non invenietis. *Joan.* 7. 34. *V. et c.* 8. 21.

Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. *Ibid.* 12. 35. 36.

(O homo peccator) ? An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicis Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. *Rom.* 2. 4. *et seq.*

Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time — Vide ergo (in te) bonitatem — Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris, etc. *Ibid.* 11. 20. 22.

Odientes malum, adhærentes bono. *Ibid.* 12. 9. Sollicitudine non pigri : Spiritu ferventes, etc. *v.* 11.

Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere : nunc enim proprior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus, etc. *Ibid.* 13. 11. *et seq.*

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2. *Cor.* 6. 1. *Confer Isa.* 49. 8.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, etc. *Gal.* 6. 10.

Sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Ephes.* 5. 16. *V. Coloss.* 4. 5.

Propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. *Hebr.* 2. 1. *V. et v.* 3.

Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, etc, *Ibid.* 3. 13. *V. v.* 7. *et* 15. *Item c.* 4. 7,

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Ibid.* 4. 16.

Scitote enim, quoniam et postea cupiens (Esau) hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenict pœnitentiæ locum : quanquam cum lacrymis inquisisset eam. *Ibid* 12. 17. *V. Gen.* 27. 34. 38.

OCCISIO *V. et* **Homicidium.**

OCCISIO *hominis juridica.*

In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiet eum, et manus reliqua populi extrema mittetur : ut auferas malum de medio tui. *Deut.* 17. 6. *V. c.* 19. 15. *Item Matth.* 18. 16. *Item* 2. *Cor.* 13. 1.

OCCISIO *fortuita.*

Quod si fortuito, et absque odio, et inimicitiis quidquam horum fecerit (scil. occiderit ferro, aut ligno, aut lapide), et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, et propinquum sanguinis quæstio ventilata : liberabitur innocens de ultoris manu, etc. *Num.* 35. 22. *et seq.*

Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur: sed abiisse cum eo simpliciter in sylvam, ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet. *Deut.* 19. 4. 5.

OCCULTUM CRIMEN *proximi non revelandum.*

Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. *Eccli.* 19. 10.

Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum. *Ibid.* 27. 17. Quod si denudaveris absconsa illius (proximi tui), non persequeris post eum. *v.* 19. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. *v.* 24.

OCULUS *simplex et rectus.*

Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. *Eccli.* 35. 12.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. *Matth.* 6. 22. 23. *Idem verbatim habetur. Luc.* 11. 34.

OCULUS *malus sumitur pro invidia.*

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *Matth.* 20. 15.

Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia — oculus malus, etc. *Marc.* 7. 21. 22. *Confer Matth.* 15. 19.

OCULUS... — ... *item pro affectibus inordinatis.*

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, etc. *Matth.* 5. 29. *V. c.* 18. 9. *Marc.* 9. 46.

Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. 1. *Joan.* 2. 16.

OCULUS *nequam.*

Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. *Gen.* 6. 2.

Homo apostata, vir inutilis, graditur opere perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. *Prov.* 6. 12. *et seq.*

Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis — in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima. *Eccles.* 4. 8.

Nequam est oculus lividi : et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. Oculus malus ad mala, et non satiabitur pane, etc. *Eccli.* 14. 7. *et seq.*

Memento, quoniam malus est oculus nequam, Nequius oculo quid creatum est? *Ibid.* 31. 14. 15.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam. totum corpus tuum tenebrosum erit. *Matth.* 6. 22. 23. *V. Luc.* 11. 34.

Furtum, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant (scilicet

coinquinant) hominem. *Marc.* 7. 22. 23. *V.* 1. *Joan.* 2. 16.

OCULUS. — *Oculi Dei et Filii Dei.*

Sint oculi tui (mi Deus) aperti super domum hanc nocte ac die, etc. 3. *Reg.* 8. 29. *V. et v.* 52. *Item* 2. *Paral.* 6. 40. *c.* 7. 15. *et Isa.* 1. 15. *et c.* 3. 8.

Ecce oculi Domini super metuentes eum. *Psal.* 32. 18. *V. Eccli.* 15. 20.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Prov.* 15. 3. *V. Zach.* 4. 10.

Domine, oculi tui respiciunt fidem. *Jerem.* 5. 3.

Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans (ut conterat). *Amos.* 9. 8.

Mundi sunt oculi tui (Deus), ne videas malum : et respicere ad iniquitatem non poteris. *Habac.* 1. 13.

Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus (Dei) ; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. *Hebr.* 4. 13.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. 1. *Petr.* 3. 12. *V. Psal.* 33. 16.

Caput autem ejus, et capilli erant candidi tanquam lana alba, et tanquam nix, et oculi ejus tanquam flamma ignis. *Apoc.* 1. 14.

Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco. *Ibid.* 2. 18. *V. c.* 5. 6.

Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse. *Ibid.* 19. 12.

OCULUS. — *Oculi Angelorum.*

Horribilis (earum rotarum) aspectus et totum corpus oculis plenum. *Ezech.* 1. 18.

Et omne corpus earum (rotarum), et colla, et manus, et pennæ, et circuli, plena erant oculis. *Ibid.* 10. 12. *V. Apoc.* 4. 6. 8.

Et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens. *Dan.* 10. 6.

OCULUS. — *Oculorum custodia quantopere sit necessaria, ne peccetur.*

Vidit igitur mulier, quo bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. *Gen* 3. 6.

Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt, sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. *Ibid.* 6. 2.

(Ex eo quod Cham filius Noe vidit verenda patris, et ipsum nudatum esse fratribus nuntiavit, maledictionem patris incurrit). *Ibid.* 9. 22. 25.

(Abraham) dixit Sarai uxori suæ : Novi, quod pulchra sis mulier : et quod cum viderint te Ægyptii dicturi sunt : Uxor ipsius est : et interficient me, et te reservabunt. *Ibid.* 12. 11. 12.

Quam (scil. Dinam filiam Liæ) cum vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam : et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem. (Et sic Dina volens videre illius regionis mulieres, ipsa visa et corrupta fuit). *Ibid.* 34. 1. 2.

(Judas vidit Thamar in bivio, et cum ipsa peccavit). *Ibid.* 38. 15. 16.

(Domina, cui serviebat Joseph, oculos in eum injecit, et quanta hinc venere mala) ! *Ibid.* 39. 7.

Dum hæc agerentur (scilicet dum obsideretur Rabba civitas), accidit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiæ : viditque mulierem (scilicet Betsabeam) se lavantem, ex adverso super solarium suum : erat autem mulier pulchra valde, etc. 2. *Reg.* 11. 2. *et. seq.*

(Absalom, propter incestum cum sorore Thamar, fratrem Amnon occidit : iratoque patre profugus ad regem Gessur tribus annis ibi permansit). *Ibid. c.* 13.

Cumque intrasset (Judith) ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes, etc. *Judith* 10. 17.

Cor autem Holofernis concussum est : erat enim ardens in concupiscentia ejus (Judith). *Ibid.* 12. 16.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Job* 31. 1.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. *Psal.* 118. 37.

Præbe, fili mi, cor tuum mihi : et oculi tui vias meas custodiant. *Prov.* 23. 26. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. *v.* 33.

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. *Eccli.* 9. 5. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam : (nam) propter speciem mulieris multi perierunt ; et ex hoc

concupiscentia quasi ignis exardescit. *Ibid. v.* 7. *et seq. V. et. v.* 3.

Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie, etc. *Ibid.* 25. 28. *per totum caput.*

Erubescite — a salutantibus de silentio : a respectu mulieris fornicariæ : et ab aversione vultus cognati : *Ibid.* 41. 25. Ne respicias mulierem alieni viri ; et ne scruteris ancillam ejus, neque steteris ad lectum ejus. *v.* 27.

Omni homini noli intendere in specie : et in medio mulierum noli commorari. *Ibid.* 42. 12.

Et videbant eam (Susannam) senes quotidie ingredientem et deambulantem : et exarserunt in concupiscentiam ejus. Et everterunt sensum suum, etc. *Dan.* 13. 8.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 5. 27.

Oculos habentes plenos adulterii, et incessibilis delicti. 2 *Petr.* 2. 14.

OCULUS *mentis vel intellectus.*

Assumpta parabola, ait : Dixit Balaam filius Beor : dixit homo, cujus obturatus est oculus : dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. *Num.* 24. 3. *Item v.* 15. *V. Psal.* 12. 4. *et* 13. 3. *et* 35. 1. *et* 68. 24.

Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quæ possunt audire, usque in præsentem diem. *Deut.* 29. 4.

Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere : et videte visionem, et nolite cognoscere. *Isa.* 6. 9. *V. c.* 29. 18. *Item Matth.* 13. 14. *Marc.* 4. 12. *Luc.* 8. 10. *Joan.* 12. 40. *Act.* 28. 26. *Rom.* 11. 8.

(Dixit Paulus) : Unde, rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni : sed his, qui sunt Damasci primum et Jerosolymis, etc. annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. *Act.* 26. 19. 20. *V. et. v.* 18.

Deus — det vobis — illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus. *Ephes.* 1. 18. 19. *V. Rom.* 11. 8. 10. *Item Joan.* 2. 11.

OCULUS *Fidei.*

Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. *Cor.* 4. 18. *V. et Apoc.* 3. 18.

ODIUM *V. et* **Invidia et Inimicitia.**

ODIUM *proximi prohibetur.*

Non oderis fratrem tuum in corde tuo. *Lev.* 19. 17. *V. et v.* 18.

Odium suscitat rixas : et universa delicta operit caritas. *Prov.* 10. 12.

Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio. *Ibid.* 15. 17.

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, etc. *Matth.* 5. 23. 24.

Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. 1. *Joan.* 2. 9. *V. et. v.* 11.

Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, etc. *Ibid.* 3. 15.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est, etc. *Ibid.* 4. 20.

ODIUM. — *Odio habenda malitia.*

Qui diligitis Dominum, odite malum : custodit Dominus animas sanctorum suorum : de manu peccatoris liberabit eos. *Psal.* 96. 10.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam : et super inimicos tuos tabescebam? *Psal.* 138. 21.

Odite malum, et diligite bonum, et constituite in porta judicium. *Amos* 5. 15. *V. Rom.* 12. 9.

ODIUM. — *Odii exempla.*

(Abimelech et socii ejus), *Gen.* 26. 27. (Esau), *c.* 27. 41. (Chananæi), *c.* 34. 30. (Fratres Joseph), *c.* 37. 4. (Ægyptii), *Exod.* 1. 13. (Madianitæ), *Num.* 25. 18. (Israelitæ), *Judic.* 11. 7. (Cæci et claudi), 2. *Reg.* 5. 8. (Amnon), *c.* 13. 15. (Absalom), *v.* 22. (Razon). 3. *Reg.* 11. 25. (Achab), *c.* 22. 8. (Hostes Juda), 1. *Esdr.* 4. 1. (Aman), *Esther* 7. 6. (Hostes David), *Psal.* 17. 18. *et* 24. 19. *et* 43. 8. 17.

et 68. 5. 15. (Judæi), *Amos* 5. 10. (Viri quidam iniqui), 1. *Mach.* 11. 21. (Nicanor), 2. *Mach.* 14. 39. (Mundus), *Joan.* 7. 7. *et. c.* 15. 18.

ODIUM *Dei.*

Nec facies tibi, neque constitues statuam : quæ odit Dominus Deus tuus. *Deut.* 16. 22.

(Odit Dominus) omnes. qui operantur iniquitatem. *Psal.* 5. 7. *V. totum versum.*

Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus, etc. *Prov.* 6. 10. *V. singula.*

Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea, etc. *Isa.* 1. 14.

Nolite facere verbum abominationis hujuscemodi, quam odivi. *Jer.* 44. 4.

Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum. Destestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. *Amos* 6. 8.

Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris : et juramentum mendax ne diligatis : omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. *Zach.* 8. 17.

ODIUM *Messiæ.*

Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, etc. *Psal.* 44. 8. *V. Hebr.* 1. 9.

Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. *Apoc.* 2. 6.

ODIUM *sine causa.*

Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique : qui oderunt me gratis, et annuunt oculis. *Psal.* 34. 19. *V. et Psal.* 119. 7.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. *Psal.* 68. 5. *V. totum versum.*

Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis. *Joan.* 15. 25. *V. Psal.* 24. 19.

ODIUM *salutare propter Deum.*

Qui diligitis Dominum, odite malum. *Psal.* 96. 10.

Iniquos odio habui. *Psal.* 118. 113. Omnem viam iniquam odio habui. *v.* 128. Vidi prævaricantes, et tabescebam. *v.* 158. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum. *v.* 163.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos : et inimici facti sunt mihi. *Psal.* 138. 21. 22.

Timor Domini odit malum : arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Prov.* 8. 13.

Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua : et nimis odito execrationem. *Eccli.* 17. 23.

Odite malum, et diligite bonum. *Amos* 5. 15. *V. Rom.* 12. 9.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, etc. *Matth.* 10. 37.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 26.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam custodit eam. *Joan.* 12. 25. *V. Rom.* 12. 9.

ODIUM *exitiale in se ipsum.*

Qui autem faciunt peccatum ét iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. *Tob.* 12. 10.

Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. *Psal.* 10. 6.

OFFICIUM *filiorum. V.* **Filius, et Filia.**

OFFICIUM *Parentum. V.* **Parentes.**

OFFICIUM *Subditorum. V.* **Subditorum officium.**

OLEUM *in lucerna Tabernaculi.*

Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum : ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii. *Exod.* 27. 20. 21.

OLEUM. — *Olei usus.*

Faciesque unctionis oleum sanctum, etc. *Exod.* 30. 25. *et seq.*

ONUS.

(Onus pro afflictione). *Isa.* 13. 1. *et c.* 15. 1. *et c.* 17. 1. *et c.* 19. 1. *et c.* 21. 1. 11. 13. *et c.* 22. 1. *et c.* 23. 1. *et c.* 30. 6. *Jerem.* 23. *v.* 33. 34. 36. 38. *Ezech.* 12. 10. *Nahum* 1. 1. *Habac.* 1. 1. *Zach.* 9. 1. *et c.* 12. 1. *Malach.* 1. 1.

Alter alterius onera portate. *Galat.* 6. 2. Unusquisque enim onus suum portabit. *v.* 5.

Propter quod suscipite invicem, sicut

et Christus suscepit vos. *Rom.* 15. 7. *V. Ephes.* 4. 32. *Coloss.* 3. 13.

OPERA, *sive* **OPUS**. *V. et* **Bona opera.**

OPERA *sumitur pro operis vel mercenarii mercede, et pro præmio.*

Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. *Lev.* 19. 13.

Quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto : et dabo opus eorum in veritate, etc. *Isa.* 61. 8.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

Scientes, quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, etc. *Ephes.* 6. 8.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur : amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

OPERA. — *Dantur opera perfecte bona.*

In omnibus his non peccavit Job labiis suis. *Job* 1. 22. *V.* 4. *Reg.* 20. 3.

Irascimini, et nolite peccare. *Psal.* 4. 5. *Item Ephes.* 4. 26.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi : quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo : et justitias ejus non repuli a me. Et ero immaculatus cum eo : et observabo me ab iniquitate mea, etc. *Psal.* 17. 21. *et seq. V.* 2. *Reg.* 22. 21. *et seq.*

Quiescite agere perverse, discite benefacere, etc. *Isa.* 1. 16.

Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. *Ibid.* 38. 3. *V.* 4 *Reg.* 20. 3.

In multis enim (non tamen in omnibus) offendimus omnes. *Jac.* 3 2.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. 2. *Petr.* 1. 10. *V.* 1. *Joan.* 3. 6. *V. sub Tit.* (Lex, exempla eorum, qui perfecte impleverunt legem).

Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. 1. *Joan.* 3. 9. *V. c.* 5. 18.

OPERA *bona commendantur.*

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *Matth.* 3. 10. *Item Luc.* 3. 9.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Ibid.* 5. 16.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere : neque arbor mala bonos fructus facere. *Ibid.* 7. 17. 18. *V. c.* 12. 33. *Item Luc.* 6. 43.

Creati (sumus) in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. *Ephes.* 2. 10. *V.* 1. *Tim.* 6. 18.

(Christus) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14. *V. tot. cap.*

Fidelis sermo est : et de his volo te confirmare : ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. *Ibid.* 3. 8. Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *v.* 14.

Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. *Hebr.* 6. 12.

Et consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum. *Ibid.* 10. 24.

Carissimi, obsecro vos, etc., abstinere vos a carnalibus desideriis — conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut — ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. 1. *Petr.* 2. 11. *V. c.* 1. *per totum.*

Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. 10.

OPERA *bona sunt necessaria ad salutem.*

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus : nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Matth.* 6.

14. 15. *V. c.* 18. 35. *Eccli.* 28. 1. *et seq.* *Marc.* 11. 25.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, etc. *Ibid.* 7. 21. *Luc.* 6. 46.

Si — vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Ibid.* 19. 17.

Discedite a me, maledicti, in ignem æternum — Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi potum, etc. *Ibid.* 25. 41. 42.

(Legisperitus interrogavit Jesum) : Quid faciendo vitam æternam possidebo? — Diliges Dominum Deum tuum — ex tota anima tua, etc., et proximum tuum sicut te ipsum. (Tunc Christus ait) : Hoc fac, et vives. *Luc.* 10. 25. *et seq.*

Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. *Ibid.* 13. 5. *V. v.* 5.

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. *Joan.* 13. 17.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Ibid.* 15. 14.

Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Rom.* 8. 13.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

Nam si commortui sumus, et convivemus : si sustinebimus, et conregnabimus, etc. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

Patientia enim vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Hebr.* 10. 36.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? *Jac.* 2. 14.

OPERA. — *Operum merita et retributio, seu merces. V. et Tit.* **Bonis operibus ex caritate factis debetur meritum.** *Item,* **Merces.** *Item,* **Fructus operis boni.**

Quia tu (Domine) reddes unicuique juxta opera sua. *Psal.* 61. 12.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas — propter retributionem. *Psal.* 118. 112.

Impius facit opus instabile : seminanti autem justitiam, merces fidelis. *Prov.* 11. 18.

Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur : et exaudi orationes servorum tuorum. *Eccli.* 36. 18.

Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructuum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 10. 11.

(Loquitur de Noe, Daniel, et Job) : ipsi justitia sua liberabunt animas suas. *Ezech.* 14. 14. *Item v.* 20.

Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. *Matth.* 5. 11. 12. *V. Luc.* 6. 23.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ibid.* 10. 42. *V. Marc.* 9. 40.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *Ibid.* 16. 27.

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, etc. *Ibid.* 20. 13. *V. v.* 8.

Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. *Ibid.* 25. 34. 35.

Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram (Dei), in die ira, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. *Rom.* 2. 5. 6.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 4. 8.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. *Hebr.* 6. 10.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *Ibid.* 10. 35. *V. c.* 11. 26.

Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jac.* 1. 12.

Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? *Ibid.* 2. 24.

Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. *Apoc.* 22. 12.

OPERA *mala Deo displicent, et pœnam merentur.*

Cui (Adam) dixit Dominus : Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? *Gen.* 3. 11.

Nonne si bene egeris (Cain) recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? *Ibid.* 4. 7.

Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra. *Ibid.* 6. 5. 6.

Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram — et delebo omnem substantiam, etc., *propter peccatum. Ibid.* 7. 4.

Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo. *Ibid.* 9. 6. *V. Matth.* 26. 52. *Apoc.* 13. 10.

(In ædificatione turris Babel, superborum fastus, et lingua confunditur). *Ibid. c.* 11.

Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo : quia pactum meum irritum fecit. *Ibid.* 17. 14.

Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. *Ibid.* 18. 20. *V. c.* 19. 11.

Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo. *Ibid.* 19. 24. Respiciensque uxor ejus (Lot) post se, versa est in statuam salis. *v.* 26.

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem, quam tulisti (scilicet Saram uxorem Abrahæ) : habet enim virum. *Ibid.* 20. 3.

Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum; etc. idcirco venit super nos ista tribulatio. *Ibid.* 42. 21. *V. et v.* 44. 16.

Clamor ergo filiorum Israel venit ad me : vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. (Et liberavit Deus filios Israel, et Ægyptios punivit). *Exod.* 3. 9.

(Moyses et Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in serpentem, et aquam virga percussam in sanguinem; quæ etiam faciunt Magi Pharaonis suis incantationibus; quam ob causam Pharao magis induratur). *Exod. c.* 7. (Secunda Ægyptiorum plaga est ranarum. Tertia est sciniphum. Quarta est muscarum, propter quas rursum promittit Pharao se filios Israel dimissurum, quod non fecit). *Ibid. c.* 8. (Quinta plaga est pestis in jumentis. Sexta ulcerum. Septima grandinis, ob quam promittit Pharao se dimissurum populum, si cesset; verum nec id complet : nullus autem filiorum Israel in his malis aliquid patitur mali). *Ibid. c.* 9. (Octava plaga est locustarum. Nona est tenebrarum densissimarum). *Ibid. c.* 10. (Decima, ut omne primogenitum hominum, et jumentorum moreretur). *Ibid. c.* 11. *et* 12.

(Ob vitulum adoratum Moyses Dominum precatur, tabulas frangit, vitulum comburit, et Aaron objurgato, idololatras occidi jubet, cæterisque veniam impetrat). *Ibid. c.* 32. Cui (Moysi) respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. *v.* 33. *V. Lev.* 10. 2. (Et deinceps per omnes sacræ Scripturæ libros).

OPERA *bona Deo grata sunt, et præmium merentur. V. et* **Bona Opera**.

Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum : et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. *Gen.* 4. 4. Nonne si bene egeris (Cain), recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum (tuum) aderit? *v.* 7. *V. Hebr.* 11. 4.

Ambulavitque cum Deo (Henoch), et non apparuit : quia tulit eum Deus. *Ibid.* 5. 24. *V. Eccli.* 44. 16. *Hebr.* 11. 5.

Noe vero invenit gratiam coram Domino. Hæ sunt generationes Noe : Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. *Ibid.* 6. 8. 9. *V. Eccli.* 44. 17.

Ædificavit autem Noe altare Domino : et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines : sensus

enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua : non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci. *Ibid.* 8. 20. *et seq.*

Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Ibid.* 22. 15. *et seq. V. Exod.* 1. 20.

Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli : daboque posteris tuis universas regiones has : et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. *Ibid.* 26. 4. *V. c.* 12. 2, 3.

Quod si audieris vocem ejus (Angeli), et feceris omnia, quæ loquor : inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, etc. *Exod.* 23. 22. *V. Deut.* 7. 12. *et seq.*

Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod movetur super terram. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. *Levit.* 11. 43. *et seq. Et sic deinceps per totam Scripturam.*

OPERA. — *Operari bene propter mercedem, et retributionem, licitum est.*

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. *Psal.* 118. 112.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5. 12. *Item Luc.* 6. 23.

Quodcumque facitis, ex animo operamini — scientes quod a Domino accipietis retributionem. *Coloss.* 3. 23. 24.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ; non solum autem mihi, sed et his, qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 4. 8.

Fide Moyses grandis factus negavit, etc. majores divitias æstimant thesauro Ægyptiorum, improperium Christi : aspiciebat enim in remunerationem. *Hebr.* 11. 24. 26.

OPERA. — *Operari bene iram Dei placat.*

Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. *Jerem.* 7. 3. *Item c.* 26. 13.

Qui benefacit, ex Deo est. 3. *Joan.* 11.

OPERA. — ... *proximum ædificat.*

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matth.* 5. 16. *V.* 1. *Petr.* 2. 12.

Tantum autem auditum habebant : quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat ; et in me clarificabant Deum. *Gal.* 1. 23. 24.

OPERA. — ... *præmium præparat.*

Et cognovi, quod non esset melius, nisi lætari, et facere bene in vita sua. *Eccles.* 3. 12.

Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui illud operatur, ibit cum illo. *Eccli.* 14. 20. *V. v.* 21.

Voca operarios, et redde illis mercedem. *Matth.* 20. 8

Gloria — et honor, et pax omni operanti bonum. *Rom.* 2. 10.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8.

Qui parce seminat, parce et metet. 2. *Cor.* 9. 6. *V. totum versum.*

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. — Opera enim illorum sequuntur illos. *Apoc.* 14. 13.

OPERA. — *Licet operari bene propter metum gehennæ.*

Initium sapientiæ timor Domini. *Psal.* 110. 10. *V. Prov.* 1. 7, *et c.* 9. 10. *Item Eccli.* 1. 16.

Confige (Domine) timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui. *Psal.* 118. 120.

Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10. 28.

Timete Dominum etc., quia venit hora judicii ejus. *Apoc.* 14. 7.

OPERA *supererogationis, seu consilia Evangelica dantur.*

(Dicit Christus de castitate voluntaria) : Non omnes capiunt verbum istud, sed qui-

bus datum est. Sunt enim eunuchi — qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. *Matth.* 19. 11. 12.

Bonum est homini mulierem non tangere. *V. Cor.* 7. 1. Volo enim, omnes vos esse sicut me ipsum. *v.* 7. Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. *v.* 8. De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do. *v.* 25. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. *v.* 27. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit. *v.* 38. Cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam. *v.* 39. *et* 40. *V. totum Caput.*

(De paupertate voluntaria dicit Christus : Non volo, non jubeo, sed) : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Matth.* 19. 21. (Hoc consilium perfectionis esse, non autem præceptum ad salutem, patet ex verbis Christi ; qui interroganti juveni : Quid faciam, ut salvus fiam? respondit) : Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. *v.* 17. (Ubi ostendit, mandatorum observationem sufficere ad salutem, deinde subjungit) : Si vis perfectus esse, (id est, si non es contentus æterna vita, sed si in ea cupis aliquem præstantiorem locum obtinere, si vis facere opus supererogationis) : Vade, vende quæ habes, etc.

Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Ibid. v.* 29.

OPERA *mortificationis.*

Et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram. 2. *Reg.* 12. 16.

(Achab rex) operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, etc. Et factus est sermo Domini ad Eliam — Quia igitur humiliatus est mei causa non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. *et seq.* (Sic de Ninivitis, Jonæ) *c.* 3. *a v.* 5. *usque ad finem.*

(Job egit) pœnitentiam in favilla et cinere. *Job.* 42. 6.

Convertimini ad me in toto code vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joel.* 2. 12.

Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. 1. *Cor.* 9. 27.

Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram. *Coloss.* 3. 5.

OPERA. — *Operum bonorum commemoratio.*

Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. 4. *Reg.* 20. 3. *Item Isa.* 38. 3.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi : quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo, etc. *Psal.* 17. 21. 22.

Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. *Psal.* 131. 1.

OPERA. — *Operationis domesticæ modus bonus.*

Et posuit eum (Dominus hominem) in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum. *Gen.* 2. 15. Emisit eum Dominus Deus (hominem) de paradiso voluptatis, ut operaretur terram. *v.* 23. (Et sic videre licet, quod Deus hominem voluerit operari tam in statu innocentiæ, quam post peccatum).

In sudore vultus tui vesceris pane (tuo). *Ibid.* 3. 19.

Qui observat ventum, non seminat : et qui considerat nubes, nunquam metet. *Eccles.* 11. 4.

Qui tenet aratrum, etc. Omnes ii in manibus suis speraverunt, et unusquisque in arte sua sapiens est. Sine his omnibus non ædificatur civitas. *Eccli.* 38. 26. *et seq. usq. ad* 37.

OPERA... *fructus. V. sub Tit.* **Panis, Panis labore comparandus.** *Item* **Otium vitandum.**

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Prov*, 12. 11.

Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum, *Eccli.* 20. 30.

(Servus, qui accepit quinque talenta), et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque (commendatus est a Domino) : similiter et qui duo acceperat, et lucratus est alia duo. (Alius autem, qui unum accepit, et non multiplicavit, et inutiliter reservavit, reprobatus fuit). *Matth.* 25. 16. *et seq. usq. ad* 31.

(Paulus apud Corinthios manebat), quia ejusdem erat artis — et operabatur (manibus). *Act.* 18. 3. *V. c.* 20. 34. *Item* 1. *Cor.* 4. 12. 1. *Thess.* 2. 9. 2. *Thess.* 3. 8.

Quoniam si quis non vult operari, nec manducet. 2. *Thess.* 3. 10. Ut cum silentio operantes, suum panem manducent. *v.* 12.

OPERA. — *Non in quolibet opere homo peccat.*

Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. 10.

Omnis, qui in eo (Deo) manet, non peccat : et omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. 1. *Joan.* 3. 6. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. *v.* 9.

Scimus, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. *Ibid.* 5. 18.

OPERA *bona quæ sint. V.* **Bona opera.**

OPERA *a nobis proximo exhibita, tanquam sibi facta reputat Deus, sive bona sint, sive mala.*

Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel. *Isa.* 37. 23.

Et bellabunt adversum te (o Jeremia), et non prævalebunt; quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te. *Jer.* 1. 19.

O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis : quia hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Zach.* 2. 7. 8.

Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 40.

Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirman, in Christum peccatis. 1. *Cor.* 8. 12. *V. Actor.* 9. 5.

OPES. *V. et* **Divitiæ.**

OPES *a Deo sunt.*

(Dixit Dominus, ad Abraham) : Semini tuo dabo terram hanc. *Gen.* 12. 7. *V. et c.* 13. *v.* 14. 15. 17. *c.* 15. 18. *c.* 17. 8. *c.* 23. 7. *c.* 26. 3.

Nonne tu (Deus) vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum : operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra? *Job* 1. 10.

Dominus autem benedixit novissimis Job, magis quam principio ejus, etc. *Ibid.* 42. 12.

Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus. *Prov.* 22. 2.

Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo : hoc est donum Dei. *Eccles.* 5. 18.

OPES *nimiæ non appetendæ.*

Noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere : quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum. *Prov.* 23. 4. 5.

Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi (Deus) : (sed) tribue tantum victui meo necessaria : ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Ibid.* 30. 8. 9.

Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis : et hoc ergo vanitas. *Eccles.* 5. 9. *V. et versus sequentes. Item c.* 4. 8. *et c.* 6 2. 3.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem : radix enim omnium malorum est cupiditas. 1. *Tim.* 6. 9. 10.

OPES *statim et de repente cum dolo, mendacio, fœnore, et rapinis partæ, inutiles.*

Substantia festinata minuetur : quæ autem paullatim colligitur manu, multiplicabitur. *Prov.* 13. 11.

Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. *Ibid.* 20. 21.

Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis. *Ibid.* 21. 6. *V. et versum sequentem.*

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Ibid.* 22. 16.

Vir fidelis multum laudabitur ; qui autem festinat ditari, non erit innocens. *Ibid.* 28. 20 *V. v.* 22.

Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. *Eccles.* 5. 9.

OPES *interdum suis dominis ruinam afferunt.*

Nec est satiatus venter ejus : et cum habuerit, quæ concupierat, possidere non poterit. *Job* 20. 20.

Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui, etc. *Eccles.* 5. 12. *V. et totum Caput.*

OPIFEX. *V.* **Artifex.**

OPINIO. — *Opiniones hominum, et cogitationes frequenter sunt erroneæ.*

Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, imposuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum : quod eis præceptum non erat, etc. *Levit.* 10. 1. *V. v.* 2.

Nec sequantur cogitationes suas. *Num.* 15. 39.

Non facies ibi (scilicet idololatriam) quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. *Deut.* 12. 18.

Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens : Pax erit mihi et ambulabo in pravitate cordis mei, etc. *Ibid.* 29. 19. *V.* 1. *Reg.* 15. 9. 2. *Reg.* 6. 8.

Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia. *Prov.* 12 15.

Est via, quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem. *Ibid.* 14. 12.

Omnis via viri recta sibi videtur : appendit autem corda Dominus. *Ibid.* 21. 2.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. *Isa.* 5. 21. *V. Prov.* 3. 7. *Rom.* 12. 16.

Qui dicebas (Lucifer) in corde tuo : in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, etc. *Ibid.* 14. 13. *et seq.*

Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ : neque viæ vestræ, viæ meæ (sunt), dicit Dominus. *Ibid.* 55. 8.

Et assumens eum (Jesum) Petrus, cœpit increpare illum, dicens : Absit a te, Domine : non erit tibi hoc (scilicet ut adeas Jerusalem, et dira patiaris a Scribis et Pharisæis). *Matth.* 16. 22. *Item Marc.* 8. 32. *Joan.* 12. 5.

Dicit ei (Jesu) Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. *Joan.* 13. 8.

OPPRESSIO *bonorum in mundo piis destinata et perpetua.*

In mundo pressuram habebitis. *Joan.* 16. 33.

Ut nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. 1. *Thess.* 3. 3. *V. et v.* 4. *Item* 2. *Tim.* 3. 12.

In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vastigia ejus. 1. *Petr.* 2. 21.

Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. *Ibid.* 4. 19.

OPPRESSIO. — *Opressionis bonorum per malos exempla.*

(Cain nequam et invidus prævaluit adversus Abel justum, et occidit eum). *Gen.* 4. 8.

(Sodomitæ animam Lot multipliciter afflixerunt). *Ibid.* 19. 4. 9.

Oderat ergo semper Esau Jacob — dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. (Unde et compulsus est Jacob fugere ad Laban avunculum suum). *Ibid.* 27. 41. *et c.* 28. 5.

Oderantque filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis : atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, etc. *Exod.* 1. 13. 14.

(Abimelech ambiens principatum, occidit septuaginta fratres suos). *Judic.* 9. 5.

(Saul diu persecutus est David, cu tamen hic fideliter et utiliter serviebat). 1. *Reg.* 18. 11.

(Absalom adeo commovit populum adversus David, ut compulsus sit exire de Jerusalem). 2. *Reg.* 15. 16.

(Impiissima Jezabel minata et conata est, ut occideret hominem Dei Eliam. Itaque ille timens) abiit, quocumque eum ferebat voluntas. 3. *Reg.* 19. 2. 3.

(Rex Israel Joram pessimus, audiens, quod maxima fames esset in civitate, misit virum ad amputandum caput Elisei). 4. *Reg.* 6. 31.

(Ad imperium Joas regis Juda, lapidatus est Zacharias filius Joiadæ, pro eo, quod arguebat regem et populum, sculptilibus servientes). 2. *Par*. 24. 21.

(Nabuchodonosor præcepit Holoferni, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus Deus diceretur : propter hoc multa regna destruxit, et populum Dei, qui nuper redierat de civitate Babylonis, vehementer afflixit). *Judith c.* 2. *et seq.*

(Aman superbus, crudelis, et impius ita potens fuit, ut pro nihilo habuerit procurare necem omnium Judæorum; sed divina providentia ejus conatibus obviavit). *Esther* 3. 6. *V. et capita sequentia.*

Et percussit Phassur Jeremiam Prophetam, et misit eum in nervum. *Jer*. 20. 2.

(Hananias prophetavit plane contra illud, quod dicebat Jeremias, et tulit catenam de collo Jeremiæ, et confregit eam; et abiit Jeremias in domum suam, quasi confusus ab illo Propheta mendace). *Ibid. c.* 28.

(Nabuchodonosor rex Babylonis Azariam et socios ejus in fornacem mitti jussit, eo quod illi odorare noluerunt statuam, quam ipse idololatra errexit. Et Daniel bis fuit missus in lacum leonum, procurantibus pessimis hominibus). *Dan.* 3. 19. *et c.* 6. 16. *et c.* 14. 30.

(Antiochus) ascendit Jerosolymam in multitudine gravi, (cum superbia magna, et fecit ibi terribilem hominum cædem). 1. *Mach.* 1. 22.

(Bacchides et Alcimus proditor, missi a rege Demetrio, tantum exercitum produxerunt contra Judam Machabæum, ut ipse Judas ceciderit in bello, et cæteri commilitones sui fugerint). *Ibid. c.* 9. 18.

(Perfidus et dolosus Tryphon, qui dominum suum regem Antiochum adolescentem dolo occidit, Jonatham et duos ejus filios nequiter interfecit). *Ibid c.* 13. 23. 31.

(Joanem Baptistam, totius exemplar sanctitatis, ad petitionem unius saltatricis, Herodes adulter, et homicida decollavit). *Matth.* 14. 8. 10.

(Salvator mundi Dominus noster Jesus Christus fuit percussus et delusus ab Anna, Caipha, et Herode tetrarcha, et tandem a Præside Pilato judicatus et crucifixus imo ab ipsis latronibus blasphematus). *Ibid.* 26. 57. *V. et c.* 27. 2. *Item Marc.* 15. 15. *Luc.* 23. 11. 39. *Joan.* 18. 13.

Princeps sacerdotum et omnes, qui cum illo erant, injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica; (et postea fuerunt cæsi, et denuntiatum est eis), ne omnino loquerentur in nomine Jesu. *Act.* 5. 18. 40.

Quidam de Synagoga — commoverunt — plebem, et seniores, et Scribas, (et rapuerunt Stephanam, et statuentes falsos testes contra eum, lapidaverunt eum). *Ibid.* 6. 12. *et c.* 7. 57.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis, gladio (et insuper apprehendit Petrum, et misit in carcerem). *Ibid.* 12. 1. *et seq.*

Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam : et ejecerunt eos de finibus suis. *Ibid.* 13. 50.

(Cum Paulus et Barnabas essent Lystris in civitate ita honorati, ut illi homines istis quasi diis sacrificare vellent; supervenerunt quidam Judæi), et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. *Ibid.* 14. *v.* 10. 12. 18.

(Quidam quæstuarii, domini mulieris cujusdam pythonissæ, a qua dæmonium Paulus ejecerat, ita concitaverunt principes et magistratus civitatis Philipporum, ut Paulus et Silas socius ejus jussi sint cædi, et in carcerem mitti, et pedes eorum ligno adstringi). *Ibid.* 16. 19. *et seq. V et Titul. Tribulatio.*

OPPRESSIO. — *Oppressores pauperum a Deo punientur.*

Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta : quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus. *Prov.* 22. 22. 23. *V. Amos.* 5. 11.

ORATIO. — *Orare in nomine Jesu.*

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. *Joan.* 14. 13.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Ibid.* 15. 16.

Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis : si quid petieri-

tis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ibid.* 16. 23. *V. v.* 24. *et* 26.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum (Deum) : quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, etc. 1. *Joan* 5. 14. *V. v.* 15.

ORATIO. — *Orare in Spiritu Sancto.*

Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater, etc. *Rom.* 8. 15. *V. et Galat.* 4. 6.

Orabo spiritu, orabo et mente, etc. 1. *Cor.* 14. 15.

Orantes omni tempore in spiritu. *Ephes.* 6. 18.

Vos autem, carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, etc. *Judæ v.* 20.

ORATIO. — *Orare quemadmodum oporteat, frequenter ignoramus, et ideo male oramus.*

Tunc accessit ad eum (Jesum) mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinitram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Matth.* 20. 20. *et seq. Item Marc.* 10. 35.

Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26.

Petitis, et non accipitis eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Jacob.* 4. 3.

ORATIO. — *Orare noctes atque dies.*

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ. *Psal.* 118. 62.

Videte, vigilate, et orate. *Marc.* 13. 33.

Dicebat autem et parabolam ad illos (discipulos) : quoniam oportet semper orare, et non deficere. *Luc.* 18. 1. *V. præsertim v.* 7.

Vigilate itaque, omni tempore orantes. *Ibid.* 21. 36. *V. Eccli.* 18. 22.

Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. *Act.* 5. 4.

Orationi instantes. *Rom.* 12. 12. *V. Coloss.* 4. 2.

Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ? 1. *Thess.* 3. 9. 10. *V. c.* 5. 17.

Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die. 1. *Tim.* 5. 5.

Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus (meis) in conscientia pura : quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die. 2. *Tim.* 1. 3.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

ORATIO. — *Orare sine intermissione.*

Non impediaris orare semper. *Eccli.* 18. 22.

Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. *Matth.* 7. 7. *V. c.* 21. 22. *Item Marc.* 11. 24. *Luc.* 11. 9. *Joan.* 14. 13. *et c.* 16. 23. 24.

Dicebat autem et parabolam ad illos (discipulos) : quoniam oportet semper orare, et non deficere. *Luc.* 18. 1. *V. Joan.* 14. 13.

Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. *Act.* 10. I. 2.

Et galeam salutis assumite — per omnem orationem et obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes, in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, etc. *Ephes* 6. 17. 18.

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, etc. *Coloss.* 4. 2. *V. Rom.* 12. 12.

Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite, etc. 1. *Thess.* 5. 17. *V.* 2. *Tim.* 1. 3.

ORATIO. — *Orandum ubique locorum.*

Benedicite Domino, omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino. *Psal.* 102. 22.

Cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro. 1. *Cor.* 1. 2. *V.* 22. *Joan.* 4. 23.

Volo ergo, viros orare in omni loco, levantes puras manus. 1. *Tim.* 2. 8.

ORATIO. — *Orandum cum fiducia.*

Tu enim, Domine Deus meus, revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum : et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te. 1. *Par.* 17. 25.

(Respondit Jesus discipulis suis) : Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed si monti huic dixeritis : Tolle, jacta te in mare, fiet. *Matth.* 21. 21. *V. et v.* 22. *Item c.* 17. 19. *Luc.* 17. 6.

Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Marc.* 11. 24.

Postulet autem in fide, nihil hæsitans, etc. *Jac.* 1. 6.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum (Deum) : quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, etc. 1. *Joan.* 5. 14. *V. v.* 15.

ORATIO. — *Orare, ut fidei prædicatio successum habeat.*

Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. *Act.* 6. 4.

Obsecro ergo vos, fratres, etc. ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, etc. *Rom.* 15. 30. 31. *V.* 1. *Thess.* 5. 25.

Orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, et pro me, ut detur mihi sermo in aperitione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii. *Ephes.* 6. 18. 19. *V. Act.* 6. 4.

Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, etc. *Coloss.* 4. 3.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos, etc. 2. *Thess.* 3. 1.

ORATIO. — *Orare alium pro alio.*

Dixeruntque (reliquiæ Judæorum) ad Jeremiam Prophetam : Cadat oratio nostra in conspectu tuo : et ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro universis reliquiis istis : quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur. *Jer.* 42. 2. *V. v.* 20.

Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum : quia peccavimus Domino Deo nostro (aiunt Judæi in Babylone his, qui erant in Jerusalem), et non est aversus furor ejus a nobis usque in hunc diem. *Baruch* 1. 13. *V.* 2. *Mach.* 1. 6. *Item* 2. *Cor.* 1. 11.

Et galeam salutis assumite — per omnem orationem et obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, etc. *Ephes.* 6. 17. 18.

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, etc. *Coloss.* 4. 2. 3.

Fratres, orate pro nobis. 1. *Thess.* 5. 25. *V. Hebr.* 13. 18.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos, etc. 2. *Thess.* 3. 1.

Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus : pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, etc. 1. *Tim.* 2. 1.

Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. *Jac.* 5. 16. *V. et. v.* 14. *de ægrotis.*

ORATIO. — *Orandum est pro aliis. Exempla.*

(Abraham orat pro Ismaele), *Gen.* 17. 18. 20. (Pro Sodomitarum incolumitate), *c.* 18. 23. *et seq.* (Pro Abimelechi uxore et ancillis), *c.* 20. 17. (Lot pro urbe Segor), *c.* 19. 20. (Fratres pro Rebecca), *c.* 24. 60. (Joseph pro Benjamin), *c.* 43. 29. (Jacob benedicit filiis Joseph, hoc est oratione precatur eis benedictionem divinam, et conferri eis cupit corporalia simul, et spiritualia bona), *c.* 48. 15. *et Hebr.* 11. 21. (Moyses orat pro populo), *Exod.* 32. 11. *et c.* 33. 13. *et c.* 34. 9. *Item Num.* 14. 19. (Pro sorore), *Num. c.* 12. 13. (Samuel pro populo), 1. *Reg.* 12. 23. (David pro infante ægroto), 2. *Reg.* 12. 16. (Servi David pro rege suo), 3. *Reg.* 1. 47. (Vir Dei pro Jeroboam), *c.* 13. 6. (David pro Salomone), 1. *Paral.* 22. 12.

ORATIO. — *Orationes aliorum pro se expetendæ sunt.*

(Abimelecho jubet Deus, ut Abrahæ preces expetat), *Gen.* 20. 7. 17. (Pharao Moysis et Aaronis precibus se commendat), *Exod.* 8. 28. (Aaron hortatur Moysen, ut pro Maria oret), *Num.* 12. 11.

(Populus hoc idem a Samuele efflagitat), 1. *Reg.* 12. 19. (Jeroboam), 3. *Reg.* 13. 6. (Naaman Syrus). 4. *Reg.* 5. 18. (Ezechias) *c.* 19. 4. *Item Isa.* 37. 4. (Josias), 2. *Par.* 34. 21. (Sedecias), *Jer.* 37. 3. (Bellatorum principes,) etc. *c.* 42. 2. (Simon magus), *Act.* 8. 24. (Paulus), *Rom.* 15. 30. *Item Ephes.* 6. 18. 19. *Philipp.* 1. 19. *Coloss.* 4. 3. 1. *Thess.* 5. 25. 2. *Thess.* 3. 1. *Hebr.* 13. 18.

ORATIO. — *Orandum pro inimicis et impiis.*

(Sic Abraham oravit pro impiis Sodomitis). *Gen.* 18. 23. *et seq.*

(Sic etiam Lot pro impia civitate Segor). *Ibid.* 19. 19.

(Sic iterum Abraham pro Abimelech). *Ibid.* 20. 17.

(Moyses pro Hebræis idololatris). *Exod.* 32. 11.

Qui ceciderunt (Moyses et Aaron) proni in faciem, atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? *Num.* 16. 22. Dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum ut roges pro eis : jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit. *v.* 46. *V. Sap.* 18. 21. (Loquitur de 14700 consumptis igne, cum Dathan et Abiron, eo quod murmuraverint, etc.)

(Sic oravit Samuel pro Saule rege impio). 1. *Reg.* 15. 35.

Cumque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixerunt : Oniæ sacerdoti gratias age : nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. 2. *Mach.* 3. 33.

Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. *Matth.* 5. 44. 45.

Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos. *Luc.* 6. 28.

Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. *Ibid.* 23. 34.

Positis autem genibus, clamavit voce magna (Stephanus), dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. *Act.* 7. 59.

ORATIO. — *Orare pro Defunctis. V.* **Purgatorium.**

ORATIO. — *Adhortatio ad studium orandi.*

Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. *Matth.* 24. 42. *V. c.* 25. 13.

Videte, vigilate, et orate. *Marc.* 13. 33. *V. Luc.* 18. 1. *Coloss.* 4. 2.

Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5. 17. *V. Eccli* 18. 22.

ORATIO, *quomodo, quando, cui, et ubi fieri debeat, et quid petendum.*

Et dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti; quod senes populi sint ac magistri : et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, etc. *Num.* 11. 16. *V. præcedentia.*

Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut.* 4. 7. *V. c.* 9. 26.

Et clamantes (filii Israel in idololatriam lapsi) ad Dominum, dixerunt : Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim. *Judic.* 10. 10. Dixeruntque filii Israel ad Dominum : Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet : tantum nunc libera nos. *v.* 15.

Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens, etc. 1. *Reg.* 1. 10. 11.

Et ait (David) : Dominus petra mea, et robur meum, et Salvator meus, etc. 2. *Reg.* 22. 2. In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo : et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus. *v.* 7. *V. Psal.* 17. 2. 3. *et* 7.

(Ait Salomon): Et nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo : ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. 3. *Reg.* 3. 7 *V. versus sequentes.*

Sed in oratione persistens (Sara), cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. *Tob.* 3. 11. Dixit : Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. Ad te, Domine, faciem meam converto : ad te oculos meos dirigo. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut desuper terram eripias me. *v.* 13. *et seq.*

Tunc Eliachim, Sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos, dicens : Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini. *Judith* 4. 11. 12.

Non impediaris orare semper. *Eccli.* 18. 22.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, etc. *Ibid.* 35. 21. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *v.* 26.

Eritque, antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* 65. 24.

Et factum est : cum consummasset comedere herbam terræ, dixi : Domine Deus, propitius esto, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? *Amos* 7. 2. *V. et v.* 5.

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6. 5. Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, etc. *v.* 9. *Item Luc.* 11. 2.

Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. *Ibid.* 7. 7. *Item Luc.* 11. 9.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. *Ibid.* 18. 19.

Tunc accessit ad eum (Jesum) mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi : Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. *Ibid.* 20. 20. *et seq. Item. Marc.* 10. 35.

Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Ibid.* 21. 22. *Item Marc.* 11. 24.

Hoc genus (dæmoniorum) in nullo potest exire, nisi in oratione, et jejunio. *Marc.* 9. 28. *V Matth.* 17. 20.

Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit. *Ibid.* 13. 33. *V. Matth.* 24. 42.

Et hæc vidua (Anna prophetissa) usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejunis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Dicebat autem et parabolam ad illos : quoniam oportet semper orare et non deficere. *Luc.* 18. 1.

Et cum pervenisset ad locum (scilicet montem Olivarum), dixit illis : Orate, ne intretis in tentationem. *Ibid.* 22. 40.

Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. *Joan.* 4. 24.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Ibid.* 9. 31.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. *Ibid.* 14. 13.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. *Ibid.* 15. 7.

Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis, si quid petietis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ibid.* 16. 23. *V. et v.* 24.

Hi omnes (Apostoli) erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. *Act.* 1. 14.

Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Ibid.* 2. 42.

Qui cum audissent (Apostoli de claudo sanato), unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt, etc. *Ibid.* 4. 24. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati : et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. *v.* 31. *V. c.* 13. 3. *et c.* 14. 22.

(Cornelius erat) religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper, etc. *Ibid.* 10. 2.

Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26.

Spe gaudentes : in tribulatione patientes : orationi instantes. *Ibid.* 12. 12.

Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. 1. *Cor.* 14. 13. *V. et versus sequentes.*

Et galeam salutis assumite — per omnem orationem, et obsecrationem orantes

omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus Sanctis, etc. *Ephes.* 6. 17. 18.

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, etc. *Coloss.* 4. 2. 3. *V.* 2. *Thess.* 3. 1. *et c.* 5. 25.

Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5. 17.

Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, etc. 1. *Tim.* 2. 1.

Orate pro nobis : confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari. *Hebr.* 13. 18.

Postulet autem in fide, nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. *Jacob.* 1. 6. *V. Apoc.* 19. 10. *et c.* 22. 9.

Petitis, et non accipitis : eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Ibid.* 4. 3.

Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat. *Ibid.* 5. 13. *V. et v.* 14. *et* 16.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. 1. *Petr.* 3. 12. *V. Psal.* 33. 16.

ORATIO *Deum inclinat.*

Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* 65. 24.

Petite, et dabitur vobis, etc. Omnis enim, qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur. *Matth.* 7. 7. 8.

Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se? *Luc.* 11. 13.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. *Joan.* 14. 13.

ORATIO *peccatum purgat.*

Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. *Lev.* 4. 20. Rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei. *v.* 31.

Respicite, filii, nationes hominum : et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? Aut quis invocavit eum, et despexit illum? etc. *Eccli.* 2. 11. 12.

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur. *Ibid.* 3. 4.

Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est : imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. 34.

Unde et salvare in perpetuum potest (Jesus) accedentes per semetipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis. *Hebr.* 7. 25.

ORATIO *hostem superat spiritualem.*

Hoc autem genus (dæmoniorum) non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. *Matth.* 17. 20.

Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Ibid.* 26. 41. *V. Marc.* 14. 38. *Luc.* 22. 46.

ORATIO... *corporalem.*

Et invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. *Psal.* 49. 15. *V. totum Psal.* 90.

ORATIO *impetrat boni consecutionem.*

Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum ; sed ora Dominum, et ipse curabit te. *Eccli.* 38. 9. *V. Isa.* 38. 3.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. *Rom.* 10. 1.

Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione, pro omnibus Sanctis ; et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii. *Ephes.* 6. 18. 19.

Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem. *Philipp.* 1. 19.

Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali : ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, etc. *Coloss.* 1. 9. 10

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione : orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi. *Ibid.* 4. 2. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei. *v.* 12.

In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, etc. 2. *Thes.* 1. 11.

De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos : et ut liberemur ab importunis, et malis hominibus. *Ibid.* 3. 1. 2.

Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. 1. *Tim.* 2. 1. 2.

ORATIO... *periculi evasionem.*

Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem S. Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, etc. *Rom.* 15. 30. 31.

ORATIO. — *Orationes, quæ, quemadmodum oportet, fiunt, exaudit Deus.*

Ecce, ait (Angelus ad Agâr ancillam Saræ et fugientem ab illa), concepisti, et paries filium : vocabisque nomen ejus Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. *Gen.* 16. 11.

Exaudivit autem Deus vocem pueri (Ismaelis); vocavitque Angelus Dei Agar de cœlo, dicens : Quid agis, Agar? noli timere : exaudivit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. Surge, tolle puerum, et tene manum illius : quia in gentem magnam faciam eum. *Ibid.* 21. 17.

Et audivit gemitum eorum (scilicet filiorum Israel post mortem regis Ægypti). ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob. Et respexit Dominus filios Israel, et cognovit eos. *Exod.* 2. 24. 25.

Cui (Moysi) ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, etc. *Ibid.* 3. 7.

Ego audivi gemitum filiorum Israel, quo Ægyptii oppresserunt eos : et recordatus sum pacti mei. *Ibid.* 6. 5.

Si læseritis eos (scilicet viduam et pupillum), vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum. *Ibid.* 22. 23. Ipsum enim (vestimentum proximi tui) est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat : si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. *v.* 27.

Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Deut.* 4. 7.

Cave, ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo : Appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare : ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum. *Ibid.* 15. 9.

Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino : et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel : intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel. 1. *Reg.* 7. 9.

Quia respexi populum meum (ait Deus): venit enim clamor eorum ad me. *Ibid.* 9. 16.

Et clamavit Samuel ad Dominum : et dedit Dominus voces, et pluvias in illa die. *Ibid.* 12 18.

Laudabilem invocabo Dominum (ait David) : et ab inimicis meis salvus ero. 2. *Reg.* 22. 4. In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo : et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus. *v.* 7. *Item Psal.* 17. 4. *et* 7.

Et ait rex (Jeroboam) ad virum Dei : Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea (arida) mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. 3. *Reg.* 13. 6.

Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. *Ibid.* 17. 22. *et c.* 18. 36. *V. Historiam Eliæ, et perlustra orationem Prophetæ, et ut exaudivit eum Deus.*

Revertere (ait Deus ad Isaiam), et dic Ezechiæ duci populi mei : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas et ecce sanavi te : die tertio ascendes templum Domini, etc. 4. *Reg.* 20. 5. *et c.* 13. 4. *V.* 2. *Paral.* 32. 20. *Isa.* 38. 5.

Deprecatusque est eum (Manasses), et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum; et cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus. 2. *Paral.* 33. 13.

Propterea dicit Dominus: Jam non silebo de impietatibus eorum, quæ irreligiose agunt, nec sustinebo in his, quæ inique exercent. Ecce sanguis innoxius, et justus clamat ad me, et animæ justorum clamant perseveranter. Vindicans vindicabo illos, dicit Dominus, et accipiam omnem sanguinem innoxium ex illis ad me. 4. *Esdr*. 15. 7. *et seq*.

In illo tempore exauditæ sunt preces amborum (Tobiæ et Saræ) in conspectu gloriæ summi Dei: et missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ. *Tob*. 3. 24.

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum. *Judith*. 4. 8. Tunc Eliachim sacerdos Domini magnus — allocutusque est ad eos, dicens : Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini. *v*. 11. *et* 12.

Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo. *Psal*. 3. 5.

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum. *Psal*. 4. 4.

(Dominus) non est oblitus clamorem pauperum. *Psal*. 9. 13.

Timeat eum omne semen Israel : quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis : nec avertit faciem suam a me : et cum clamarem ad eum, exaudivit me. *Psal*. 21. 25.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. *Psal*. 33. 7. *V*. *v*. 5. *et* 18.

Et invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. *Psal*. 49. 15. *V*. *totum Psal*. 90.

Ego autem ad Deum clamavi : et Dominus salvabit me. *Psal*. 54. 17.

De tribulatione invocavi Dominum : et exaudivit me in latitudine Dominus. *Psal*. 117. 5.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi : et exaudivit me : *Psal*. 119. 1.

Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet : et salvos faciet eos. *Psal*. 144. 19. *V*. *Eccli*. 4. 6.

Longe est Dominus ab impiis : et orationes justorum exaudiet. *Prov*. 15. 29.

Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, et judicium festinato adveniet illi. *Eccli*.

Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Ibid*. 33. 26.

Et invocaverunt (Elias et Elisœus) Dominum misericordem, et expandentes manus suas, extulerunt ad cœlum : et sanctus Dominus Deus audivit cito vocem ipsorum. *Ibid*. 48. 22.

Populus enim Sion habitabit in Jerusalem : plorans nequaquam plorabis, miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. *Isa*. 30. 19.

(Consternatus Ezechias propter blasphemias tum Rabsacis, tum Sennacherib, mittit ad Isaiam, ut Dominum deprecetur; qui ipsum confortans, divinum promittit auxilium, et, cæso per Angelum Sennacherib, etiam ipse a filiis suis interimitur). *Ibid*. *c*. 37.

Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum : quoniam multus est ad ignoscendum. *Ibid*. 55. 7.

Et invocabitis me (captivi Judæi), et ibitis : et orabitis me, et ego exaudiam vos. Quæretis me, et invenietis : cum quæsieritis me in toto corde vestro, etc. *Jerem*. 29. 12.

Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo : vocem meam audisti : ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus. *Thren*. 3. 55. 56.

Exaudivit autem Dominus vocem ejus (Susannæ). Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel. *Dan*. 13. 44. 45.

Et dixit (Jonas) : Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me : de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam. *Jonæ* 2. 3.

Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es; et ipse dicet : Dominus Deus meus. *Zach*. 13. 9.

Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur. 2. *Mach* 3. 22.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Joan.* 9. 31.

At ille (Cornelius) intuens eum (Angelum), timore correptus, dixit : Quid est, Domine? Dixit autem illi : Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. *Act.* 10. 4.

ORATIO. — *Orationes quorumdam cur non exaudiat Deus.*

Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos (Israelitas), nec voci vestræ voluit acquiescere. *Deut.* 1. 45.

Ego autem abscondam (ait Dominus), et celabo faciem meam in die illo, proter omnia mala, quæ fecit (Israel), quia secutus est deos alienos. *Ibid.* 31. 18.

Et clamabitis in die illa (ait Samuel ad populum) a facie regis vestri, quem elegistis vobis : et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. 1. *Reg.* 8. 18.

Quando invocabitis me, ego non exaudiam vos. Maculastis enim manus vestras sanguine, et pedes vestri impigri sunt ad committenda homicidia. 4. *Esdr.* 1. 26.

Clamaverunt (Israelitæ), nec erat, qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos. *Psal.* 17. 42.

Tunc invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent, et non invenient me : eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. *Prov.* 1. 28. *et seq.*

Longe est Dominus ab impiis : et orationes justorum exaudiet. *Ibid.* 15. 29.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis ; et ipse clamabit, et non exaudietur. *Ibid.* 21. 13.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem ; oratio ejus erit execrabilis. *Ibid.* 28. 9.

Unus orans, et unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? *Eccli.* 34. 29. Sic homo, qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? *v.* 31.

Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis : et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. *Isa.* 1. 15. *V. c.* 59. 1. *et seq.*

Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te, etc. *Jer.* 7. 16. *Idem habetur verbatim c.* 11. 14. *et c.* 14 11.

Quam ob rem hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt : et clamabunt ad me, et non exaudiam eos (Israelitas). *Ibid.* 11. 11.

Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum ; et si obtulerint holocautomata, et victimas, non suscipiam ea : quoniam gladio, et fame, et peste consuman eos. *Ibid.* 14. 12.

Et dixit Dominus ad me : Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum : ejice illos a facie mea, et egrediantur. *Ibid.* 15. 1.

Ergo et ego faciam in furore : non parcet oculus meus, nec miserebor : et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos. *Ezech.* 8. 18.

Tres viri isti (Noe, Daniel et Job) si fuerint in ea (terra), vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt : sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. *Ezech.* 14. 16. (Si) et Noe, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus : vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt : sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas. *v.* 20.

Tunc clamabunt (populus Israel, ad Dominum, et non exaudiet eos ; et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. *Mich.* 3. 4. *V. Zach.* 7. 13.

Orabat autem hic scelestus (Antiochus) Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. 2. *Mach.* 9. 13.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. *Joan.* 9. 31.

Scitote enim, quoniam et postea cupiens (Esau) hæreditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. *Hebr.* 12. 17.

Petitis, et non accipitis ; eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Jac.* 4. 3.

ORATIO. — *Orationum Sanctorum exempla.*

(Abraham oravit pro Ismaele). *Gen.* 17. 18.

(Humiliter et discrete, constanter et pie oravit Abraham Dominum, ut parceret Sodomitis). *Ibid*. 18. 23.

(Oratio et preces Lot). *Ibid*. 19. 19.

Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech, et uxorem, ancillasque ejus. *Ibid*. 20. 17.

(Oratio famuli Abrahæ satis vehemens). *Ibid*. 24. 12.

(Pro rebus, quas etiam Dominus destinavit facere, interdum debemus orare, unde) : Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, (quam parituram fore disposuerat Dominus). *Ibid*. 25. 21.

(Isaac orando benedixit Jacob : sic etiam Jacob filiis Joseph). *Ibid*. 28. 3. *et c*. 48. 15. 16.

Dixitque Jacob : Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac : Domine, qui dixisti mihi : Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi, etc. *Ibid*. 32. 9. *et seq*.

(Oravit multoties Dominum Moyses, ut amoveret plagas ab Ægyptiis, et exaudiebatur, licet illi mali essent). *Exod*. 8. 12. 29. *et c*. 9. 29. 33. *et c*. 10. 18.

(Oratio mentalis clamat in aures Dei, sicut apparet, quando dixit Moysi nihil loquenti) : Quid clamas ad me? *Ibid*. 14. 15.

Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel : sin autem paullulum remisisset, superabat Amalec. (Sic in isto bello plus fecit Moyses orando, quam Josue pugnando). *Ibid*. 17. 11.

Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens : Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, et in manu robusta? *Exod*. 32. 11. Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli : et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. *v*. 13.

(Satis importunus in oratione sua fuit Moyses, dicens) : Aut dimitte eis (scil. populo) hanc noxam ; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. *Ibid*. *v*. 31. *et* 32.

(Orat Moyses Deum) : Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos : respice populum tuum, gentem hanc. *Ibid*. 33. 13.

(Per orationem Moysis) absorptus est ignis, (qui devoravit castra murmurantium, et dolentium pro labore). *Num*. 11. 2.

(Petiit populus carnes in deserto, et Dominus iratus concessit eis. Per quod liquet, quod exauditio orationis non semper sit signum divinæ delectionis. *Ibid*. *v*. 18.

(Per orationem Moysis curata est Maria soror ejus a lepra). *Ibid*. 12. 13.

Dimitte, obsecro (ait Moyses ad Dominum), peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. *Ibid*. 14 19.

Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum : Ne respicias sacrificia eorum : tu scis, quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. *Ibid*. 16. 15.

Qui (Moyses et Aaron) ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt, etc. *Ibid*. *v*. 22. *V. et similiter factum ab eis*, *c*. 20. 6.

Venerunt (Israelitæ) ad Moysen, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, et te : ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, (et liberatus est populus). *Ibid*. 21. 7.

Et orans dixi (ait Moyses) : Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægyto in manu forti. Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, et Jacob : ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum, etc. *Deut*. 9. 26. 27.

(Vide orationem Josue pro se et populo). *Josue*. 7. 7. *et seq*.

Oratio Gedeonis ad Dominum pro impetrando miraculo). *Judic*. 6. 36. *V. et v*. 39. (iteratam petitionem).

Oravit itaque Manue Dominum, et ait : Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, etc. *Ibid*. 13. 8. 9.

Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens, etc. 1. *Reg*. 1. 10. Porro Anna loquebatur in corde suo : tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. *v*. 13.

(Pugnaturi filii Israel contra Philisthæos, dixerunt Samueli) : Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. *Ibid.* 7. 8.

(Non placuit Domino, quod filii Israel petierint super se regem ; et tamen dixit Samueli oranti de hac re) : Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. *Ibid.* 8. 7.

(Dixit Samuel ad populum) : Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis. *Ibid.* 12. 23.

(Vide orationem David cum cogitaret ædificare domum Domino) 2. *Reg.* 7. 18. *usque ad finem. V.* 1. *Paral.* 17. 16.

Deprecatusque est David Dominum pro parvulo : et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram. *Ibid.* 12. 16.

Dixitque (David) : Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel. *Ibid.* 15. 31.

Et dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto : sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. *Ibid.* 24. 10. *Item* 1. *Paral.* 21. 8.

Et ait Salomon : Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, etc. 3. *Reg.* 8. 15. *per totum caput. V.* 2. *Paral. usq. ad fin.*

Et ait rex (Jeroboam) ad virum Dei : Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. *Ibid.* 13. 6.

(Oratione sua Elias filium hospitæ suæ mortuum, ad vitam revocavit). *Ibid.* 17. 20. 22.

(Oratio Eliæ ignem de cœlo protraxit). *Ibid.* 18. 36.

(Orans Elias pro pluvia, dixit puero suo, ut prospiceret contra mare, unde sperabat nubem consurgere pluviosam, sed usque ad septem vices nihil penitus apparebat ; porro orationis diuturnitas et instantia in septima vice pluviam copiosissimam descendere fecit). *Ibid. v.* 43.

(Sic etiam Eliseus oratione sua Sunamitidis filium mortuum suscitat). 4. *Reg.* 4. 33.

Cumque orasset Eliseus — aperuit Dominus oculos pueri, et vidit (currus igneos, et persussi sunt Syri). *Ibid.* 6. 17.

Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, et audivit eum Dominus, (et liberatus est Israel de manu regis Syriæ). *Ibid.* 13. 4.

(Fideliter et prudenter oravit Ezechias ad Dominum, et simul etiam Isaiam Prophetam invitavit, ut simul cum ipso ad Deum clamaret). *Ibid.* 19. 15. *et v.* 3. *V. Isa.* 37. 4. 15.

(Convertit Ezechias faciem suam ad orandum ad parietem, ut attentius orare possit), et oravit Dominum, dicens : Obsecro, Domine ; memento quæso, etc. Flevit itaque Ezechias fletu magno ; (et ita oratione sua sanitatem et prorogationem vitæ ad quindecim annos impetravit). *Ibid.* 20. 2. *V. et* 2. *Par.* 32. 24. *Item Isa.* 38. 2.

(Oratio David, in qua gratias Deo agit, et extollit ejus beneficia). 1. *Paral.* 17. 16.

(Orans David, confitetur peccatum suum, scilicet numerationis populi). *Ibid.* 21. 17. *Item* 2. *Reg.* 24. 17.

(David benedicens Dominum orat pro Salomone ac populo). *Ibid.* 29. 10. *et seq.*

(Benedicit Salomon populo Israel, et gratias Deo agit de impletione promissionis factæ David : oratque supplex coram multitudine, ut orantium in eo templo vota Deus exaudiat). 2. *Paral. c.* 6. *per totum.*

Et invocavit (Asa) Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem Domine ; Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo. *Ibid.* 14. 11.

Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum : (audierat enim, quod maxima multitudo gentium venerat contra eum), *Ibid.* 20. 3. Et ait : Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, et dominaris cunctis regnis gentium ; in manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere, etc. *v.* 6. *et seq.* Deus noster, ergo non judicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere (scil. Ammonitarum, Moabitarum, et Syriorum), quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. *v.* 12.

(Manasses) postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit (Deus) orationem ejus, quæ humillima, et ferventissima est, et digna quæ legatur ab omnibus). *Ibid* 33. 12. 13.

Jejunavimus autem et rogavimus Deum nostrum per hoc (pro felici itinere et securo); et evenit nobis prospere (ajebat Esdras). 1. *Esdr*. 8. 23.

Et dixi (ait Esdras) : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te : quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum, a diebus patrum nostrorum : sed et nos ipsi peccavimus graviter usque ad diem hanc, etc. *Ibid*. 9. 6. *per totum*.

(Oravit Nehemias) : Quæso, Domine, Deus cœli fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactum, etc. 2. *Esdr*. 1. 5. *per totum*. *V. et c.* 4. 4. *Item c.* 9. 5. *usque ad finem*.

Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. *Ibid*. 4. 9.

Et consurgens (ait Esdras) a jejunio, conscissa habens vestimenta et sacram tunicam, ingeniculans, et extendens manus ad Dominum, dicebam : Domine, etc. 3. *Esdr*. 8. 74. *et seq. usque ad v.* 92. *V.* 4. *Esdr*. 3. 4. *usque ad finem*. *Item c.* 6. 38. *usque ad finem, et c.* 8. 20.

Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis, dicens : Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia, et veritas, et judicium, etc. *Tob*. 3. 1. *et seq*.

(Sara filia Raguelis, audita ab ancilla sua gravi contumelia), perrexit in superius cubiculum domus suæ : et tribus diebus et tribus noctibus — in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam. *Ibid*. *v.* 10. *et seq. usq. ad finem Capitis*.

(Raphael Angelus monuit Tobiam juniorem, ut per tres primas nocte contineret se ab uxore, et ambo orationibus vacarent). *Ibid*. 6. 18.

(Tobias et Sara simul orantes, noctem transigunt incolumes). *Ibid*. 8. 6. *et seq*.

(Tobias senior benedicit ac gratias agit Domino). *Ibid*. 13. 1. *per totum caput*.

(Metuentes filii Israel Holofernem, vehementer clamaverunt) ad Dominum instantia magna, etc. *Judith* 4. 8. 10. (Eliachim vero summus sacerdos commemorabat eis, quomodo Moyses Amalec confidentem in virtute sua, non ferro pugnando, sed precibus orando dejecerit). *v.* 13. *V. v.* 15. *et* 17. *Item c.* 6. 15. 21. *et c.* 7. 19.

(Multum confidebat Judith in orationibus aliorum ; unde proponens ire ad Holofernem, dixit Presbyteris) : Orate, ut firmum faciat Deus consilium meum. *Ibid*. 8. 31. Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. *v.* 33.

(Judith se affligens ac humilians, pro populi liberatione prostrata precatur, utque sibi virtus detur evertendi Holofernem). *Ibid. c.* 9. *per totum*. *V. et c.* 10. 10. *et c.* 11. 14.

(Similiter quando voluit amputare caput Holofernis, oravit cum lacrymis ad lectum). *Ibid*. 13. 7. 9.

(Oratio et Canticum Judith ob victoriam). *Ibid*. 16. 2. *usque ad v.* 22.

(Esther locutura ad regem Assuerum, dixit Mardochæo) : Vade, et congrega omnes Judæos — et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus : et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, etc. *Esth*. 4. 16.

(Oratio Mardochæi). *Ibid*. 13. 9. *et seq. usq. ad finem*.

(Vide, quam devote et humiliter oraverit Esther). *Ibid. c.* 14. 3. *per totum*.

(Oratio Sapientis cum agnitione propriæ imbecillitatis ad impetrandam a Domino sapientiam, quæ cum omnibus necessaria sit, potissimum tamen rectoribus populorum; incerta est enim humana sapientia). *Sap. c.* 9. *per totum*. *V. et aliam orationem*, *Eccli*. 23. 1.

Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum; et immitte timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnalia tua. *Eccli*. 36. 1. 2. *et seq. usq. ad v.* 20.

(Dei laus, exaltatio, et gratiarum actio habetur). *Ibid. c.* 51. *a v.* 1. *usq. ad* 18.

Domine, miserere nostri : te enim expectavimus : esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. *Isa*. 33. 2. *V. c.* 37. 16. *Item c.* 63. 15. *et c.* 64. *per totum*.

(Magnæ efficaciæ apud Deum erat ora-

tio Jeremiæ, quando dicebat ei Dominus): Tu ergo noli orare pro populo hoc. *Jerem.* 7. 16. *Item c.* 11. 14. *et c.* 14. 11.

Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te : et super provincias, quæ nomen tuum non invocaverunt : quia comederunt Jacob, et devoraverunt eum, et consumpserunt illum, et decus dissipaverunt. *Ibid.* 10. 24. 25.

(Alia oratio efficax Jeremiæ Prophetæ ad Deum). *Ibid.* 15. 15.

Expectatio Israel, Domine : omnes qui te derelinquunt, confundentur : recedentes a te, in terra scribentur : quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me, Domine, et sanabor· salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es. *Ibid.* 17. 13. *V. et c.* 18. 19. 23.

Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens : Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento, non erit tibi difficile omne verbum, etc. *Ibid.* 32. 16. *et seq.*

(Oratio Jeremiæ): Recordare, Domine, quid acciderit nobis : intuere, et respice opprobrium nostrum, etc. *Thren.* 5. 1. *per totum Caput.*

Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, et non credidimus, diffidentes in eum, etc. *Baruch.* 1. 17. Et non audivimus vocem Domini Dei nostri, secundum omnia verba Prophetarum, quos misit ad nos. *v.* 21.

Domino Deo nostro justitia : nobis autem, et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc, etc. *Ibid.* 2. 6. Et nunc, Domine Deus Israel, qui eduxisti, etc. *v.* 11. *usque ad finem.*

Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te : audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors, etc. *Ibid.* 3. 1. *usque ad v.* 9.

Stans autem Azarias (in medio fornacis) oravit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait : Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, etc. *Dan.* 3. 25. *seq. usque ad v.* 91.

(Propter impium Darii regis decretum, attamen non omisit Daniel, quin adoraret ter Deum suum per singulos dies flexis genibus). *Ibid.* 6. 10.

Intelligens Daniel, tempus captivitatis esse completum, instantius oravit pro populo, in captivitate detento. Et nota, quam humiliter et ferventer oraverit). *Ibid.* 9. 4. *et seq. usque ad v.* 20.

(Videns Susanna, omne humanum sibi deesse consilium, auxiliumque, recurrit ad orationis suffragium, et oratio ejus fuit exaudita). *Ibid.* 13. 42.

Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, (et liberatus est). *Jonæ* 2. 2. *et seq.*

Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantiis. *Habac.* 3. 1. *per totum.*

Et congregatus est conventus, ut essent parati in prælium : et ut orarent, et peterent misericordiam et miserationes. 1. *Mach.* 3. 44.

(Judas Machabæus commissurus prælium contra Gorgiam), ait — viris, qui secum erant — Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri Dominus. *Ibid.* 4. 10. *Et ipse etiam oravit v.* 30. *et seq.*

(Dum Nicanor succendere templum minaretur), intraverunt sacerdotes, et steterunt ante faciem altaris et templi, et flentes dixerunt : Tu Domine, etc. *Ibid.* 7. 36. *et seq.*

(Videns Jonathas, quod omnes, exceptis duobus, derelinquebant eum pugnantem contra alienigenas, scidit vestimenta sua, et oravit, et postea victoriam obtinuit) *Ibid.* 11. 71.

(Oratio Nehemiæ). 2. *Mach.* 1. 24. *et seq.*

(Dum) non modica — per universam civitatem (Jerusalem) esset trepidatio, Sacerdotes — ante altare, cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, et invocabant de cœlo, (Deum), etc. *Ibid.* 3. 14. 15. Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes. *v.* 18. Universæ autem (mulieres) protendentes manus in cœlum, deprecabantur. *v.* 20.

(Onias summus Pontifex oravit pro Heliodoro, divina virtute graviter flagellato, eo quod voluerat spoliare templum : et Dominus ob hanc orationem vitam ei donavit). *Ibid.* *v.* 33.

Sed cum plagis perimeretur (Eleazarus), ingemuit, et dixit : Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros cor-

poris sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum juvenibus, sed et universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis, et fortitudinis derelinquens. *Ibid.* 6. 30. 31.

Judas vero Machabæus, et qui cum illo erant — Dominum deprecabantur, ut eriperet eos ab impio Nicanore. *Ibid.* 8. 1. 14.

Orabat autem hic scelestus (Antiochus) Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. *Ibid.* 9. 13.

Nicanor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et canticis admovebant. Judas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt : manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. *Ibid.* 15. 4. 25. *et seq. V. et v.* 22.

(Dominus et Salvator noster docet discipulos suos orare, et præscribit formulam). *Matth.* 6. 9. *V. Luc.* 11. 2.

(Brevem, utilem, et humilem modum orandi habuit leprosus ille, qui genu flexo adoravit Dominum Jesum, dicens) : Domine, si vis, potes me mundare. *Matth.* 8. 2. *V. Marc.* 1. 40. *Luc.* 5. 12.

(Similem modum orandi, per insinuationem habuit Centurio, cum dixit : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, etc. *Ibid. v.* 5. (Item Martha et Maria pro fratre Lazaro jam sepulto). *Joan.* 11. 21. 32.

Et dimissa turba, ascendit (Jesus), in montem solus orare. *Ibid.* 14. 23. *V. Marc.* 6 46.

(Vide orationem Christi in monte Oliveti). *Ibid.* 26. 39.

(Eximium Christus orandi exemplum nobis reliquit, cum in oratione Dei pernoctavit). *Luc.* 6. 12. *V. et c.* 5. 16.

(Dicebat Jesus discipulis parabolam, quomodo oporteat semper orare, imo et instanter). *Ibid.* 18. 1. *V. c.* 11. 5.

(Ad humiliter orandum et jactantiam contemnendam, inducit Dominus exemplum de superbo Pharisæo et humili Publicano). *Ibid. v.* 9.

(Jesus orabat in cruce) : Pater, dimitte illis : non enim sciunt, quid faciunt. *Ibid.* 23. 34.

(Oratio Christi, dum Lazarum resuscitaret). *Joan.* 11. 41.

(Oratio Christi ad Patrem pro utriusque clarificatione, pro discipulis, et his, qui per illos in ipsum essent credituri, etc.) *Ibid.* 17. 1. *per totum Caput.*

(Post ascensionem Domini in cœlum, reversi sunt discipuli in Jerusalem), et hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu. *Act.* 1. 14.

(Apostoli volentes unum de discipulis eligere in Apostolum loco Judæ), statuerunt duos, (Joseph — et Matthiam. Et orantes dixerunt : Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum. *Ibid. v.* 23. *et* 24.

(Omnes fideles in primitiva Ecclesia) erant — perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Ibid.* 2. 42.

Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *Ibid.* 3. 1.

Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt, etc. *Ibid.* 4. 24. Et cum orassent (discipuli unanimiter una voce), motus est locus, in quo erant congregati : et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. *v.* 31.

Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum : et orantes imposuerunt eis manus. *Ibid.* 6. 6. *V. et c.* 13. 3.

Et lapidabant Stephanum (Judæi invocantem et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Ibid.* 7. 58. 59.

(Petrus, et Joannes oraverunt pro illis de Samaria), ut acciperent Spiritum Sanctum. *Ibid.* 8. 15. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. *v.* 17.

(Saulus Damascum jussu Domini veniens, orare cœpit, et fuit ibi tribus diebus non manducans). *Act.* 9. 9. *et* 11.

Petrus ponens genua oravit, (et oratione ista discipulam Tabitham suscitavit a mortuis). *Ibid. v.* 40.

(Orationes et eleemosynæ Cornelii Centurionis ascenderunt in conspectum Dei, ut Angelus ei significavit). *Ibid.* 10. 4. *et* 31.

Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. *Ibid. v.* 9.

Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. *Ibid.* 12. 5.

(Petrus miraculose liberatus a carcere), venit ad domum Mariæ etc. ubi erant multi congregati et orantes. *Ibid. v.* 12.

Et cum constituissent illis (Paulus et socii) per singulas Ecclesias Presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. *Ibid.* 14. 22.

(Cum iret Paulus ad orationem, puellam quamdam a spiritu pythone liberavit). *Ibid.* 16. 16. 18.

(Recedens Paulus a fratribus de Mileto, post paucos sermones, et pia verba), positis genibus suis, oravit cum omnibus illis. *Ibid.* 20. 36.

Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem, et positis genibus in littore, oravimus. *Ibid.* 21. 5.

Cum orasset in templo Paulus, factus est in stupore mentis, et vidit Dominum Jesum dicentem) : Festina, et exi velociter ex Jerusalem. *Ibid.* 22. 17.

(Patre Publii febribus et dysenteria laborante), cum orasset (Paulus), et imposuisset ei manus, salvavit eum. *Ibid.* 28. 8.

Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, etc. *Rom.* 1. 9. 10.

(Adeo grande et arduum opus est orare, ut ipse Paulus ad id agendum dicat, se sufficientem non esse). *Ibid.* 8. 26.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, etc. *Philipp.* 1. 3. 4. Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet, etc. *v.* 9. *V. et* 2. *Tim.* 1. 3.

Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, etc. *Coloss.* 1. 9.

In quo etiam oramus semper pro vobis, etc. 2. *Thess.* 1. 11.

ORATIO. — *Orationes piis necessariæ.*

Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer, etc. *Rom.* 15. 30. 31.

Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philipp.* 4. 6.

Orationi instate, vigilantes in ea, etc. *Coloss.* 4. 2.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, etc. *Jacob.* 1. 5.

Tristatur aliquis vestrum? oret, etc. *Ibid.* 5. 13.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

ORATIO. — *Orationis vis et efficacia.*

(Moyses levando manus in oratione, vicit Amalecitas. Ergo oratio valet ad quævis mala avertenda). *Exod.* 17. 11.

(Anna sterilis cum orasset, facta est fœcunda). 1. *Reg.* 1. 19.

(Samuel clamando ad Dominum, vicit Philisthæos). *Ibid.* 7. 9.

(Elias Propheta post trium annorum et sex mensium sterilitatem, pluviam rursus et fertilitatem a Deo oratione obtinuit). 3. *Reg.* 17. 1. *et* 18. 45.

(Ezechias orationis suffragio e gravi morbo convalescit). 4. *Reg.* 20. 2.

(Manasses coangustatus orans Dominum, et intente obsecrans), egit pœnitentiam valde coram Deo, etc. 2. *Paral.* 33. 12.

Bona est oratio, etc. *Tob.* 12. 8. *V. totum caput, imo Historiam.*

(Job in sterquilinio nudus et ulceribus plenus, triumphat). *Job.* 2. 8.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit — et non discedet, donec Altissimus aspiciat. (Ergo cœlos penetrat). *Eccli.* 35. 21.

(Tres pueri in fornace) ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, et benedicentes Domino. *Dan.* 3. 24.

(Daniel inter leones exultat, et a Domino miraculose pascitur). *Ibid.* 6. 22. *et c.* 14. 38.

(Susanna orans inter senes defenditur). *Ibid.* 13. 44.

(Jonas clamavit de ventre piscis ad Dominum, et pervenit vox ejus ad aures Dei). *Jonæ.* 2. 2.

Clauso ostio, ora Patrem tuum, etc. Et Pater tuus, etc. reddet tibi. (Ergo valet ad meritum). *Matth.* 6. 6.

Hoc autem genus (Dæmonum) non ejicitur, nisi per orationem. (Ergo repellit Dæmones eorumque tentationes). *Ibid.* 17. 20.

(Publicanus oravit) : Deus, propitius esto mihi peccatori — Descendit hic justificatus in domum suam. (Ergo impetrat remissionem peccatorum). *Luc.* 18. 13.

(Latro in cruce orans, Paradiso donatur. Ergo satisfacit pro pœnis peccatorum). *Ibid.* 23. 42. 43.

(Stephanus orans, et pro se lapidantibus intercedens, in cœlum suscipitur. *Act.* 7. 58.

(Apostolus Jacobus orationem dicit valere pro obtinenda corporali salute) : Oratio fidei salvabit infirmum. *Jacob.* 5. 15. (Item et pro æterna, quæ est salus simpliciter vera) : Orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. *v.* 16.

ORATIO. — *Ad orationem, ut sit infallibiliter efficax ad impetrandum, conditiones. Primo requiritur fides.*

Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Matth.* 21. 22.

Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Marc.* 11. 24.

Postulet autem Chritianus a Deo) in fide nihil hæsitans, etc. *Jacob.* 1. 6.

ORATIO.— ... *secundo necessaria est spes et fiducia.*

Petite, et dabitur vobis. *Matth.* 7. 7.

Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis. *Marc.* 11. 24.

Omnis enim, qui petit, accipit, etc. *Luc.* 11. 10.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joan.* 16. 23.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum : quia quodcumque petierimus, etc. audit nos. 1. *Joan.* 5. 14.

ORATIO. — ... *tertio necessaria est caritas.*

Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna, etc. *Tob.* 12. 8.

Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5. 7.

Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem : ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. *Marc.* 11. 25.

Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. *Joan.* 14. 21.

Orate pro invicem, ut salvemini. *Jacob.* 5. 16.

Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. 1. *Joan.* 3. 21. 22.

ORATIO. — *Orans, in Dei misericordiam, non in sua justitia, fidat.*

Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *Isa.* 66. 2.

Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi : aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, etc. neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. *Dan.* 9. 18.

ORATIO. — *Orans a potiori sit in statu gratiæ.*

Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, etc. *Psal.* 33. 16. (*V. Isa.* 59. 2). Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *v.* 18.

Multum enim valet deprecatio justi assidua. *Jacob.* 5. 16.

ORATIO. — *Requiritur porro orantis devotio, quia ardenter, serio, attente, sive de profundis oret.*

Ante orationem præpara animam tuam : et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. *Eccli.* 18. 23.

(Noli esse de illo populo, qui labiis duntaxat Deum honorat, et non corde). *Matth.* 15. 8.

ORATIO. — *Tandem requiritur humilitas corporis.*

(Moyses populi Israelitici dux et imperator, pugnante populo, manus in altum ad lassitudinem usque sustulit). *Exod.* 17. 12.

(Salomon Rex ejusdem gentis inclytissimus, in dedicatione templi flexis genibus, extensisque ad cœlum manibus, orasse legitur). 3. *Reg.* 8. 22. *V.* 2. *Paral.* 6. 13.

Et posui faciem meam (ait Daniel) ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco et cinere. *Dan* 9. 3.

(Sic Ninivitæ jejunarunt) : et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. *Jonæ.* 3. 5.

(Publicanus Evangelicus a longe stat, pectus tundit, nec ad cœlum oculos audet tollere). *Luc.* 18. 13.

(Apostolus Paulus inquit) : Hujus rei

gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. *Ephes.* 3. 14.

ORATIO. — *Et quidem a potiori fiat oratio flexis genibus. V. et* **Genu omne flectendum Deo.**

Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini : utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum. 3. *Reg.* 8. 54.

Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, etc. *Ibid.* 18. 42.

Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. *Ibid.* 19. 18. *V. Rom.* 11 4.

(Salomon) flexis genibus contra universam multitudinem Israel, et palmis in cœlis levatis (orabat). 2. *Paral.* 6. 13.

(Omnes) incurvato genu adoraverunt (Dominum). *Ibid.* 29. 30. *V. et v.* 29.

(Dixit Esdras) : Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, et scisso pallio et tunica, curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, et (oravi). 1. *Esdr.* 9. 5.

(Denuo repetit alia vice) : Et consurgens a jejunio, conscissa habens vestimenta, et sacram tunicam, ingeniculans, et extendens manus ad Dominum, dicebam : Domine, etc. 3. *Esdr.* 8. 74.

In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur : quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. *Isa.* 45. 23. 24. *V. Rom.* 14. 11.

(Daniel) fenestris apertis in cœnaculo suo, etc. tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat. *Dan.* 6. 10.

(Daniel dicit) : Et audivi vocem sermonum ejus; et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum, etc. *Ibid.* 10. 9. 10.

Quid dignum offeram Domino ? curvabo genu Deo excelso, etc. *Mich.* 6. 6.

Et cum venisset (Jesus) ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens : Domine, miserere, etc. *Matth.* 17. 14.

Et venit ad eum (Jesum) leprosus, deprecans eum : et genu flexo dixit ei : Si vis, potes me mundare. *Marc.* 1. 40.

Et cum egressus esset (Jesus) in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam ? *Ibid.* 10. 17.

Simon Petrus, procidit ad genua Jesu (videns miraculum), dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. *Luc.* 5. 8.

(Jesus) positis genibus, orabat. *Ibid.* 22. 41.

(Stephanus) positis — genibus (orabat pro lapidantibus se, dicens) : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Act.* 7. 59.

Petrus ponens genua, oravit, (et a mortuis suscitavit discipulam Tabitham). *Ibid.* 9. 40.

(Paulus) positis genibus suis, oravit cum (suis auditoribus et discipulis a quibus discedebat). *Ibid.* 20. 36.

Deducentibus nos omnibus (inquit Paulus) cum uxoribus et filiis usque foras civitatem : et positis genibus in littore, oravimus. *Ibid.* 21. 5.

Flecto genua mea (dicit Paulus) ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. *Ephes.* 3. 14.

Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. *Philipp.* 2. 10.

ORATIO. — *Præter humilitatem corporis, requiritur etiam humilitas spiritus.*

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde; et humiles spiritu salvabit. *Psal.* 33. 18.

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. *Psal.* 50. 19.

Respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum. *Psal.* 101. 18.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. *Eccli.* 35. 21.

Dicit Dominus : Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu ? *Isa.* 66. 2.

ORATIO. — *Orandi assiduitas.*

(Christum interdum in oratione pernoctasse testatur Lucas). *Luc.* 6. 12.

Oportet semper orare, et non deficere. *Ibid.* 18. 1. *V. Eccli.* 18. 22.

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione. *Coloss.* 4. 2.

Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5. 17.

ORDO. — *Sumitur pro disciplina Ecclesiastica.*

Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant. 1. *Cor*. 14. 40.

Et si corpore absens sum (ait Paulus), sed spiritu vobiscum sum : gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. *Coloss*. 2. 5.

Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. 2. *Thess*. 3. 6.

ORDO *politicus servandus et colendus.*

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. *Rom*. 13. 1. *V. et Sap*. 6. 4.

Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse. *Tit*. 3. 1.

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, etc. *Petr*. 2. 13.

ORDO. — *Ordinis Sacramentum.*

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan*. 20. 21. *et seq. V. Matth*. 16. 19. *et c*. 18. 18.

Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 1. *Tim*. 4. 14.

Manus cito nemini imposueris. *Ibid*. 5. 22.

Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 2. *Tim*. 1. 6.

Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit*. 1. 5.

ORIENS. — *Sic denominatur Christus.*

Ecce enim ego adducam servum meum Orientem (scilicet Messiam). *Zach*. 3. 8.

Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Ecce Vir (Messias), Oriens nomen ejus. *Ibid*. 6. 12.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. *Luc*. 1. 78. *V. Malach*. 4. 2.

ORNATUS *superfluus. V.* **Mulierum ornatus superfluus.**

OS. — *Sumitur pro sermone et locutione.*

In ore duorum vel trium testium stet omne verbum, *Matth*. 18. 16. *Deut*. 18. 6. *et c*. 19. 15. *Item* 2. *Cor*. 13. 1.

OS *Domini interrogare, id est ejus consilium sciscitari.*

Os Domini non interrogaverunt. *Josue* 9. 14. *V. Isa*. 30. 2.

OS *hominis sumitur pro vultu et specie ejus.*

Et immutavit (David) os suum coram eis. 1. *Reg*. 21. 13.

OSCULUM *pudicum, pacis, et caritatis symbolum.*

Qui (Laban) cum audisset, venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei : complexusque eum, et in oscula ruens, duxit in domum suam. *Gen*. 29. 13.

Cumque (Joseph) amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit : illo quoque similiter flente super collum ejus. Osculatusque est Joseph omnes suos, et ploravit super singulos. *Ibid*. 45. 14. 15.

Oculi enim Israel (scil. Jacob) caligabant præ nimia senectute, et clare videre non poterat. Applicitosque ad se (Joseph, Manassem, et Ephraim), deosculatus et circumplexus (est) eos. *Ibid*. 48. 10.

Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in desertum.

Qui perrexit obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum. *Exod*. 4. 27.

Et surgens venit ad patrem suum (filius prodigus). Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. *Luc*. 15. 20.

Magnus autem fletus factus est omnium : et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum. *Act*. 20. 27.

Salutate invicem in osculo sancto. *Rom*. 16. 16. *Item* 1. *Cor*. 16. 20. *Idem habetur etiam* 2. *Cor*. 13. 12.

Salutate fratres omnes in osculo sancto. 1. *Thess*. 5. 26. *Item* 1. *Petr*. 5. 14.

OSCULUM. — *Osculi sancti et minime fucati exempla.*

(Isaac dixit ad Jacob) : Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi. Accessit, et osculatus est eum, etc. *Gen*. 27. 26. 27.

(Jacob, videns Rachel, consobrinam suam), osculatus est eam, etc. *Ibid*. 29. 11.

Laban vero de nocte consurgens, oscu-

latus est filios et filias suas, et benedixit illis : reversusque est in locum suum. *Ibid.* 31. 55.

Currens itaque Esau obviam fratri suo (Jacob), amplexatus est eum : stringensque collum ejus, et osculans, flevit. *Ibid.* 33. 4.

Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos. *Ibid.* 45. 15.

(Joseph cernens patrem suum Jacob morientem), ruit super faciem (ejus), flens et deosculans eum. *Ibid.* 50. 1.

Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum. *Exod.* 4. 27.

(Moyses) egressus in occursum cognati sui (Jethro), adoravit, et osculatus est eum. *Ibid.* 18. 7.

(Dicens Noemi ad nurus suas Ruth et Orpha), Ite in domum matris vestræ, etc. osculata est eas. *Ruth* 1. 8. 9. Orpha osculata est socrum, ac reversa est (in patriam). *v.* 14.

Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus (Saulis), et deosculatus est eum, (et unxit in regem). 1. *Reg.* 10. 1.

Osculantes se alterutrum (David et Jonathas), fleverunt pariter, etc. *Ibid.* 20. 41.

(Vocatus Absalom ab exsilio), intravit ad regem (David), et adoravit super faciem terræ coram eo : osculatusque est rex Absalom. 2. *Reg.* 14. 33.

Cumque transisset universus populus et rex (David) Jordanem, osculatus est rex Berzellai, et benedixit ei. *Ibid.* 19. 39.

(Eliseus sequi volens Eliam, dixit) : Osculer, oro, patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. 3. *Reg.* 19. 20.

Tunc surgens Darius rex, osculatus est illum (Zorobabel), etc. 2. *Esdr.* 4. 47.

Et misit se Raguel, et cum lacrymis osculatus est eum (Tobiam juniorem), et plorans super collum ejus, dixit : Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. *Tob.* 7. 6. 7.

Cumque ingressus esset (Gabelus) domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem : et exiliens, osculati sunt se invicem, etc. *Ibid.* 9. 8.

Et apprehendentes (Raguel et Anna parentes filiam suam (Saram abeuntem), osculati sunt eam, et dimiserunt ire, etc. *Ibid.* 10. 12.

Et suscipiens (Tobias senex filium suum reversum de itinere), osculatus est eum cum uxore sua, et cœperunt ambo flere præ gaudio. *Ibid* 11. 11.

Cumque illa (Esther) reticeret, tulit (Assuerus) auream virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait : Cur mihi non loqueris? etc. *Esther* 15. 15.

(Magdalena) stans retro secus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat : et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. *Luc.* 7. 38.

(Filius prodigus recipiscens et pœnitens, surrexit), et venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et eum, etc. *Ibid.* 15. 20.

(Dum discederet Paulus a Mileto), magnus — fletus factus est omnium : et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, etc, *Act.* 20. 37.

OSCULUM *fictum et proditorium.*

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. *Prov.* 27. 6.

(Absalom ambiens regnum patris sui, stabat juxta introitum portæ, et omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad regis judicium, vocabat — ad se — et apprendens, osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium — et sollicitabat corda virorum Israel. 2. *Reg.* 15. 2. 5. *et* 6.

Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab : qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est. *Ibid.* 20. 9. 10.

(Judas) accedens ad Jesum, dixit : Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum : (Judas enim) dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. *Matth.* 26. 48. *et seq.* *Luc.* 22. 46.

OTIUM. *V. et* **Acedia, et Negligentia.**

OTIUM *vitandum, quia vitia nutrit.*

(Adam jussus est a Deo operari in paradiso : sed quia otiosus fuit, peccavit; non peccaturus, si sedulo laborasset). *Gen.* 2. 15.

(Populus Israeliticus, quamdiu fuit occupatus labore in Ægypto, nunquam legitur aliquid mali egisse : sed cum cœpit) manducare et bibere, et surrexerunt ludere, (factus est idolatra). *Exod.* 32. 6.

(Samson otio vacat per multos dies apud Dalilam; sed perdit fortitudinem, libertatem, et vitam). *Judic. c.* 16.

(Sexcenti viri ex tribu Dan venerunt in Lais) ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii : urbemque incendio tradiderunt. *Ibid.* 18. 27. *V. et v.* 7.

(David eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, domi vacat otio, et labitur in adulterium, et subsequens homicidium). *Reg. c.* 11.

(Salomon, dum fuit occupatus labore ædificationis templi, vitam duxit innocentem; postquam vero a labore cessavit, et vitam desidem ac mollem duxit, captus amore mulierum, in idololatriam est lapsus). 3. *Reg. c.* 6. *et c.* 11.

Vade ad formicam, o piger, et considera viam ejus, etc. *Prov.* 6. 6. *et seq.*

Egestatem operata est manus remissa. *Ibid* 10. 4. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. *v.* 26.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Ibid.* 12. 11. *V. c.* 19. 15.

Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est : ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis. *Ibid.* 14. 4.

Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi. *Ibid.* 20. 4.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, replebitur egestate. *Ibid.* 28. 19.

Consideravit (mulier fortis) semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. *Ibid.* 31. 27.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, etc. *Eccles.* 11. 6. *V. Eccli.* 20. 30.

Multam enim malitiam docuit otiositas. *Eccli.* 33. 29.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ (et origo excidii ejus) — superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus. *Ezech.* 16. 49.

(Jonas, dum omnes erant occupati in navi vel labore ad evitandum naufragium, vel oratione ad Deum, solus dormit; hinc projicitur in mare, et fit præda piscis). *Jonæ. c.* 1.

(Spiritus immundus veniens, invenit domum vacantem). Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi. *Matth.* 12. 44. 45.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici. *Ibid.* 13. 25.

(Paterfamilias increpat otiosos in foro stantes, eosque ad laborem mittit). *Ibid.* 20. 3. 6.

(Virgines fatuæ, quia oscitantes, et dormientes præ desidia, lampades suas reficere, et oleum emere neglexerunt, a superveniente sponso reprobatæ sunt). *Ibid.* 25. 12.

(Servus piger et inutilis, qui cum commisso sibi talento noluit operari, ejicitur) in tenebras exteriores. *Ibid. v.* 30.

Nolite locum dare diabolo : qui furabatur, jam non furetur : magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est. *Ephes.* 4. 27. 28.

Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, etc. 1. *Thess.* 4. 10. 11.

Si quis non vult operari, nec manducet. 2. *Thess.* 3. 10. *V. et v.* 11.

(Paulus præcipit Timotheo vitare illas viduas, quæ) otiosæ discunt circuire domos : (imo) non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. 1. *Tim.* 5. 13.

Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Tit.* 3. 14.

P

PACTUM. *V. et* **Fœdus**.

PACTUM *cum quibus non sit ineundum.*

Non inibis eis (Gentilibus) fœdus, nec cum diis eorum. *Exod.* 23. 32.

Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum (Gentilium); ne, cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis. *Ibid.* 34. 15.

Non inibis cum eis (Gentilibus) fœdus — neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. *Deut.* 7. 2. 3.

(Rex Achab a Propheta reprehenditur, quod fœdus cum Benadad rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiserit). 3. *Reg.* 20. 34. *et* 42.

PACTUM *contra Dei voluntatem cum infidelibus initum, punitur.*

(Israel, dum sociatur Gentibus a Domino derelictis, ad ipsius exercitationem, earum sceleribus contaminatur: ideo sæpius per extraneos reges affligitur). *Judic. c.* 3. *V. et c.* 2. 2.

(Rex Achab a Propheta reprehenditur, et punitur, quod fœdus cum Benadad rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiserit). 3. *Reg.* 20. 34. *et* 42.

Cui (regi Josaphat) occurrit Jehu (Propheta) filius Hanani, Videns, et ait ad eum: Impio (Achaz) præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini mereberis. 2. *Paral.* 19. 2.

PACTUM *init Deus cum populo.*

Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis. *Gen.* 17. 2. Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. *v.* 7.

Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. *Exod.* 19. 5.

Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. *Deut.* 5. 2.

Ecce dies venient, dicit Dominus: et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum. *Jerem.* 31. 31. *V. v.* 33. *Item Oseæ.* 2. 18.

PACTUM *init populus cum Deo.*

Percussit ergo Josue in die illo fœdus, et proposuit populo præcepta, atque judicia in Sichem. *Josue.* 24. 25.

Stetitque rex (Josias) super gradum: et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias in omni corde, et in tota anima, et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo: acquievitque populus pacto. 4. *Reg.* 23. 3. *V.* 2. *Paral.* 15. 12.

Pepigit autem Jojada fœdus inter se, universumque populum et regem, ut esset populus Domini. 2. *Paral.* 23. 16. *V.* 2. *Esdr.* 10. 29.

PACTUM. — *Pacta sunt servanda. Exempla.*

Rahab vero meretricem, et domum patris ejus, et omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, et habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem; eo quod absconderit nuntios, quos miserat, ut explorarent Jericho. *Josue.* 6. 25. *V. v.* 22. *et confer cap.* 2. 12. 14.

(Inquit Saul ad David): Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, etc. Et juravit David Sauli. 1 *Reg.* 24. 22. *Confer* 2. *Reg.* 19. 23. *et* 3. *Reg.* 2. 8.

(Respondit Michæas Propheta nuntio Regis Achab): Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 2. *Paral.* 18. 13. *V. versus sequentes.*

PALMES *spiritualis.*

Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines ejus. *Psal.* 79. 12.

Facta est ergo (domus Dei) vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. *Ezech.* 17. 6. *V. v.* 7. 8. 9.

Vidit (domus Dei) altitudinem suam in multitudine palmitum suorum. *Ibid.* 19. 11.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum (Pater meus): et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. *Joan.* 15. 2. Sicut palmes non potest ferre fructum a seme-

tipso nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis, etc. *v.* 4 *V. v.* 5. *et* 6.

PANIS. — *Sumitur pro quolibet cibi genere.*

In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. *Gen.* 3. 19.

Ponamque buccellam panis (ait Abraham ad hospites suos), et confortate cor vestrum, postea transibitis. *Ibid.* 18. 5.

Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus (Agar) tradiditque puerum (Ismaelem) et dimisit eam. *Ibid.* 21. 14.

(Jacob) immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem. *Ibid.* 31. 54.

(Fratres Joseph postquam miserunt hunc in cisternam, sedentes, comederunt panem). *Ibid.* 37. 25.

Fratres Joseph) parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie : audierant enim, quod ibi comesturi essent panem. *Ibid.* 43. 25.

Quare dimisistis hominem? (ait Raguel sacerdos Madian filiabus suis) vocate eum, ut comedat panem. (Hic homo erat Moyses). *Exod.* 2. 20.

Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Deo : veneruntque Aaron et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo. *Ibid.* 18. 12.

Afflixit te (Israel, dicit Moyses, Deus) penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et Patres tui : ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. *Confer Matth.* 4. 4. *et Luc.* 4. 4.

Quare discipuli tui (dicunt Pharisæi ad Jesum) transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas, cum panem manducant. *Matth.* 15. 2. *V. Marc.* 7. 2.

Et cum venissent discipuli ejus (Christi) trans fretum, obliti sunt panes accipere, etc. *Ibid.* 16. 5. *V. v.* 7. *et seq. usq. ad* 13.

Et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare. *Marc.* 3. 20.

Et cum vidissent (Pharisæi) quosdam ex discipulis ejus (Christi) communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt. *Ibid.* 7. 2.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, (Domine). *Luc.* 11. 3. *Item. Matth.* 6. 11.

Quotidie quoque perdurantes unanimiter (discipuli Christi) in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis. *Act.* 2. 40. *V. v.* 42. *Item Luc.* 24. 35.

Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, etc. 2. *Thess.* 3. 8.

PANIS *labore comparandus. V. et. in Lit. O. in Tit.* **Opus**, *sub finem :* **Operatio domestica**. *Item* **Otium vitandum**.

In sudore vultus tui vesceris pane. *Gen.* 3 19.

Homo nascitur ab laborem, et avis ad volatum. *Job.* 5. 7.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus. *Prov.* 12. 11.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua. *Eccles.* 11. 6.

Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum. *Eccli.* 20. 30.

Nolite locum dare diabolo : qui furabatur, jam non furetur : magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. *Ephes.* 4. 27. 28.

Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. 1. *Thess.* 4. 10. 11.

Si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim, inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. 2. *Thess.* 3. 10. *et seq.*

Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Tit.* 3. 14.

PAPA *est Judex Controversiarum. V. Tit.* **Judex**, *sub finem.*

PARABOLA. — *Parabolarum Catalogus.*

(Parabola amici, petentis ab alio tres panes), *Luc.* 11. 5. (Aquarum egredientium e domo). *Ezech.* 47. 1. (Aquilarum grandium), *c.* 17. 3. (Arborum ungentium regem super se), *Judic.* 9. 8.

(Duorum canistrorum ficuum), *Jerem.* 24. 1. (Cardui et cedri), 4. *Reg.* 14. 9. *Item* 2. *Paral.* 25. 18. (Cinguli linei), *Je-*

rem. 13. 1. (Cœnæ magnæ), *Matth.* 22. 2. *Item Luc.* 14. 16. *V. Apoc.* 19. 9.

(Divitis et pauperis, habentis unam oviculam), 2. *Reg.* 12. 1. (Divitis, cujus agri exuberant). *Luc.* 12. 16. (Duorum debitorum). *c.* 7. 41. (Dispensatoris seu villici iniqui delati ad dominum), *c.* 16. 1. (Drachmæ amissæ), *c.* 15. 8. (Erucæ, locustæ, bruchi, et rubiginis). *Joel.* 1. 2. *et seq.*

(Fermenti), *Matth.* 13. 33. *Item Luc.* 13. 21. (Ficus), *Matth.* 24. 32. *Item Marc.* 13. 28. *et Luc.* 13. 6. *et c.* 21. 29. (Figuli), *Jerem.* 18. 2. (Filii prodigi), *Luc.* 15. 11. (Duorum ejusdem matris filiorum), 2. *Reg.* 14. 5. (Filiorum duorum, unius morigeri, immorigeri alterius), *Matth.* 21. 28. (Fratrum septem), *c.* 22. 25. *Item Marc.* 12. 20. *et Luc.* 20. 29.

(Grani sinapis), *Matth.* 13. 31. *Item Marc.* 4. 31. *et Luc.* 13. 19. (Invitatorum ad nuptias), *Luc.* 14. 7. (Judicis iniqui). *c.* 18. 2. (Lagenæ testaceæ). *Jerem.* 19. 1. 10. *et* 11. (Leænæ et leunculorum), *Ezech.* 19. 2.

(Margaritæ), *Matth.* 13. 45. (Mnarum servis distributarum), *Luc.* 19. 12. (Mulieris parturientis), *Joan.* 16. 21. (Duarum mulierum filiarum ejusdem matris fornicantium). *Ezech.* 23. 1.

(Negotiatoris), *Matth.* 13. 45. (Novaculæ acutæ), *Ezech.* 4. 1. (Œnophori, seu lagenæ testaceæ), *Jerem.* 19. 1. 10. *et* 11. (Ollæ), *Ezech.* 24. 3. (Operariorum in vinea), *Matth.* 20. 1. (Ostii et ovilis), *Joan* 10. 1. 2. (Oviculæ hominis pauperis), 2. *Reg.* 12. 1. (Ovis perditæ), *Matth.* 18. 12. *Item Luc.* 15. 4. (Ovium non habentium pastorem), 3. *Reg.* 22. 17. *Item* 2. *Paral.* 18. 16. *et Matth.* 9. 36.

(Patrisfamilias plantantis vineam), *Isa.* 5. 1. *Item Jerem.* 2. 21. *Matth.* 21. 33. *Marc.* 12. 1. *Luc.* 20. 9. (Pharisæi et Publicani), *Luc.* 18. 10. (Puerorum in foro sedentium), *Matth.* 11. 16. *Item Luc.* 7. 32.

(Rechabitarum), *Jerem.* 35. 1. (Regis rationem ponentis cum servis suis), *Matth.* 18. 23. (Regis facientis nuptias filio suo), *c.* 22. 2. *Item Luc.* 14. 16. (Regis ituri in bellum contra alterum regem). *Luc.* 14. 31.

(Sagenæ jactæ in mare), *Matth.* 13. 47. (Seminantis), *c.* 13. 3. *Item Marc.* 4. 3. *et Luc.* 8. 5. (Servorum expectantium dominum suum). *Luc.* 12. 36 (Sinapis), *Matth.* 13. 31. *Item Marc.* 4. 31. *et Luc.* 13. 19.

(Talentorum), *Matth.* 25. 14. *Item Luc.* 19. 12. (Thesauri absconditi in agro). *Matth.* 13. 44. (Turrim ædificare volentis). *Luc.* 21. 28.

(Villici, seu dispensatoris iniqui). *Luc.* 16. 1. (Vineæ plantatæ), *Isa* 5. 1. *Item Jerem.* 2. 21. *Matth.* 21. 33. *Marc.* 12. 1. *Luc.* 20. 9. (Virginum decem), *Matth.* 25. 1. (Viri pauperis et sapientis. *Eccles.* 9. 14. (Vitis et palmitum), *Joan.* 15. 1. (Uncini pomorum). *Amos* 8. 1.

(Zizaniorum), *Matth.* 13. 26. *et* 36.

PARENS. — *Parentes sunt honorandi et timendi.*

(Sem et Japhet benedictionem patris meruerunt, quia ei nudato obsequium præbuerunt : Cham vero filius maledictus fuit, quia patris nuditatem derisit). *Gen.* 9. 23. *et seq.*

(Magnæ existimationis erat apud antiquos benedictio patris, ut patet in Jacob et Esau, qui ipsam sollicite quæsierunt). *Ibid. c.* 27. *per totum.*

(Licet Esau esset homo malus reprobatus a Deo, et odio haberet fratrem suum Jacob, nolebat tamen ipsum occidere, vivente patre suo Isaac. Unde dicebat) : Venient dies luctus patris mei. (In hoc deferens patri honorem, et timens offensam ejus). *Ibid. v.* 41.

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram. *Exod.* 20. 12.

Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur, etc. *Ibid.* 21. 15. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. *v.* 17.

Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. *Levit.* 19. 3.

Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur : patri, matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum *Ibid.* 20. 9.

Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi, etc. *Deut.* 5. 16.

Si genuerit homo filium contumacem, et protervum, qui non audiat patris imperium, et coercitus obedire contempserit — lapidibus eum obruet populus, etc. *Ibid.* 21. 18. 21.

Maledictus qui non honorat patrem

suum, et matrem : et dicet omnis populus : Amen *Ibid.* 27. 16.

Reddidit. Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. *Judic.* 9. 56.

(Non audierunt filii Heli patrem ipsos corripientem, et ideo divinam ultionem experti sunt). 1. *Reg.* 2. 23. *V. c.* 4. 11.

(David a facie Saul fugiens, et in magna necessitate existens, habuit curam parentum suorum, et commendavit illos diligenter regi Moab). *Ibid.* 22. 3.

(Absalom David patrem suum de regno expellere laborabat, sed pessime ei successit). 2. *Reg. c.* 15. *et* 18.

(Veniente Bethsabea matre, surrexit Salomon rex, adoravitque eam, (et positus est thronus matri ad dexteram filii regis). 3. *Reg.* 2. 19.

(Duo filii Sennacherib occiderunt patrem ; sed neuter eorum regnavit post eum). 4. *Reg.* 19. 37. *Item Isa.* 37. 38.

(Tobias senior instruens filium suum, inter cætera dixit) : Cum acceperit Deus animam meam, corpus meus sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ, etc. *Tob.* 4. 3.

Qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. *Prov.* 20. 20.

Audi patrem tuum, qui genuit te : et ne contemnas, cum senuerit mater tua. *Ibid.* 23. 22.

Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. *Ibid.* 30. 17.

Judicium patris audite filii, et sic facite, ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis, et judicium matris exquirens, firmavit in filios. *Eccli.* 4. 2. 3. Et sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore : et qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat, etc. *v.* 5. *et seq.* Ne glorieris in contumelia patris tui : non enim est tibi gloria, ejus confusio, etc. *v.* 12. Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius : et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua. *v.* 14. *et* 15. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem ! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. *v.* 18.

In toto corde tuo honora patrem tuum ; et gemitus matris tuæ ne obliviscaris : memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses ; et retribue illis, quomodo et illi tibi. *Ibid.* 7. 28. *et seq.*

Honora patrem et matrem, etc. *Matth.* 15. 4. *usque ad v.* 7. *V. c.* 19. 19. *Item Marc.* 7. 10. *et c.* 10. 19. *Luc.* 18. 20.

(De puero Jesu dicitur) : Et descendit cum eis (scilicet Maria et Joseph), et venit Nazareth, et erat subditus illis. *Luc.* 2. 51.

(De puero Jesu dicitur) : Et descendit cum eis (scilicet Maria et Joseph), et venit Nazareth, et erat subditus illis. *Luc.* 2. 51.

(Sic etiam pendens in cruce Jesus, matrem suam dilecto discipulo commendavit). *Joan.* 19. 27.

Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. *Ephes.* 6. 2. 3. *V. et v.* 1.

Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino. *Coloss.* 3. 20.

PARENS. — *Parentum amor, Dei et Christi amori cedere debet.*

(Cum Abraham a Deo jussus fuit filium suum immolare, prompte obedivit). *Gen. c.* 22.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, etc. *Matth.* 10. 37.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem — non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14. 26.

PARENS. — *Parentum erga liberos officia. V. et* **Filii instituendi. Pietatem eos docere debent.**

Scio enim (ait Dominus), quod præcepturus sit (Abraham) filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam : ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. *Gen.* 18. 19.

(Sara adeo fuit sollicita pro filio suo Isaac bene educando, ut cum vidisset Ismaelem filium Agar ancillæ suæ, ludere

cum filio suo (utique indecenter), dixerit ad Abraham maritum suum) : Ejice ancillam hanc, et filium ejus. *Ibid.* 21. 9. *V. Gal.* 4. 30.

(Jacob singulis suis filiis benedicens, et quorumdam defectus arguens, futura illis prædicit; tandemque declarato sepulturæ suæ loco, moritur). *Ibid. c.* 49.

(Occurrit Dominus Moysi in itinere, et voluit occidere eum, eo quod filium suum non circumcidisset juxta legem Domini). *Exod.* 4. 24.

Et narres (Moysi et Aaron ait Deus) in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis; et sciatis, quia ego Dominus. *Ibid.* 10. 2. *V. c.* 12. 26. 27.

Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid est hoc? respondebis ei : In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis. *Ibid.* 13. 13. 14.

Et factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii ejus non perirent : (nam peccante patre, ipsi non peccaverunt, quod inter miracula hic numeratur). *Num.* 26. 10.

Custodi igitur temetipsum, et animam tuam sollicite : ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos, a die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, etc. *Deut.* 4. 9. 10.

Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo : et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. *Ibid.* 6. 4. *et seq.* Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt testimonia hæc, et cæremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? Dices ei : Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti, etc. *v.* 20. 21.

Docete filios vestros, ut illa (Dei verba) meditentur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris, atque surrexis, etc. *Ibid.* 11. 19.

Si genuerit homo filium contumacem, et protervum, qui non audiat patris et matris imperium, et coercitus obedire contempserit : apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit; comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. *Ibid.* 21. 18. *et seq.*

Ei dixit (Moyses) ad eos : Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie ut mandetis ea filiis vestris custodire, et facere, et implere universa, quæ scripta sunt (in volumine) legis hujus. *Ibid.* 32. 46.

Quando interrogaverint filii vestri — docebitis eos, etc. *Jos.* 4. 21. *V. et v.* 6. 7. *Item c.* 22. 24.

(Israelitæ narraverunt filiis suis beneficia toti populo a Deo præstita, teste Gedeone, qui ait) : Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt : De Ægypto eduxit nos Dominus? *Judic.* 6. 13.

(Magna fuit Elcanæ et Annæ circa filii sui educationem pietas, dum eum totum Deo consecrarunt, ut cunctis diebus vitæ suæ ei inserviret). 1. *Reg.* 1. 22. *et seq. usq. ad fin.*

Dixit Heli ad filios suos : Nolite, filii mei facere mala hæc) : non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. *Ibid.* 2. 24.

Prædixi enim ei (ait Dominus Samueli), quod judicaturus essem domum ejus in æternum (scil. Heli) propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. *Ibid.* 3. 15. (Ergo prædicta correctio Heli ad filios suos, pro nihilo fuit a Deo reputata; imo supplicio digna visa est).

(Cum audisset David incestum, quem patravit filius ejus Amnon, eum non corripuit) : et noluit constristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum : quia primogenitus erat ei. (Sed in hoc male egit). *Reg.* 13. 21.

(Optime egit David parens, cum filium suum Salomonem magna sollicitudine Nathan Prophetæ tradidit instituendum, eique moriturus bonam regni administrationem, et cultus divini curam commendavit). *Reg.* 12. 25. *et* 3. *Reg* 2. 1. *et seq.*

Appropinquaverunt autem dies David, ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens, etc. 3. *Reg.* 2. 1. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi (*Deut.* 17. 19.), ut intelligas universa, quæ facis, et quocumque te verteris. *v.* 3.

(Dixit David ad Salomonem filium suum) : Tu autem Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario, etc. 1. *Paral.* 28. 9.

(Tobias senior genuit filium), quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. *Tob.* 1. 10.

Tobias senior optime educatus a suis parentibus, quippe qui adhuc puerulus, omnia secundum legem Dei observabat, optime quoque filium suum educavit, et saluberrima præcepta ad vitam pie instituendam illi dedit). *Confer c.* 4. *Tob. cum c.* 1. *v.* 9. *V. tot. hoc c.* 4.

(Raguel et Anna filiam suam Saram pie et pudice educatam dimittunt), monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Ibid.* 10. 13.

Audite ergo, filii mei, patrem vestrum (inquit Tobias moriens) : Servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis, quæ placita sunt illi : et filiis vestris mandate, ut faciant justitias, et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute sua. *Ibid.* 14. 10. 11.

(Quantam pro filiorum suorum salute curam gesserit sanctus Job, ex eo patet, quod quotidie pro illo Deum sit deprecatus, et sacrificia obtulerit). *Job* 1. 5.

Quanta audivimus et cognovimus ea : et patres nostri narraverunt nobis. *Psal.* 77. 3. *V. usque ad v.* 7.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ; ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *Prov.* 1. 8. 9.

Audite, filii, disciplinam patris, et attendite, ut sciatis prudentiam. *Ibid.* 4. 1. *V. c.* 5. 7. *et c.* 24.

Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. *Ibid.* 13. 24.

Erudi filium tuum, ne desperes : ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. *Ibid.* 19. 18.

Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. *Ibid.* 20. 7.

Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. *Ibid.* 22. 15.

Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. *Ibid.* 23. 13. 14.

Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ. *Ibid.* 29. 17. *V. et. v.* 15.

Verba Lamuelis regis. Visio, qua erudivit eum mater sua. *Ibid.* 31. 1.

Fili, conserva tempus, et devita a malo. *Eccli.* 4. 23.

Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum, etc. *Ibid.* 7. 25. *V. et v.* 26. *Item c.* 8. 11.

In filia non avertente se, firma custodiam : ne inventa occasione, utatur se. *Ibid.* 26. 13. *V. et c.* 42. 11.

Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. (Et sic per totum caput docemur, filios in disciplina educare, et quam sit perniciosum illis indulgere). *Ibid.* 30. 1. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius, etc. *v.* 11. *et seq.*

Pater filiis notam faciet veritatem tuam (scil. Dei). *Isa.* 38. 19. *V. et Joel.* 1. 3.

Parentes enim illius (Suzannæ), cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. *Dan.* 13. 3.

Vos ergo, filii, confortamini (dixit Mathathias moriturus), et viriliter agite in lege : quia in ipsa gloriosi eritis (scilicet cum feceritis, quæ vobis præcepta sunt in lege a Domino Deo vestro). 1. *Mach.* 2. 64. *V. et. v.*

Adolescentibus autem (dixit Eleazarus moriturus) exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter, pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis confestim ad supplicium trahebatur. 2. *Mach.* 6. 28. *V. et v.* 24.

Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat : singulos

illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia : et fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, etc. *Ibid.* 7. 20. *et seq.* Itaque inclinata ad illum (scil. filium suum), irridens crudelem tyrannum, ait patria voce : Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in ætatem istam perduxi. *v.* 27. *et seq.*

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. *Matth.* 10. 37. *V. Luc.* 14. 26.

Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educate illos in disciplina et correptione Domini. *Ephes.* 6. 4. *Item. Coloss.* 3. 21. *verbatim fere. V.* 3. *Tim.* 3. 15. *Tit.* 2. 4.

PARENS. — *Parentes debent diligere liberos tanquam dona Dei.*

(Dixit Jacob ad Esau de liberis suis) : Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo. *Gen.* 33. 5.

Videntes autem fratres ejus (Joseph), quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, etc. *Ibid.* 37. 4.

(Jacob interroganti respondit (Joseph) : Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. *Ibid.* 48. 9.

Deprecatusque est David Dominum pro parvulo (ægrotante), et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram. Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum ut surgeret de terra; qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 2. *Reg.* 12. 16. *et v.* 22.

Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem (Salomonem) (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo) : Obsecro, domine : date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. 3. *Reg.* 3. 26.

(Cum profectus esset Tobias junior); cœpit mater ejus flere, et dicere (viro suo) : Baculum senectutis nostræ tulisti, et transmisisti a nobis, etc. *Tob.* 5. 23. *V. c.* 10. 4.

Cœpit autem contristari nimis ipse (Tobias), et Anna uxor ejus cum eo : et cœperunt ambo simul flere : eo quod die statuto minime reverteretur filius eorum ad eos. *Ibid.* 10. 3.

Ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris. *Psal.* 126. 3.

PARENS. — *Parentes debent liberos suos corrigere, et peccata eorum arguere.*

(Si vovente filia), contradixerit pater : et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. *Num.* 30. 6.

Prædixi enim ei (inquit Deus Samueli), quod judicaturus essem domum ejus (scil. Heli) in æternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. 1. *Reg.* 3. 13.

Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. *Prov.* 13. 24.

Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum : et animam ejus de inferno liberabis. *Ibid.* 28. 13. 14. *V. c.* 29. 15.

Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ. *Ibid.* 29. 17.

Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo : et in medio domesticorum in illo gloriabitur, etc. *Eccli.* 30. 1. *et seq. usq. ad v.* 14.

Quis enim filius, quem non corripit pater? *Hebr.* 12. 7.

PARENS. — ... *sed in corrigendis liberis et arguendis, moderatione opus est.*

Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educare illos in disciplina et correptione Domini. *Ephes.* 6. 4.

Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. *Coloss.* 3. 21.

PARENS. — *Parentes debent orare pro liberorum felicitate, et peccatis amovendis.*

Deprecatusque est David Dominum pro parvulo (suo ægrotante). 2. *Reg.* 12. 16.

(Oravit David pro filio suo Salomone). 1. *Paral.* 29. 19.

Consurgensque (Job) diluculo, offerebat holocausta pro singulis (liberis; et sic faciebat cunctis diebus). *Job.* 1. 5.

PARENS. — *Parentes debent liberis tradere facultates, et prospicere de matrimonio.*

Habitavitque (Ismael) in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti. *Gen.* 21. 21.

Dixit (Abraham) ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat : Pone manum tuam subter fe-

mur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito : sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac, etc. *Ibid.* 24. 2. *et seq.*

(Dixit servus Abraham ad Laban) : Et peperit Sara, uxor domini mei, filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia, quæ habuerat, etc. *Ibid. v.* 36.

Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac : filiis autem concubinarum largitus est munera, etc. *Ibid.* 25. 5. 6.

Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit eum, præcepitque ei, dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaan : sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam, etc. et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui. *Ibid.* 28. 1. 2.

Et pergens (Sichem) ad Hemor patrem suum : Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem, (scil. Dinam), *Ibid.* 34. 4.

Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. *Ibid.* 38. 6.

Sin autem (dominus) filio suo desponderit eam (famulam), juxta morem filiarum faciet illi. Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit. *Exod.* 21. 9. 10.

Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim, ascendit et nuntiavit patri suo et matri suæ, dicens : Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum : quam quæso, ut mihi accipiatis uxorem. Cui dixerunt pater et mater sua : Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixit Samson ad patrem suum : Hanc mihi accipe : quia placuit oculis meis, etc. *Judic.* 14. 1. *per totum Caput. V. et* 1. *Cor.* 7. 38. *Et Titul. Matrimonium.*

PARENS. — *Parentes sunt honorandi ex corde.*

Audi, fili mi (dixit senex Tobias filio suo), verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum constitue. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelies eam circa me. *Tob.* 4. 2. *et seq.*

Audi patrem tuum, qui genuit te, et ne contemnas, cum senuerit, mater tua. *Prov.* 23. 22.

Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius : et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua : eleemosyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, et in justitia ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tui : et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua, etc. *Eccli.* 3. 14. *et seq.*

PARENS. — ... *diligenter.*

Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt, etc. *Eccli.* 3. 8. *V. et versus sequentes.*

Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses : et retribue illis, quomodo et illi tibi. *Ibid.* 7. 29.

Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino *Coloss.* 3. 20. *Item Ephes.* 6. 1.

PARENS. — ... *propter Dei jussionem.*

Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat. *Levit.* 19. 3.

Honora patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. *Deut.* 5. 16. *Item Exod.* 20. 12.

Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem ; et : Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. *Matth.* 15. 3.

PARENS. — ... *ob boni consecutionem.*

Corona senum filii filiorum : et gloria filiorum, patres eorum. *Prov.* 17. 6.

Judicium patris audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis : et judicium matris exquirens, firmavit in filios. *Eccli.* 3. 2. 3. Et sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore ; et qui obedit patri, refrigerabit matrem. *v.* 5. *et seq.* In opere et sermone, et omni sapientia

honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta. *Ibid. v.* 9. *et seq.*

Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. *Ephes.* 6. 1. *et seq.*

PARENS. — ... *ob mali evasionem.*

Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur. *Exod.* 21. 15. Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur. *v.* 17. *V. Lev.* 20. 9. *Prov.* 20. 20. *Matth.* 15, 4. *Marc.* 7. 10.

Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem. *Deut.* 27. 16.

Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est et infelix. *Prov.* 19. 26.

Qui maledicit patri suo, et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. *Ibid.* 20. 20.

Qui subtrahit aliquid a patre suo, et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. *Ibid.* 28. 24.

Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. *Ibid.* 30. 17.

Ne glorieris in contumelia patris tui : non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii, pater sine honore. *Eccli.* 3. 12. 13. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem ! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. *v.* 13.

PASCHA. *V. in Lit. F.* **Festum Paschæ.**

PASTOR *summus Christus Deus, affectuose revocans errantes.*

Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc : et convertam eos ad rura sua : et crescent, et multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos, etc. *Jerem.* 23. 3. 4.

Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. *Ezech.* 34. 11. Et educam eas — et inducam eas in terram suam : et pascam eas in montibus Israel. *v.* 13. *V. per totum. caput per singulos versus.*

Ego sum pastor bonus. *Joan.* 10. 11. *V. et v.* 14. *Item Isa.* 40. 11.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem : faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum. *Hebr.* 13. 20. 21.

Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum. 1. *Petr.* 2. 25.

PASTOR. — *Copiose remunerans obsequentes.*

Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. *Isa.* 40. 11.

In pascuis uberriminis pascam eas, etc. *Ezech.* 34. 14. Quod perierat, requiram : et quod abjectum erat, reducam : et quod confractum fuerat, alligabo : et quod infirmum fuerat, consolidabo : et quod pingue et forte, custodiam, et pascam illas in judicio. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus. *v.* 16. *et* 17. *V: totum caput.*

Ego sum pastor bonus : et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem : et animam meam pono pro ovibus meis, etc. *Joan* 10. 14. 15. Ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. *v.* 28.

PASTOR. — *Pastores, præceptores, et alii præferti, qua debeant sollicitudine, et cura esse erga sibi commissos.*

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera : non enim habebis jugiter potestatem, sed corona tribuetur (tibi) in generationem et generationem. *Prov.* 27. 23, 24.

Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis. *Sap.* 6. 23. *V. et v.* 26.

Quod infirmum fuit (o pastores), non consolidastis ; et quod ægrotum, non sanastis ; quod confractum est, non alligastis ; et quod abjectum est, non reduxistis; et quod perierat, non quæsistis ; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. etc. *Ezech.* 34. 4. *per totum caput.*

Quid vobis videtur ? si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis : nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam, quæ erravit ? etc. *Matth.* 18, 12, *Item Luc.* 15. 4.

Quis, putas, est fidelis servus, et pru-

dens, quem constiuit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? *Ibid.* 24, 45, *Item Luc,* 12, 42.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves, etc. *Joan.* 10. 11. *per totum caput.*

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, etc. *Ibid.* 13. 1. *per totum caput.*

Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi : quia tui sunt. *Ibid.* 17. 9. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint suum sicut et nos. *v.* 11. *V. et v.* 12.

Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum : si ergo me quæritis, sinite hos abire. *Ibid.* 18. 8.

Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. *Act.* 6. 4.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, etc. *Ibid.* 20. 28. Propter quod vigilate, memoria retinentes : quoniam per trienium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. *v.* 31.

Agrippa autem (dicebat) ad Paulum : In modico suades me Christianum fieri. Et Paulus : Opto apud Deum, et in modico, et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his. *Ibid.* 26. 28.

Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. *Rom.* 9. 3.

Qui exhortatur in exhortando (domum habet secundum gratiam), qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. *Ibid.* 12. 8.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, etc. 1. *Cor.* 3. 1. 2.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *Ibid.* 4. 1. 2.

Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. *v.* 14.

Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. Si enim ego contristo vos : et quis est qui constristatur ex me? etc. 2. *Cor.* 2. 1. 2. *per totum.*

Et posuit (Deus) in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. *Ibid.* 5. 19. 20.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Ibid.* 6. 1. *V. totum caput* 7. *Item c.* 10. 14.

Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *Ibid.* 11. 2. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? *v.* 29.

Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos : et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. *Ibid.* 12. 14. *V. et v.* 15.

Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis — Non enim possumus aliquid adversus veritatem : sed pro veritate. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus, vestram consummationem. Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem. *Ibid.* 13. 7. *et seq.*

Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos, etc. *Galat.* 4. 11. 12. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *v.* 19.

Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi — ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus interiorem hominem, etc. *Ephes.* 3. 14. 16.

Et ipse (Deus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, etc. *Ibid.* 4. 11. 12. *V.* 1. *Cor.* 12. 28.

(Paulus inquit) : Orantes (sitis) omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus Sanctis, et pro me, ut detur mihi

sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii : pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui, etc. *Ibid.* 6. 18. *et seq.*

De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. *Philipp.* 3. 1.

Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam victus sum), ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui. *Coloss.* 4. 3. 4.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis : neque in occasione avaritiæ : Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. 1. *Thess.* 2. 5. *et seq.*

Positus sum ego (Paulus) prædicator et Apostolus — Doctor gentium in fide et veritate. 1. *Tim.* 2. 7.

Oportet — Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, etc. *Ibid.* 3. 2. *Item Tit.* 1. 7. *et seq.*

Præcipe hæc et doce, etc. *Ibid.* 4. 11. Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate — attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ — profectus tuus manifestus sit omnibus, etc. *v.* 12. *st seq.*

Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. *Ibid.* 6. 12. *V. et. v.* 11.

Sollicite cura, te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 2. *Tim.* 2. 15. Servum autem Domini non oportet litigare : sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem, etc. *v.* 24. *et* 25. *V. et v.* 22.

Prædica verbum, insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. *Ibid.* 4. 2. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. *Ibid. v.* 5. *V. Tit.* 1. 11.

Ut potens sit (Episcopus) exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. *Tit.* 1. 9.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile : ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Ibid.* 2. 7. 8. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. *v.* 15. *V. et totum caput* 3.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. *Petr.* 5. 2. 3.

PASTOR. — *Pastorum dignitas ac præstantia.*

Et dixit Dominus ad me (Jeremiam) : Ecce dedi verba in ore tuo : ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. *Jerem.* 1. 9. 10.

Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. *Nahum* 1. 15. *V. et Isa.* 52. 7. *Rom.* 10. 15.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. *Matth.* 10. 12. *V. Luc.* 10. 5.

Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. *Marc.* 6. 11. *V. Matth.* 10. 14. *Luc.* 9. 5. *Act.* 13. 51. *et c.* 18. 6.

Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. *Galat.* 6. 6.

Excipite itaque illum (Epaphroditum fratrem et cooperatorem) cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote. Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id ; quod ex vobis deerat erga meum obsequium. *Philipp.* 2. 29. 30. *V.* 1. *Cor. c. per totum caput.*

Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum. *Thess.* 6. 12. 13.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maxime qui laborant in verbo et doctrina. 1. *Tim.* 5. 17.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quo-

rum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. *Hebr.* 13. 7. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes : hoc enim non expedit vobis. *v.* 17.

Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos : qui non est ex Deo, non audit nos 1. *Joan.* 4. 6.

PASTOR *bonus Deum attendit.*

Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium — Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. *Joan.* 10. 2. 4.

Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos, etc. *Ibid.* 21. 15. *V. v.* 16. *et* 17.

Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 1. *Cor.* 4. 2.

PASTOR *bonus ovibus intendit.*

Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. *Jerem.* 3. 15.

Scitis, quia principes gentium dominantur eorum — Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister — Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis. *Matth.* 20. 25. *et seq. V. Luc.* 22. 25.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, etc. *Joan.* 10, 11.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Act.* 20. 28.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, etc. 1. *Tim.* 3. 2.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, etc. *Tit.* 1. 7.

Discant autem et nostri bonis operibus præsse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Ibid.* 3. 14.

PASTOR *bonus præmium acquirit.*

Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. *Matth.* 24. 45. *et seq. Item Luc.* 12. 42.

Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8.

Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator : Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. 1. *Petr.* 5. 1. *et seq.*

PASTOR *malus bonum gregem dissipat.*

Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. *Isa.* 56. 10. *V. et v.* 11.

Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me. *Jerem.* 2. 8.

Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia : quid igitur fiet in novissimo ejus? *Ibid.* 5. 31.

A propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax : et non erat pax. *Ibid.* 6. 13. 14. *Item c.* 8. 10.

Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam : dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, etc. *Ibid.* 12. 10.

Et populi, quibus prophetant (falsi Prophetæ), erunt projecti in viis Jerusalem præ fame et gladio, etc. *Ibid.* 14. 16. *V. c.* 23. 14. *per totum et c.* 27. 15. *Item Thren.* 2. 14. *Ezech.* 13. 10. *et c.* 34. 2. *Zach.* 10. 3.

Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, fecerunt que vagari in montibus, etc. *Ibid.* 50. 6.

Fili hominis, propheta de pastoribus Israel — Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos : nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis : gregem autem meum non pasce-

batis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor. *Ezech.* 34. 2. *et seq.* Nonne satis vobis erat pascua bona depasci ? insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris, et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis — Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos : Ecce ego ipse judico inter pecus pingue et macilentum : Pro eo, quod lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras: salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus. *v.* 18. *et seq.*

Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum : cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. *Matth.* 15. 14. *Item Luc.* 6. 39.

Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ : quia clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. *Ibid.* 23. 13. *V. et versus sequentes.*

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. *Joan.* 10. 1. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves. *v.* 12.

PASTOR *malus commodum proprium spectat.*

Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. *Isa.* 56. 11. *V. Jerem.* 6. 13. *et c.* 8. 10.

Propterea, pastores, audite verbum Domini : Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam : et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor : neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant, etc. *Ezech.* 34. 7. 8. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, ne pascant amplius pastores semetipsos : et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam. *v.* 10.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. *Joan.* 10. 13.

Sunt enim multi — qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. *Tit.* 1. 10. 11.

PASTOR *malus malum contra se provocat.*

Væ pastoribus, qui disperdunt, et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus, etc. Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos : ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. *Jerem.* 23. 1. 2.

Ululate, pastores, et clamate : et aspergite vos cinere, optimates gregis : quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini ; et dissipationes vestræ, et cadetis quasi vasa pretiosa — Vox clamoris pastorum, et ululatus optimatum gregis : quia vastavit Dominus pascua eorum. Et conticuerunt arva pacis a facie iræ furoris Domini. *Ibid.* 25. 34. 36.

Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo. *Zach.* 10. 5.

Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum — Hæc dicit Dominus Deus meus : Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus : et pastores eorum non parcebant eis. Et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus. *Ibid.* 11. 3. *et seq.* Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti — O pastor et idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus, etc. *v.* 15. *et* 17.

PATIENTIA. — *Patiens et longanimis est Deus.*

Dixitque Deus (videns hominum peccata crescere) : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est : eruntque dies illius centum viginti annorum. *Gen.* 6. 3.

Quo (Deo) transeunte coram eo (Moyse), ait : Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens, et multæ miserationis, ac verax. *Exod.* 34. 6. *V. et v.* 7.

Dominus patiens et multæ misericor-

diæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam et quartam generationem. *Num.* 14. 18.

Deus judex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies? *Psal.* 7. 12.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. *Psal.* 85. 5. Et tu, Domine, Deus miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax. *v.* 15.

Miserator et misericors Dominus; longanimis, et multum misericors. *Psal.* 102. 8. *Item Psal.* 144. 8. 9.

Attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur. *Eccles.* 8. 12.

Sed misereris omnium (Domine), quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24. *V. et v.* 27.

Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia. *Ibid.* 15. 1. *V. et v.* 2.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri: et ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus: beati omnes, qui expectant eum. *Isa.* 30. 18.

(Dicit Deus): Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. *Ibid.* 42. 14.

Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. *Joel.* 2. 13. *V. Mich.* 7. 18. 19.

(Jonas in afflictione sua oravit Dominum, dicens): Scio enim, quia tu Deus clemens, et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. *Jonæ.* 4. 2.

Dominus patiens et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. *Nahum* 1. 3. *V. et v.* 7.

Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. *Matth.* 18. 27.

Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, patientiam habebit in illis? *Luc.* 18. 7.

An divitias bonitatis ejus (Dei), et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Rom.* 2. 4.

Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. *Ibid.* 9. 22. 23.

Deus autem patientiæ et solatii. *Ibid.* 15. 5.

Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei, et patientia Christi. 2. *Thess.* 3. 5. *V. Apoc.* 1. 9. *et c.* 3. 10.

Sed ideo misericordiam consecutus sum; ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. I. 16.

Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3. 9. *V. Petr.* 3. 20.

PATIENTIA, *et longanimitas fidelium in omni genere tribulationum: exempla, dicta, et commendatio.*

(Abraham Dei mandato parens, promissaque accipiens, patria relicta, comitante Lot, Domino in Sichem sacrificat: inde propter famem Ægyptum ingressus, uxorem suam vocat sororem, quam in domum regis sublatam, postea ditatus recipit). *Gen. c.* 12.

(Mansuete ferebat Isaac, cum pater suus eum immolare vellet). *Gen.* 22. 9.

(Joseph facinus, quod in eum commiserunt fratres sui, et patienter tulit, et clementer indulsit). *Ibid.* 45. 4.

(Cito oravit Moyses pro Maria, quæ contra eum tam inique locuta fuerat, et per orationem ejus sanata fuit). *Num.* 12. 13. *V. v.* 3.

(Murmurabat populus) contra Moysen et Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. *Ibid.* 16. 41. (Et cum iratus esset Dominus, ut percuteret populum), dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, etc. pergens cito ad populum, ut roges pro eis: (Et sequitur quod plaga cessaverit). *v.* 46. *V. Sap.* 18. 21.

(Viri Ephraim jurgantes fortiter contra Gedeonem, sedati fuerunt propter ejus mansuetam responsionem): Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? *Judic.* 8. 2. *V. et v.* 3.

(Noluit sustinere Saul, ut occiderentur viri, qui detraxerant ei). 1. *Reg*. 11. 13.

(Potuit David pluries, et noluit occidere Saul, ipsum acriter persequentem; sed tantum abscidit oram chlamydis ejus, quando ingressus est speluncam, in qua latitabat). *Ibid*. 24. 5. *V. et. v*. 12.

(Aliud insigne mansuetudinis exemplum præbuit David, cum facillime posset occidere Saul dormientem in tentorio, et tamen satis habuit auferre illi hastam, et scyphum). *Ibid*. 29. 12.

(Fugiens David a facie Absalom, patienter dixit ad Sadoc) : Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. 2. *Reg*. 15. 25.

(Sibæ cibaria afferenti ac detractori confert David bona Miphiboseth, et Semei maledicentem occidi vetat). 2. *Reg*. *c*. 16. Et ait rex (iis, qui voluerunt amputare caput Semei) : Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David : et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? *v*. 10.

(Miphiboseth patienter sustinuit iniquam sententiam contra se latam). *Ibid*. 19. 28.

(Homines, qui venerant ad capiendum Eliseum, non permisit ipse illos aliquid mali habere, sed præcepit eis mensam apponi, et refectos abire permisit). 4. *Reg*. 6. 22. 23.

(Dixerunt seniores dantes consilium Roboam) : Si placueris populo huic, et leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore. 2. *Paral*. 10. 7. *V*. 3. *Reg*. 12. 7.

Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum, et fortiter fer, qui tibi contigerunt, casus. 4. *Esdr*. 10. 15.

(Tobias) cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, (et irrisionem uxoris et amicorum sicuti Job patienter sustinuit). *Tob*. 2. 13. 14.

(Filia Raguelis Sara, gravem contumeliam ab ancilla prolatam patienter tulit, nihil respondens, sed ad orationem se statim convertens). *Ibid*. 3. 10. *et seq*.

Humiliemus illi (Deo) animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, (serviamus ei). *Judith* 8. 18. *et seq*.

(Job sanctus et dives, pro filiis vicissim convivia celebrantibus Domino sacrificat, cujus possessiones Dominus potenti Satanæ diripiendas exponit, per quem perdita omni illius substantia, interemptisque filiis, ipse cum signis mœstitiæ, patiens in Dei laudes prorumpit). *Job c*. 1.

Dixit autem illi (Job) uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, et morere. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus locuta es : si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? *Ibid*. 2. 9.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias : nec deficias, cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit : et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov*. 3. 11. 12. *V. Hebr*. 12. 5. 6.

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Ibid*. 14. 29.

Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem. *Ibid*. 15. 1. Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, mitigat suscitatas. *v*. 18.

Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Ibid*. 16. 32.

Doctrina viri per patientiam noscitur : et gloria ejus est iniqua prætergredi. *Ibid*. 19. 11.

Ne dicas, Reddam malum : expecta Dominum, et liberabit te. *Ibid*. 20. 22. *V. et c*. 17. 13.

Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam. *Ibid*. 25. 15.

Melior est patiens arrogante. *Eccles*. 7. 9.

Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. *Eccli*. 1. 29.

Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur aurum et argentum : homines vero receptibiles in camino humiliationis. *Ibid*. 2. 4. 5.

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. *Thren*. 3. 26. *V. et Mich*. 7. 9.

Intuens autem, quemadmodum oportet accedere, patienter sustinens destinavit (Eleazarus) non admittere illicita propter vitæ amorem, etc. 2. *Mach*. 6. 20.

(Septem fratrum, matrisque eorum ingentia fortissimeque tolerata supplicia, quod porcinis nollent vesci carnibus; et quam constanter regi ob suam crudelita-

tem ostenderint damnationem esse paratam, et quomodo mater suos filios sit exhortata). *Ibid. c.* 7.

Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram, etc. *Matth.* 5. 39. *Item Luc.* 6. 29.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. *Ibid.* 11. 29.

(Boni Christiani) fructum afferunt in patientia. *Luc.* 8. 15.

(Dixerunt discipuli quidam) : Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos (scil. Samaritanos)? (At Jesus increpavit eos), dicens : Nescitis cujus spiritus estis, etc. *Ibid.* 9. 54.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Ibid.* 21. 19.

(Apostoli cæsi) ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5. 41.

(Deus reddet secundum patientiam operis boni, vitam æternam). *Rom.* 2. 7.

Non solum autem (gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei), sed et gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. *Ibid.* 5. 3. 4.

Si autem quod non videmus, speramus : per patientiam exspectamus. *Ibid.* 8. 25.

Spe gaudentes : in tribulationibus patientes. *Ibid.* 12. 12. Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ, etc. *v.* 19.

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Ibid.* 15. 4.

Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 1. *Cor.* 6. 7.

Caritas patiens est, benigna est, etc. — Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. *Ibid.* 13. 4. *et seq.*

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, etc. 2. *Cor.* 6. 4. *V. et c.* 12. 12.

Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Galat.* 5. 22. 23.

Obsecro itaque vos, etc. ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate. *Ephes.* 4. 1. 2.

Quia vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. *Philipp.* 1. 29.

In omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, etc. *Coloss.* 1. 11. 12.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, etc. *Ibid.* 3. 12. 13.

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. 1. *Thess.* 5. 14. 15. *V. Rom.* 12. 17. *Item* 1. *Petr.* 8. 9.

Ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus, quas sustinetis, in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini. Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem (aliqui legunt retributionem), iis, qui vos tribulant : et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus. 2. *Thess.* 1. 4. *et seq.*

Tu autem, o homo Dei, hæc fuge (scil. cupiditatem etc.) : sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. 1. *Tim.* 6. 11.

Labora, sicut bonus miles Christi Jesu. 2. *Tim.* 2. 3. Si sustinebimus et conregnabimus : si negaverimus, et ille (Christus) negabit nos. *v.* 12.

(Servum Domini oportet), mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. 2. *Tim.* 2. 24. *V. Tit.* 2. 2.

Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. *Hebr.* 6. 12.

Patientia enim vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Ibid.* 10. 36.

Fide Moyses grandis factus, negavit se

esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. *Ibid.* 11. 24. 25.

Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. *Ibid.* 12. 1. *V. et versus sequentes.*

Scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur : patientia autem opus perfectum habet, etc. *Jacob.* 1. 3. 4.

Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum ac serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra *Ibid.* 5. 7. *V. v.* 10. *et* 11.

In quo (Deo) exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 6. 7.

Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria si peccantes, et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis : hæc est gratia apud Deum. *Ibid.* 2. 19. 20.

Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. *Ibid.* 3. 14. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo. *v.* 17. *et* 18.

Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, quia passus est in carne, desiit a peccatis : ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. *Ibid.* 4. 1. 2. *V. et. v.* 19. *Item* 2. *Petr.* 1. 6.

Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. *Apoc.* 14. 12.

PATIENTIA *Deum placat.*

Patientia pauperum non peribit in finem. *Psal.* 9. 19.

Ne dicas : Reddam malum (pro malo) : expecta Dominum, et liberabit te. *Prov.* 20. 22.

Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. *Apoc.* 3. 10.

PATIENTIA *præmium parat.*

Quod autem in bonam terram : hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum, retinent, et fructum afferunt in patientia. *Luc.* 8. 15.

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Rom.* 15. 4.

PATIENTIA *hominem commendat.*

(Longanimis forti præstat : et qui animo suo imperat, ei, qui expugnat urbes). *Prov.* 16. 32.

Doctrina viri per patientiam noscitur. *Ibid.* 19. 11.

Melior est patiens arrogante. *Eccles.* 7. 9.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Luc.* 21. 19.

Caritas patiens est, benigna est, etc. 1. *Cor.* 13. 4.

Patientia enim vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Hebr.* 10. 36.

PATIENTIA. — *Impatientia et ejus punitio.*

Et dixerunt ad Moysen (filii Israel) : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine? quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? *Exod.* 14. 11.

Et murmuravit populus contra Moysen, dicens : Quid bibemus? *Ibid.* 15. 24.

Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine. Dixeruntque filii Israel ad eos : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, etc. *Ibid.* 16. 2. 3. (Dixeruntque eis Moyses et Aaron) : Mane videbitis gloriam Domini : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? *v.* 7.

Qui (populus Israel) jurgatus contra Moysen, ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ibid.* 17. 2. *V. Num.* 20. 4. *et* 5.

Interea ortum est murmur populi,

quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem. *Num.* 11. 1. 2. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde : sed et Moysi intoleranda res visa est. *v.* 10.

Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel, dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto, et in hac vasta solitudine utinam pereamus, etc. *Ibid.* 14. 1. *et seq.* (Ait Dominus) : Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus : sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra, etc. *v.* 27. *et seq.*

Locutusque (populus Israel) contra Deum, et Moysen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, et dixerunt : Peccavimns, quia locuti sumus contra Dominum et te : ora, ut tollat a nobis serpentes. *Ibid.* 21. 5. *et seq.*

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et locutus est : Pereat dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo, etc. *Job.* 3. 1. *et seq.* *V. et Jerem.* 20. 14. *et seq.*

Væ iis, qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *Eccli.* 2. 16.

PAUPERTAS *et pauperes. V. et* **Eleemosyna, et Misericordia.**

PAUPERTAS *a Deo est, et laudatur.*

Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane. *Prov.* 12. 9. *V. Eccli.* 10. 30.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis. *Ibid.* 14. 31. *Item c.* 17. 5.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. *Ibid.* 15. 16. *V. et c.* 16. 8. *et c.* 17. 1.

Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus. *Ibid.* 22. 2.

Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. *Eccli.* 11. 14. *V. Job.* 1. 21. *et c.* 2. 10.

Beati pauperes : quia vestrum est regnum Dei. *Luc.* 6. 20. *Item Matth.* 5. 3.

PAUPERTAS. — *Paupertatis exempla.*

(Patriarcha Jacob recedens a parentibus suis, et pergens ad Laban fratrem suæ matris, nec animal, nec famulum legitur habuisse, sed in baculo suo transiit Jordanem : et quadam vice volens requiescere post solis occasum, tulit de lapidibus, et supponens capiti, dormivit in eodem loco). *Gen.* 28. 11. *Confer c.* 22. 10.

Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui, sacerdotis Madian. *Exod.* 3. 1.

(Ruth Moabitis non magnis divitiis abundabat, quando ibat ad colligendum spicas, quæ metentium manus fugerant, quæque ad manus pauperum pertinebant). *Ruth.* 2. 2.

(Uno puero contentus Saul, ivit satis longe ad quærendum asinas patris sui. Et ipse Saul dixit postea Samueli, quod cognatio sua esset minima inter omnes familias tribus Benjamin). 1. *Reg.* 6. 3. 21.

(Minimus erat David inter filios patris sui, ita ut, quando Samuel venit ad ungendum unum ex filiis Isai, David erat in pascuis, nec in principio vocatus fuit, quasi nullius esset reputationis. Deinde cum fratres ejus essent in castris, misit eum pater suus onustum victuariis, ut deferret illis). *Ibid.* 16. 11. *et c.* 17. 17.

(Magnam penuriam patiebatur Elias, quando petiit a vidua Sarephtana, ut daret ei paullulum aquæ et buccellam panis). 3. *Reg.* 17. 10. 11.

(Filii Prophetarum sub Eliseo in magna paupertate vivebant, qui parum panis, et insipidum pulmentum habebant). 4. *Reg.* 4. 38. *V. et versus sequentes.* (Insuper in loco valde angusto habitabant, et ligna quoque propriis manibus sibi cædebant). *Ibid.* 6. 1. 4.

Anna vero uxor ejus (Tobiæ) ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem consequi porerat, deferebat. *Tob.* 2. 19.

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, etc. *Ibid.* 4. 23.

(Rechabitæ domos non ædificabant, semen non serebant, vineas non habebant, vinum non bibebant, sed in tabernaculis habitabant). *Jerem.* 35 6. *et seq.*

De plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan in terra Juda. *Ibid.* 39. 10.

(Discipuli majore ex parte de statu paupertatis fuerunt assumpti a Christo : nam Petrus, et Andreas mittebant rete in mare : erant enim piscatores : Jacobus autem et Joannes reficiebant retia sua). *Matth* 4. 18. 21. *Item Marc.* 1. 16. 19.

(In sermone Domini in monte primum ponitur commendatio paupertatis, quasi ipsa esset totius spiritualis ædificii fundamentum). *Ibid.* 5. 3. *Item Luc.* 6. 20.

(Circumiens Jesus civitates et castella, non habebat, ubi caput reclinaret; unde ait) : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. *Ibid.* 8. 20. *Item Luc.* 9. 58.

(Adolescenti de ingressu ad vitam æternam quærenti, dixit Dominus) : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus. (Et in sequentibus magnam promittit Dominus remunerationem omnia derelinquentibus propter nomen ipsius). *Ibid.* 19. 21. *et seq. usque ad finem. V. Marc.* 10. 21. *et seq. Luc.* 18. 22. *et seq.*

Peperit (Maria) filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio. *Luc.* 2. 7.

(In purificatione Virginis gloriosæ oblationem pauperum parentes Jesu in templo obtulerunt). *Ibid. v.* 24. *Confer Levit.* 5. 7. *et c.* 12. 8.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus (divitis), ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, etc. *Ibid.* 16. 20. 21.

Vidit autem (Jesus) et quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit : Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes misit, etc. *Ibid.* 21. 2. 3. *V. et v.* 4. *Item Marc. et seq.*

Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. 2. *Cor* 8. 9.

PAUPERTAS. — *Pauper frater quomodo tractandus.*

Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, etc. ad paupertatem venerit ; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris, etc. *Deut.* 15. 7. 8. *V. et versus sequentes. Item Tob.* 4. 7. 17. *Matth.* 5. 42. *Luc.* 6. 20. *et c.* 14. 13.

PAUPERTAS. — *Pauperes semper in mundo.*

(Christus ait) : Semper pauperes habetis vobiscum ; me autem non semper habetis. *Matth.* 26. 11.

Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis illis benefacere. *Marc.* 14. 7. 8. *Item Joan* : 12. 8.

PAUPERTAS. — *Pauperes boni in se ipsis humiliantur.*

Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua, et insipiens. *Prov.* 19. 1. Melior est pauper (justus), quam vir mendax. *v.* 22.

Melior est pauper, ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. *Ibid.* 28. 6.

(Pauper propter scientiam et religionem gloriam adipiscitur ; dives ob divitias suas in honore est). *Eccli.* 10. 33.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. *Ibid.* 18. 25. *V. c.* 11. 27.

Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es. *Apoc.* 2. 9.

PAUPERTAS. — *Pauperes necessariis contenti sunt.*

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus ; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. *Tob.* 4. 23.

Edent pauperes, et saturabuntur. *Psal.* 21. 27.

Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. *Psal.* 36. 16.

(Pauper, qui sibi laborat, præstat glorioso, qui pane indiget). *Prov.* 12. 9. *V. Eccli.* 10. 30.

(Est, qui se divitem simulat, cum tamen omnino nihil habeat ; est rursus, qui fingit se pauperem, cum opibus abundet). *Ibid.* 13. 7.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. *Ibid.* 15. 17.

Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. *Ibid.* 16. 8. *V. Eccles.* 4. 6.

Duo rogavi te, ne deneges mihi, etc. Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria : ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Ibid.* 30. 7. *et seq.*

Melius est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum. *Eccles.* 4. 13. *V. et. v.* 14.

(Summa vitæ humanæ est) aqua, et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem. *Eccli.* 29. 28.

Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum. *Ibid.* 39. 31.

Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, et in ea invenies thesaurum. *Ibid.* 40. 18.

Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus, etc. *Act.* 11. 39.

Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. 1. *Tim.* 6. 7. *V. Job* 1. 21. *Prov.* 27. 27. *Eccles.* 5. 14.

PAUPERTAS. — *Pauperes a bonis sustentantur.*

Et omnino indigens, et mendicus non erit inter vos. *Deut.* 15. 4. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra. *v.* 11.

Et adjuvit (Deus) pauperem de inopia. *Psal.* 106. 41. *V. et v.* 9.

Novit justus causam pauperum. *Prov.* 29. 7.

Congregationi pauperum affabilem te facito. *Eccli.* 4. 7.

De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. 1. *Cor.* 16. 1.

Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ : quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit : et altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum. 1. *Cor.* 8. 1. 2. Si enim voluntas prompta est : secundum id, quod non habet Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti vestra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. *v.* 12. *et seq.*

Tantum ut pauperum memores essemus. *Galat.* 2. 10.

PAUPERTAS. — *Pauperes a Deo remunerantur.*

Exultate in conspectu ejus (Dei) — patris orphanorum, et judicis viduarum. *Psal.* 67. 5. 6. Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. *v.* 11.

Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate : et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus : et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. *Eccli.* 11. 12. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. *v.* 22. 23. *V. Job* 42. 10.

Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent, etc. *Isa.* 14. 30. Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus. *v.* 32.

Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in Sancto Israel exultabunt. *Ibid.* 29. 19.

Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5. 3. *Item Luc.* 6. 20.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Ibid.* 19. 21. *Item Marc.* 10. 21. *Luc.* 18. 22.

Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Ibid. v.* 29.

Amen dico vobis : nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos etc. et in sæculo futuro vitam æternam. *Marc.* 10. 29. 30.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.* 16. 22.

Amen dico vobis : nemo est, qui reliquit domum, aut parentes etc. propter regnum Dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam. *Ibid.* 18. 29. 30.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? *Jacob.* 2. 5.

PAUPERTAS. — *Pauperes de malis illatis vindicantur.*

Advenam non contristabis, etc. Viduæ et pupillo non nocebitis, etc. *Exod.* 22. 21. 22. *V. et sequentes.*

Et populum pauperem salvum facies. 2. *Gen.* 22. 28. *Item Psal.* 17. 28.

Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem. *Job* 5. 15.

Eripiet de angustia sua pauperem, etc. *Ibid.* 36. 15.

Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, etc. *Psal.* 9. 19. Tibi derelictus est pauper. *v.* 38. *V. et. v.* 41.

Propter miseriam inopium et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. *Psal.* 11. 6.

Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego. *Psal.* 24. 16.

Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum. *Psal.* 139. 13.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus, etc. *Prov.* 14. 31.

Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus, etc. *Ibid.* 17. 5.

Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus. *Ibid.* 22. 2. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta : quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus. *v.* 22. 23. *V. et. v.* 16. *Item. c.* 23. 10. *et* 11.

Qui dat pauperi, non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. *Ibid.* 28. 27.

Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus (Dei) perveniet, et judicium festinato adveniet illi. *Eccli.* 21. 6.

Panis egentium, vita pauperum est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. *Ibid.* 34. 25. 26. *V. et. v.* 24.

Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. *Ibid.* 35. 16. *et seq.*

Quia factus es (Deus) fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua. *Isa.* 25. 4.

Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt : lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos; Deus Israel non derelinquam eos. *Ibid.* 41. 17.

Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum : pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis. *Amos* 2. 6.

Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ : quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris : Afferte, et bibemus. Juravit Dominus Deus in sancto suo : quia ecce dies venient super vos, etc. *Ibid.* 4. 1. *per totum V.* 5. 11. *et c.* 8. 4.

PAUPERTAS. — *Pauperes a malis hominibus abominantur.*

Etiam proximo suo pauper odiosus erit. *Prov.* 14. 20.

Cum obsecrationibus loquetur pauper : et dives effabitur rigide. *Ibid.* 18. 23.

Fratres hominis pauperis oderunt eum : insuper et amici procul recesserunt ab eo. *Ibid.* 19. 7.

Sapiens sibi videtur vir dives : pauper autem prudens scrutabitur eum. *Ibid.* 28. 11.

Sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita. *Eccles.* 9. 16.

Dives injuste egit, et fremet : pauper autem læsus tacebit. *Eccli.* 13. 4.

Si introierit in conventum vestrum vir, aureum annulum habens in veste candida; introierit autem et pauper in sordido habitu; et intendatis in eum, qui indutus est veste præclata, et dixeritis ei : Tu sede hic bene : pauperi autem dicatis : Tu sta illic : aut sede sub scabello pedum meorum, etc. *Jacob.* 2. 2. *et seq.*

PAUPERTAS. — *Pauperes a Deo commendantur.*

Non deerunt pauperes in terra habita-

tionis tuæ : idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra. *Deut.* 15. 11.

Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum : sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, etc. *Ibid.* 23. 19. *et seq. Item Levit.* 19. 9. 10. *et c.* 23. 22.

Anima impii desiderat malum, non miserebitur proximo suo. *Prov.* 21. 10. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis : et ipse clamabit, et non exaudietur. *v.* 13.

Aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem. *Ibid.* 31. 9.

Discite benefacere : quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. *Isa.* 1. 17. *V. Zach.* 7. 10.

(Respondebit Jesus in judicio extremo de pauperibus) : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 40. *V. et. v.* 45.

Sed cum facis convivium (inquit Christus), voca pauperes, debiles, claudos et cæcos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Luc.* 14. 13. 14.

Neque enim quisquam egens erat inter illos (in Ecclesia primitiva Christiana). (Sed omnes ab Apostolis sublevabantur). *Act.* 4. 34.

Necessitatibus Sanctorum communicantes. *Rom.* 12. 13.

De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. 1. *Cor.* 16. 1. *V.* 2. *Cor.* 8. 4.

Tantum ut pauperum memores essemus : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. *Gal.* 2. 10.

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem (cœlestem), hæc est : Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum. *Jacob.* 1. 27.

PAUPERTAS. — *Pauperes mali, impatientia agitantur.*

Omnes dies pauperis, mali. *Prov.* 15. 15.

Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. *Ibid.* 28. 3.

Nequissima paupertas in ore impii. *Eccli.* 13. 30.

Tres species odivit anima mea, etc. Pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum et insensatum. *Ibid.* 25. 3. 4.

PAX *quædam æterna, quædam temporalis.*

Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul (Lot et Abraham) : erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter. *Gen.* 13. 6. Dixit ergo Abraham ad Lot : Ne, quæso, sit jurgium inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus. *v.* 8. *V. c.* 26. 22. *et c.* 45. 24.

Dabo pacem in finibus vestris : dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias : et gladius non transibit terminos vestros, etc. *Lev.* 26. 6. *V. et versus sequentes.*

Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum super Israel, et ego benedicam eis *Num* 6. 26. 27.

Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes (placent Deo et hominibus). *Eccli.* 25. 2.

Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes. *Ibid.* 28. 15.

Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci : et orate pro ea ad Dominum : quia in pace illius erit pax vobis. *Jerem.* 29. 29. 7.

Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* 5. 9.

Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. *Marc.* 9. 49. *V. Luc.* 14. 32.

(Pacem annuntiaverunt Angeli in nativitate Domini). *Luc.* 2. 14.

(Christus pacem discipulis suis ante passionem reliquit). *Joan.* 14. 27. (Et post resurrectionem eis pacem obtulit). *Luc.* 24. 36. *Item Joan.* 20. 19. 21. *et* 26.

Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur. *Act.* 9. 31.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom.* 12. 18.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sicut et in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo. 1. *Cor*. 14. 33.

Pacem habete ; et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum. 2. *Cor*. 13. 11.

Supportantes invicem in caritate; solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. *Ephes*. 4. 2. 3.

Juvenilia autem desideria fuge ; sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. 2. *Tim*. 2. 22.

Pacem sequimini cum omnibus. *Hebr*. 12. 14.

Declinet a malo, et faciat bonum : inquirat pacem, et sequatur eam. 1. *Petr*. 3. 11. *Item Psal*. 33. 15.

Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem. *Jacob*. 3. 18. *V. Apoc*. 6. 4.

PAX *interna, qualis est inter Deum et amicos ejus.*

Parvulus enim natus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus : Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. *Isa*. 9. 6.

Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam (Jerusalem) quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis : ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. *Ibid*. 66. 12.

Dicit Dominus : Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus, etc. *Oseæ* 2. 14. Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide : et scies, quia ego Dominus. *v*. 19. *et* 20. *V. Micheæ* 4. 3.

Ecce Rex tuus veniet tibi justus, etc. *Zach*. 9. 9. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli : et loquetur (Rex tuus) pacem Gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. *v*. 10.

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc*. 2. 14.

Dum autem hæc loquuntur (scilicet quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni), stetit Jesus in medio eorum (discipulorum), et dixit eis : Pax vobis : Ego sum, nolite timere. *Ibid*. 24. 36. *V. Joan*. 20. 19. 21. *et* 26.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Joan*. 14. 26. 27.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *Ibid*. 16. 33.

Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum : hic est omnium Dominus. *Act*. 10. 36.

Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. *Rom*. 5. 1.

Ipse enim (Christus) est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua : legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. *Ephes*. 2. 14. 15. *V. et. v*. 17.

Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra in Christo Jesu. *Philipp*. 4. 7. *V. Coloss*. 3. 15.

PAX *sumitur pro incolumitate, felicitate, omnique prosperitatis genere, et felici rerum successu.*

Dabo pacem in finibus vestris : dormietis, et non erit qui exterreat, etc. *Lev*. 26. 6. *usque ad v*. 13. *V*. 1. *Paral*. 12. 18.

Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, etc. *Psal*. 72. 3.

Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. *Psal*. 121. 7.

Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. *Isa*. 32. 17. 18.

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax, et non erat pax. *Jerem*. 6. 14.

Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci : et orate pro ea ad Dominum : quia in pace illius erit pax vobis. *Ibid*. 29. 7. Ego cogito — cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam. *v*. 11.

Cum enim dixerint (falsi prophetæ) pax et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. 1. *Thess.* 5. 3.

PAX *spiritualis, seu effectus illius pacis, quam habemus reconciliati Deo per Christum.*

Benefac, Domine, bonis et rectis corde — pax super Israel. *Psal.* 124. 4. 5.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. *Psal.* 127. 5. 6.

Multiplicabitur ejus (Messiæ) imperium, et pacis non erit finis *Isa.* 9. 7.

Utinam attendisses mandata mea ; facta fuisset sicut flumen pax tua, etc. *Ibid.* 48. 18.

(Ecclesiæ Christianorum promittitur, quod perpetua Dei protectione sit in securitate victura, veteris oblita calamitatis ; omnesque in ea docti erunt a Deo, et multitudine pacis fruituri). *Ibid.* 54. 10. 13.

(Messias) stabit, et pascet in fortitudine Domini — et erit iste pax, etc. *Mich.* 5. 4. 5. *V. et c.* 4. 3. *Item Isa.* 2. 4. *et c.* 26. 12. *et c.* 66. 12. *et Zach.* 9. 10.

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc.* 2. 14.

(Dicit Jesus) : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Joan.* 14. 27.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *Ibid.* 16. 33. *V. et c.* 20. 19. 21. *et* 26.

Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum : hic est omnium Dominus. *Act.* 10. 36.

Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. *Rom.* 1. 7. *Item* 1. *Cor.* 1. 2. *Gal.* 1. 3. *Ephes.* 1. 2. *et c.* 6. 23. *Philipp.* 1. 2. *Coloss.* 1. 3. 1. *Thess.* 1. 2. 2. *Thess.* 1. 2. 1. *Tim.* 1. 2. *Tim.* 1. 2. *Tit.* 1. 4. *Philem.* 1. 3. 1. *Petr.* 1. 2. 2. *Petr.* 1. 2. 2. *Joan.* 2. *Judæ* 2. *Apoc.* 1. 4.

Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum. *Ibid.* 5. 1. *V. c.* 14. 19.

Ipse enim (Christus) est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua — faciens pacem, etc. *Ephes.* 2. 14. 15. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope. *v.* 17.

Solliciti (estote) servare unitatem spiritus in vinculo pacis. *Ibid.* 4. 3.

Induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. *Ibid.* 6. 14. 15.

Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. *Philipp.* 4. 7.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore ; et grati estote. *Coloss.* 3. 15.

Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco, etc. 2. *Thess.* 3. 16.

PAX. — *Pacem dat Deus.*

Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. *Num.* 6. 26.

Ædificavit quoque (Asa) urbes munitas in Juda, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente. 2. *Paral.* 14. 6. *V.* 3. *Reg.* 5. 4. *et c.* 8. 56. *Item* 1. *Paral.* 12. 18. *et c.* 22. 18.

Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis. *Isa.* 26. 12.

Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc. *Ibid.* 45. 6. 7.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. *Rom.* 15. 33.

Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. *Ibid.* 16. 20.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, etc. 1. *Thess.* 5. 23.

PAX *amanda et quærenda.*

Diverte a malo et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam. *Psal.* 33. 15.

Veritatem tantum et pacem diligite. *Zach.* 8. 19.

In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. *Luc.* 10. 5. *Item Matth.* 10. 12.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (scitis). *Rom.* 12. 18.

Itaque quæ pacis sunt, sectemur. *Ibid.* 14. 19.

In pace autem vocavit nos Deus. 1. *Cor.* 7. 15.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sicut et in omnibus Ecclesiis sanc-

torum doceo, (inquit Paulus). *Ibid.* 14. 33.

Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, etc. *Gal.* 5. 22.

Solliciti (estote) servare unitatem spiritus in vinculo pacis. *Ephes.* 4. 3.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris. *Coloss.* 3. 15. *V. Philipp.* 4. 7.

Pacem habete cum eis, (qui præsunt vobis in Domino). 1. *Thess.* 5. 13.

Sectare vero justitiam — et pacem cum iis, qui invocant Dominum. 2. *Tim.* 2. 22.

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Hebr.* 12. 14.

Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos — inquirat pacem, et sequatur eam. 1. *Petr.* 3. 10. 11.

PAX *piis promissa.*

Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, juxta omnia quæ locutus est — per Moysen servum suum. 3. *Reg.* 8. 56.

Pax multa diligentibus legem tuam (Domine). *Psal.* 118. 165.

(Multitudinem pacis dabit filiis tuis, a Domino). *Isa.* 54. 13.

PAX *sceleratis et impiis nulla.*

Non est pax impiis, dicit Dominus. *Isa.* 48. 22. *Idem verbatim habetur c.* 57. 21. *V. et c.* 59. 8.

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax, et non erat pax, etc. *Jerem.* 6. 14. *Item repetitur verbatim c.* 8. 11.

Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, etc. *Ibid.* 8. 12. *V. et v.* 15.

PAX. — *Pacem et misericordiam promittunt mendaces Prophetæ.*

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax : et non erat pax. *Jerem.* 6. 14.

Quomodo dicitis : Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes — quia abominationem fecerunt : quinimo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt : idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. *Ibid.* 8. 8. *et seq.*

Et dixi : A a a, Domine Deus : Prophetæ dicunt eis : Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. *Ibid.* 14. 13. *V. et v.* 19.

Hæc dicit Dominus exercituum : Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. *Ibid.* 23. 16. *V. et v.* 17.

Eo quod deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax : et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant cum luto absque paleis. *Ezech.* 13. 10. *V. et v.* 16.

Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. *Micheæ*, 3. 5.

Cum enim dixerint, pax et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. 1. *Thess.* 5. 3.

PECCATOR. — *Peccatorum misera conditio.*

Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Ideo non resurgent impii in judicio : neque peccatores in concilio justorum. Quoniam novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit. *Psal.* 1. 4. *et seq.*

Quoniam tu (Deus) percussisti omnes adversantes — dentes peccatorum contrivisti. *Psal.* 3. 8.

Consumetur nequitia peccatorum. *Psal.* 7. 10.

In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum. *Psal.* 9. 17. 18.

Quia peccatores peribunt. *Psal.* 36 20. Cum perierint peccatores, videbis. *v.* 34.

Scimus autem quia peccatores Deus non audit. *Joan.* 9. 31. *V. Isa.* 59. 2.

PECCATOR. — *Peccatores quomodo tractandi.*

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 1. *Thess.* 5. 14.

Quod si quis non obedit verbo nostro — hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur : et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 2. *Thess.* 3. 14. 15.

Peccantes coram omnibus argue : ut et

cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 5. 20. *V. et Tit.* 1. 13.

Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita ; sciens, etc. *Tit.* 3. 10. 11.

Et hos quidem arguite judicatos : illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem misereminiin timore. *Judæ. v.* 22. 23.

PECCATUM. — *Peccati origo.*

De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Gen.* 2. 17.

Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. *Ibid.* 3. 6.

A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. *Eccli.* 25. 33. *V.* 1. *Tim.* 2. 14.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5. 12. *V. reliquum capitis. Item* 1. *Cor.* 15. 21.

PECCATUM *originale omnibus hominibus ingenitum.*

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? *Job.* 14. 4.

Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere? *Ibid.* 15. 14.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. *Psal.* 50. 7.

Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, etc. *Rom.* 3. 9. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. *v.* 23.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Ibid.* 5. 12. *V. reliq. cap.*

Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. *Ephes.* 2. 3. *V. v.* 5.

PECCATUM. — *Effectus peccati originalis.*

Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines : sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua : non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci. *Gen.* 8. 21. *V. c.* 6. 5.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. *Eccli.* 18. 30. *V. Rom.* 6. 12.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom,* 5. 12. Si enim unius delicto mors regnavit per unum : multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. *v.* 17.

Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro. *Ibid.* 6. 23.

Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. *Rom.* 7. 6. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. *v.* 11. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. *v.* 13. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. *v.* 17.

Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. *Ibid.* 8. 13.

Stimulus autem mortis peccatum est. 1. *Cor.* 15. 56.

Caro enim concupiscit adversus spiritum. *Galat.* 5. 17.

Nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. *Ephes.* 2. 3.

PECCATUM *originale tollitur per Baptismum omnino, quoad reatum et culpam.*

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, etc. *Isa.* 43. 25.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Joan.* 1. 29.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi. *Rom.* 5. 19.

Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu. *Ibid.* 8 1.

Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. I. *Cor.* 6. II.

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. *Ephes.* 2. 4. *et seq.*

(Deus) secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum : ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. *Tit.* 3. 5. *et seq.*

PECCATUM *actuale multipliciter committitur.* — *Infirmitate.*

Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? *Job* 4. 19.

Ipse autem (Deus) est misericors, et propitius fiet peccatis eorum — Et recordatus est, quia caro sunt. *Psal.* 77. 38. 39.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est, quoniam pulvis sumus, etc. *Psal.* 102. 13. 14.

Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum. *Sap.* 9. 15.

PECCATUM. — ... — *Ignorantia.*

Anima, si peccaverit per ignorantiam, etc. offeret arietem, etc. *Lev.* 5. 17. *et seq.*

Quod si per ignorantiam prætcrieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus, etc. (offeretis) vitulum de armento, etc. *Num.* 15. 22. 24. Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam, etc *v.* 27.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo *Psal.* 18. 13. 14.

Pater, dimitte illis (dicebat Jesus in cruce) : non enim sciunt quid faciunt. *Luc.* 23. 34.

Qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 1. *Tim.* 1. 13.

PECCATUM. — ... — *Malitia.*

Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus (quoniam adversus Dominus rebellis fuit), peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit et præceptum illius fecit irritum, etc. *Num.* 15. 30. 31.

Concepit dolorem. et peperit iniquitatem. *Job* 15. 35.

Ecce parturiit injustitiam : concepit dolorem, et peperit iniquitatem. *Psal.* 7. 15.

Qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas : qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis : quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum. *Prov. et seq.*

Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt : qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. *Eccli.* 11. 16.

Est qui vetatur peccare præ inopia. *Ibid.* 20. 23.

Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt : væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. *Isa.* 3. 9.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri. peccatum. *Ibid.* 5. 18. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum. *v.* 20.

Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt : qui comederit de ovis eorum, morietur. *Ibid.* 59. 4. 5.

Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium : ut inique agerent, laboraverunt. *Jerem.* 9. 4. *V. v.* 3.

PECCATUM *malum operatur, affectum deflectendo.*

Non est sanitas (Domine) in carne mea, a facie iræ tuæ, etc. *Psal.* 37. 4. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, etc. *v.* 5. *V. et Psal.* 39. 13.

(Vir) peccator adjiciet ad peccandum. *Eccli.* 3. 29.

Non est enim ei bene, qui assiduus est in malis, etc. *Ibid.* 12. 3.

Duo genera abundant in peccatis, etc. Anima calida, quasi ignis ardens, et non extinguetur, donec aliquid glutiat : et homo (scortator, qui in corpore carnis suæ non conquiescit), donec incendat ignem. *Ibid.* 23. 21. *et seq.*

Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, etc. *Rom.* 1. 24.

PECCATUM..., *meritum impediendo.*

Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. *Eccles.* 9. 18.

Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit : sic qui effugatur a Domino, portans mercedes iniquitatis : videns oculis, et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans. *Eccli.* 30. 19. *et seq.*

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat — Sed iniquitates — et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. *Isa.* 59. 1. 2.

Si autem averterit se justus a justitia sua — omnes justitiæ ejus, quas fecerat non recordabuntur, etc. *Ezech.* 18. 24.

Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit — et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua, fecerit iniquitatem : omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. *Ibid.* 33. 12. 13. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. *v.* 18.

Et omnis, qui peccat, non vidit eum (Deum), nec cognovit eum. 1. *Joan.* 3. 6.

PECCATUM *salubriter, etsi difficulter, plene vitatur.*

Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? *Gen.* 4. 7.

Non est enim homo, qui non peccet. 3. *Reg.* 8. 46. *Item* 2. *Paral.* 6. 36.

Qui fodit foveam, incidet in eam. *Prov.* 26. 27.

Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. *Eccles.* 7. 21. *V. et Prov.* 20. 9.

Qui amat periculum, in illo peribit. *Eccli.* 3. 27.

Quis miserebitur incantatori a serpente percusso? *Ibid.* 12. 13.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Ibid.* 14. 1.

Fili, peccasti? non adjicias iterum : sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas; plagæ illius non est sanitas. *Ibid.* 21. 1. *et seq.*

In vanitate sua apprehenditur peccator. *Ibid.* 23. 8.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Matth.* 26. 41. *Marc.* 14. 38.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6. 12. Peccatum enim vobis non dominabitur. *v.* 14.

Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. *Ibid.* 7. 22. *V. totum Caput.*

Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. *Ibid.* 8. 1.

Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes. *Hebr.* 12. 4.

Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8. *V. v.* 10.

Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, etc. *Ibid.* 3. 9. *V. v.* 6.

PECCATUM *graviter punitur.*

Dominus patiens, et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. *Num.* 14. 18. *V. Exod.* 20. 5. *c.* 34. 7. *Deut.* 5. 9. *Jerem.* 32. 18.

Vultus autem Domini super facientes mala : ut perdat de terra memoriam eorum. *Psal.* 33. 17.

Et adhuc pusillum, et non erit peccator, etc. *Psal.* 36 10. Peccatores peribunt. Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati : deficientes quemadmodum fumus deficient. *v.* 20.

Justitia elevat gentem : miseros autem facit populos peccatum. *Prov.* 14. 34.

Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. *Sap.* 11. 17.

Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona et mala. *Eccli.* 39 30. *V. v.* 33.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, et omne cor mœrens. *Isa.* 1. 4. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni : regionem vestram coram vobis alieni devorant, etc. *v.* 7. *V. c.* 5. 5.

Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum. *Ibid.* 15. 7.

Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare — Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, etc. *Ibid.* 42. 24. *V. v.* 13. *et seq.*

Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum : et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret, etc. *Ibid.* 59. 2. *V. et versus sequentes.*

Quam ob rem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit : frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. *Jerem.* 3. 3.

Populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans : recesserunt, et abierunt. Et non dixerunt in corde suo : Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, et serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc : et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. *Ibid.* 5. 23. *et seq.*

Non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit : et dedi eis, quæ prætergressa sunt — Convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi : quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis : peccavimus enim Domino. Expectavimus pacem, et non erat bonum : tempus medelæ, et ecce formido. *Ibid.* 8. 13. *et seq. V. c.* 9. 15. *c.* 14. 19. *c.* 23. 13. 19.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ. *Ibid.* 13. 22.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis (peccatis vestris), in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est — Stipendia enim peccati, mors. *Rom.* 6. 21. 23.

PECCATUM *æternaliter punitur.*

Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. *Psal.* 5. 22.

Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. *Prov* 5. 22.

Clementia præparat vitam : et sectatio malorum mortem. *Ibid.* 11. 19. Si justus in terra recepit, quanto magis impius et peccator? *v.* 31. *V. Petr.* 4. 18.

Peccantem virum iniquum involvet laqueus. *Ibid.* 29. 6. *V. v.* 16. *et c.* 1. 24. *et seq.*

Malorum amatores, digni sunt (morte), *Sap.* 15. 6.

Leo venationi insidiatur semper : sic peccata operantibus iniquitates. *Eccli.* 27. 11.

Væ impio in malum; retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 11.

Et vos, qui dereliquistis Dominum, etc. *Ibid.* 65. 11. *et seq.*

Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. *Ibid.* 66. 24. *V. Marc.* 9. 45.

Dormiemus in confusione nostra, etc. *Jerem.* 3. 25.

Discedite a me maledicti in ignem æternum, etc. *Matth* 25. 41.

PECCATUM. — *Peccati gravitas et pœna, in dictis et exemplis.*

(Quod peccatum causet in homine erubescentiam, patet ex hoc, quod in statu innocentiæ erant primi parentes nudi, et non erubescebant; post peccatum vero sibi statim operimenta fecerunt). *Gen.* 2. 25. *et c.* 3. 7.

(Peccatum peccatorem terret; unde Adam postquam peccavit, volebat se abscondere a facie Domini). *Ibid.* 3. 8.

(Peccatum etiam facit hominem timidum : unde Adam post peccatum dixit) : Timui, eo quod nudus essem, et abscondi me. *Ibid. v.* 10.

(Enormitas sceleris clamat pro vindicta ad aures Dei) : Vox sanguinis fratris tui (inquit Deus ad Cain) clamat ad me de terra. *Ibid.* 4. 10.

Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint : annon est ita, ut sciam. *Ibid.* 18. 20. 21.

Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo : et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia. *Ibid.* 19. 24. 25. (Sic pœna temporali graviter punit Deus peccatum quandoque, ut etiam patet in Adam et Heva) *Gen.* 3. (In Cain). *Gen.* 4. (In diluvio) *Gen.* 7. (In filiis Israel multoties, et alibi passim).

(Pharao propter peccatum recognoscebat se a Domino flagellatum, dicens) :

Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. *Exod.* 10. 16. *Item c.* 9. 27.

Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini — iratusque Dominus contra Israel tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, etc. *Judic.* 2. 11. 14.

(Peccatum, ipsum peccantem quiescere non permittit; unde) percussit — cor David eum postquam numeratus est populus : et dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto, etc. 2. *Reg.* 24. 10. (Nihilominus iratus Deus, immisit) pestilentiam in Israel — et mortui sunt ex populo — septuaginta millia virorum. *v.* 15.

(Salomonem sapientissimum, peccatum infatuavit). 3. *Reg.* 11. 1. (Ipsius etiam famam maculavit; unde). *Eccli.* 47. 22. (extat de Salomone) : Dedisti maculam in gloria tua, etc.

(Postquam Joram rex Juda cœpit ambulare per vias regum Israel pessimas, recessit Edom ab eo, et noluit ei tributum solvere consuetum). 4. *Reg.* 8. 18. 20.

(Post multa filiorum Israel, quæ commemorantur, facinora, sequitur) : Translatusque est Israel de terra sua, etc. *Ibid.* 17. 23.

Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit, et propter sanguinem innoxium, quem effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium : et ob hanc rem noluit Dominus propitiari. *Ibid.* 24. 3. 4.

(Deus castigat) nos, propter iniquitates nostras. *Tob.* 13. 5.

Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum. *Esther* 14. 6. *V. Judith* 7. 17. *et c.* 8. 26. 27. *Baruch* 1. 17. *et seq. Dan.* 9. 5. *et seq.*

Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, etc. *Isa.* 1. 2. *et seq.*

Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *Jerem.* 2. 12. 13. Scito, et vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum, etc. *v.* 19.

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super omnes urbes Juda : et ecce desertæ sunt hodie : et non est in eis habitator : propter malitiam, quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent, etc. *Ibid.* 44. 2. 3. Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes, quas fecistis : et facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem, et in maledictum, etc. *v.* 22. *V. Isa.* 3. 8. *et c.* 5. 24.

Propter multitudinem iniquitatum (Jerusalem, deplorat Jeremias miserrimum ipsius statum). *Thren.* 1. 5. *V. totum caput.*

Profunde peccaverunt — recordabitur iniquitatis eorum (Deus), et visitabit peccata eorum. Abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles. *Oseæ* 9. 9. 10. *V. totum caput; imo omnia capita et versus hujus Prophetiæ.*

Si nolueritis (me) audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, etc. *Malach.* 2. 2. *V. Levit.* 26. 14. *et seq. Deut.* 28. 15. *et seq. per totum Caput.*

(Cum sanasset Dominus Jesus hominem languidum, in grabato jacentem, invenit eum postea in templo), et dixit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan.* 5. 15.

(Mulieri in adulterio deprehensæ, et a Judæis coram Domino accusatæ, dixit Christus) : Vade, et jam amplius noli peccare. *Ibid.* 8. 11.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis (peccatis vestris), in quibus nunc erubescitis)? Nam finis illorum mors est. *Rom.* 6. 21. Stipendia enim peccati, mors. *v.* 23.

Et prolapsi sunt — rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Hebr.* 6. 6.

PECCATUM. — *Peccata castigat Deus etiam in Sanctis.*

Dixitque Dominus ad Moysen et Aa-

ron : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. *Num.* 20. 12. *V. et c.* 27. 12. *Item Deut.* 32. 49.

(Dixit Moyses) : Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos, dixerit : Nec tu ingredieris illuc, etc. *Deut.* 1. 37.

Quam ob rem non recedet gladius dc domo tua usque in sempiternum, eo quod dexpexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua. 2. *Reg.* 12. 10. *V.* 3. *Reg.* 11. 11.

Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent (principes et rex Israel), factus est sermo Domini ad Semeiam dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum. 2. *Par.* 12. 7. 8.

Ipse (Deus) castigavit nos propter iniquitates nostras : et ipse salvabit nos propter misericordiam suam. *Tob.* 13. 5.

Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis : et dedit naulum ejus, et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri, etc. *Jonæ* 1. 3. *per totum Caput.*

PECCATUM. — *Peccata non sunt æqualia nec paria.*

Hæc dicit Dominus Deus : Ista est Jerusalem ; in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras. Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia, quam Gentes : et præcepta mea ultra quam terræ, quæ in circuitu ejus sunt, etc. *Ezech.* 5. 5. *per totum Caput.*

Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus : pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis. *Ibid.* 16. 47. *V. v.* 51. 52.

Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plus quam illa insanivit libidine : et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ (fecit), etc. *Ibid.* 23. 11.

Amen dico vobis : Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. *Matth.* 10. 15. *V. similia verba c.* 11. *v.* 22. *et* 24. *Luc.* 10. *v.* 12. *et* 14.

Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui — et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Luc.* 12. 47. 48.

Respondit Jesus (Pilato) : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi majus peccatum habet. *Joan.* 19. 11.

PECCATUM. — ... *nec pares peccatorum pœnæ.*

Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca : reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue : reus erit gehennæ ignis. *Matth.* 5. 22.

Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. *Luc.* 10. 12. *V. et v.* 14. *Item Matth.* 10. 15. *et c.* 11. 22. 24.

PECCATUM. — *Peccati mortalis et venialis discrimen.*

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique — Tu vero, homo unanimis, dux meus, et notus meus, etc. *Psal.* 54. 13. 14.

Septies enim (in die) cadet justus, et resurget. (Ergo dantur peccata, cum quibus stat justitia). *Prov.* 24. 16.

(Affert Christus triplex peccatum iracundiæ, et tertium duntaxat dignum gehenna pronuntiat). *Matth.* 5. 22.

(Comparat Christus peccata trabi et festucæ). *Ibid.* 7. 3.

(Comparatur peccatum camelo et culici). *Ibid.* 23. 24.

(De Zacharia et Elisabeth dicitur) : Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. *Luc.* 1. 6. (Hos autem non caruisse peccatis venialibus, testis est Joannes, de se et similibus sibi, dicens) : Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus : ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8. (Ergo peccata venialia non solvunt amicitiam cum Deo).

In multis enim offendimus omnes. *Jac.* 3. 2. *V.* 3. *Reg.* 8. 46. 2. *Par.* 6. 36. *Prov.* 20. 9. *Eccles.* 7. 2. 21.

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat; et dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico, ut roget quis. 1. *Joan.* 5. 16.

PECCATUM *in Spiritum Sanctum.*

Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus ; Spiritus autem blasphemia non remittetur. *Matth.* 12. 31.

Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ, quibus blasphemaverunt : qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. *Marc.* 3. 28. 29.

Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi : ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. *Luc.* 12. 10.

Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti — et prolapsi sunt rursus, renovari ad pœnitentiam. *Hebr.* 6. 4. 6.

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia ; teribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *Ibid.* 10. 26. 27.

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico, ut roget quis. 1. *Joan.* 5. 16.

PECCATUM *in cœlum vindictam clamans.*

Dixitque (Deus) ad eum (Cain) : Quid fecisti ? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Gen.* 4. 10.

Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum, et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint : an non est ita, ut sciam. *Ibid.* 18. 20. 21.

Si læseritis eos (pupillos et viduas), vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem illorum. *Exod.* 22. 23. *V. et v.* 27.

Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt et exclamatio ejus super deducentem eas ? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis. *Eccli.* 35. 18. 19.

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat ; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. *Jac.* 5. 4.

PECCATUM *contra naturam.*

(Lot, Angelis hospitio susceptis, a Sodomitis vim patitur ; cum uxore et utraque filia a Sodomitico ereptus incendio, uxorem in via amisit ; tandemque inebriatus cum utraque filia incestum ignorans commisit ; unde ortum habuerunt Moabitæ, et Ammonitæ). *Gen. c.* 19.

Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos, etc. *Lev.* 20. 13. *V. versus sequentes.*

(Cum Levita uxorem suam a parentum domo reduceret, ipsa a Gabaonitis) (qui tribus erant Benjamin) (prodigiosa libidine extincta, maritus in duodecim partes corpore secto, ad singulas tribus singulas portiones misit). *Judic. c.* 19.

Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. *Rom.* 1. 26. 27. *V.* 1. *Tim.* 1 10.

Neque fornicarii — neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, etc. regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. 10.

PECCATUM *ex ignorantia.*

Loquere filiis Israel (ait Dominus ad Moysen) : Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quippiam fecerit — offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. *Lev.* 4. 2. 3. *V. v.* 13. *et* 14. *Item v.* 27. *et* 28.

Anima, si prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus Sanctuarii. *Ibid.* 5. 15. *V. v.* 17. 18. *et* 19.

Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo : et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino : impetrabitque ei veniam, et dimittetur illi. *Num.* 15. 27. 28. *V. v.* 22.

Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt, quid faciunt. *Luc.* 23. 34.

Dixit eis Jesus (Pharisæis) : Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet. *Joan.* 9. 41.

Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum. *Ibid.* 15. 24. *V. v.* 22.

(Inquit Petrus) : Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. *Act.* 3. 17.

Qui prius blasphemus fui (ait Paulus), et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 1. *Tim.* 1. 13.

PECCATUM *ex malitia, et data opera.*

Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus (quoniam adversus Dominum rebellis fuit), peribit de populo suo, etc. *Num.* 15. 30.

Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo : quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia. *Eccli.* 10. 14. 15.

(Seniores Judæorum dederunt militibus custodientibus sepulcrum Domini copiosam pecuniam, dicentes) : Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. *Matth.* 28. 13.

Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, etc. *Joan.* 11. 49.

Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi ; et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. *Hebr.* 6. 4. *et seq.*

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *Ibid.* 10. 26. 27.

PECCATUM. — *Peccata aliena.*

(Pharao legem tulit, ut Hebræorum infantes, statim ac nati essent, occiderentur. Mors ergo omnium infantium illi imputatur, licet eos propriis manibus non occiderit). *Exod.* 1. 16.

(David dedit litteras Uriæ ferendas ad Joab militiæ supremum ducem, quibus imperabat ipsi, ut Uriam poneret ex adverso belli, ubi fortissimum esset prælium, et ibi percussus interiret, quod etiam factum est). 2. *Reg.* 11. 15. 17. *Hinc*

(Reprehenditur David, quod Uriam occiderit, licet ipse manus ejus neci non admoverit). *Ibid.* 12. 9.

(Herodes alienis manibus infantes a bimatu et infra occidi præcepit ; quod idem est, ac si eos propriis manibus interfecisset). *Matth.* 2. 16.

(Herodias rea est necis Joannis Baptistæ; nam illius consilio, saltatrix filia innocentissimi viri caput petiit, et nefarie impetravit). *Marc.* 6. 24. 25. *Item Matth.* 14. 8.

(Caiphas consilio suo senatum Judaicum permovit, ut necem Christi decerneret). *Joan.* 11. 49. 50.

(Pilatus propriis manibus Christum non interfecit; reus tamen est ejus mortis, quia illam non impedivit, cum ratione officii, et auctoritate sua eam impedire potuisset, et debuisset). *Ibid.* 19. 10. *et* 16.

(Judæi rei sunt mortis Christi licet propriis manibus eum non crucifixerint, quia ejus mortem postularunt, et consenserunt ejus neci). *Ibid. v.* 15. *Hinc*

(Merito sanctus Petrus Judæis exprobrat) : Auctorem vero vitæ interfecistis. *Act.* 3. 15.

(Cum lapidaretur Stephanus, Saulus) erat consentiens neci ejus ; (et ideo reus hujus necis, licet propriis manibus eum non lapidaverit). *Ibid.* 7. 59.

PECCATUM. — *Peccatis alienis non communicandum.*

(Peccavit uxor Tobiæ, viro objiciens, quod propter eleemosynas suas, et alia pia opera ad paupertatem et angustias magnas essent redacti). *Tob.* 2. 22.

(Peccavit similiter uxor Job, patientissimo viro petulanter insultans; nam quantum in se erat, eum provocavit, ut in impatientiam erumperet, et Deo malediceret, quoniam in miseriis suis ab eo derelictus esset). *Job.* 2. 9.

Qui cum fure participat, odit animam suam. *Prov.* 29. 24.

Nolite ergo effici participes eorum (peccatorum). *Ephes.* 5. 7.

Neque communicaveris peccatis alienis. 1. *Tim.* 5. 22.

PECCATUM. — *Propter peccatum unius aut paucorum, puniuntur multi.*

Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait : Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? etc. *Num* 16. 20.

(Explorata urbe Hai, percussus est populus Israel ab hostibus propter furtum Achan). *Josue.* 7. 5.

(Propter scelus horrendum Gabaonitarum contra uxorem Levitæ, pugnantes reliquæ tribus adversus tribum Benjamin, istam, exceptis sexcentis, qui in solitudinem fugerant, penitus deleverunt). *Judic. c.* 19. *et* 20.

(Ob peccatum regis David, pestis septuaginta millia virorum ex populo interemit). 2. *Reg.* 24. 15. *Item* 1. *Paral.* 21. 14.

PECCATUM. — *Peccato renuntiandum est.*

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

(Invenit Jesus in templo languidum illum, quem sanaverat ad porticus Probaticæ piscinæ), et dixit illi : Ecce sanus factus es . jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan.* 5. 14.

(Dixit quoque Jesus ad adulteram) : Vade, et jam amplius noli peccare. *Ibid.* 8. 11.

Ut quomodo Christus surrexit a mortuis — ita et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* 6. 4. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, etc. *v.* 12. *et seq. usq. ad fin.*

Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem — Irascimini, et nolite peccare — Nolite locum dare diabolo : qui furabatur, jam non furetur, etc. *Ephes.* 4. 23. *et seq. V. et v.* 22.

Nunc autem deponite et vos omnia : iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem — expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, etc. *Coloss.* 3. 8. 9.

Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, etc. *Hebr.* 12. 1.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, etc. 1. *Petr.* 2. 1.

Qui passus est in carne, desiit a peccatis, ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis, etc. *Ibid.* 4. 1. 2.

PECCATUM. — *Peccati deletio.*

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal.* 6. 7.

Delictum meum (Domine) cognitum tibi feci : et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. *Psal.* 31. 5. 6.

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus. *Psal.* 41. 12.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. *Psal.* 50. 10.

Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui. *Psal.* 118. 120.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov.* 28. 13.

Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari. *Eccli.* 1. 27. 28.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. *Ibid.* 7. 40.

Remittuntur ei (Magdalenæ) peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luc.* 7. 47.

PECCATUM *tollitur per Christum.*

(Ait Joannes) : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Joan.* 1. 29.

Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, etc. *Rom.* 3. 23. *et seq.*

Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius (Christi), salvi erimus ab ira per ipsum. *Ibid.* 5. 9. (*V. et versus sequentes.*) Si enim unius delicto multi mortui sunt : multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. *v.* 15. Si enim unius delicto mors regnavit per unum ; multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem : sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi. *v.* 17. *et seq.*

An ignoratis (fratres), quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? *Ibid.* 6. 3.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. *Ibid.* 7. 24. 25.

Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. *Ibid.* 8. 1. 2.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. *Galat.* 3. 22.

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu : ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. *Ephes.* 2. 4. *et seq.*

PECCATUM *solus Deus propria auctoritate remittere potest.*

Qui custodis misericordiam in millia : qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. *Exod.* 34. 7. *V. Deut.* 5. 10. *Jerem.* 32. 18.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. *Psal.* 18. 13. 14.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal.* 31. 5.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. *Psal.* 102. 12.

Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum non recordabor. *Isa.* 43. 25.

Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua : revertere ad me, quoniam redemi te. *Ibid.* 44. 22.

Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. *Jer.* 31. 34.

Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi : et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me. *Ibid.* 33. 8.

Quis Deus similis tui, qui aufers initatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur et miserebitur nostri : deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. *Mich.* 7. 18. 19.

Dimitte (Domine) nobis debita nostra. *Matth.* 6. 12. *Item Luc.* 11. 4.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ibid.* 9. 2. *Item Marc.* 2. 5. *Luc.* 5. 20.

Dixit autem (Jesus) ad illam (Magdalenam) : Remittuntur tibi peccata. *Luc.* 7. 48.

PECCATUM *Sacerdos dimittit divina auctoritate.*

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Matth.* 18. 11. *V. et c.* 16. 19.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 23.

PECCATUM *remittitur per Christum.*

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra disciplina pacis nostræ : super

eum, et livore ejus sanati sumus. *Isa.* 53. 5. *tot. cap.*

Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum — ut consummetur prævaricatio; et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. *Dan.* 9. 24.

Pariet autem (Maria) filium (dixit Angelus ad Joseph) : et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Matth.* 1. 21. *Item Luc.* 1. 31.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ibid.* 9. 2. *Item Marc.* 2. 5. *Luc.* 5. 20.

Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. *Ibid.* 11. 28.

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis. *Ibid.* 20. 28.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. *Luc.* 1. 77.

Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. *Ibid.* 5. 24. *Item Matth.* 9. 6. *Luc.* 2. 10. 11.

Et dixit eis (Jesus) : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die : et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. *Ibid.* 24. 46. 47.

Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Joan*, 1. 29.

Petrus vero ad illos (Judæos) : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* 2. 38.

Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum, etc. *Ibid.* 4. 12.

Huic (Jesu) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. *Ibid.* 10. 43.

Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc (Jesum) vobis remissio peccatorum annuntiatur : et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, etc. *Ibid.* 13. 38.

Qui (Christus) traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. *Rom.* 4. 25.

Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. *Ibid.* 5. 9. *V. totum caput.*

Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11.

Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas. *Ibid.* 15. 3.

Eum (Christum), qui non noverat peccatum, (Deus) pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 2. *Cor.* 5. 21.

Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, etc. *Galat.* 1. 3. 4.

In quo (Christo) habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia. *Ephes.* 1. 7. 8.

(Deus ostendit) abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. *Ibid.* 2. 7. *V. et v.* 5. *Item* 1. *Petr.* 3. 18.

In quo (Christo) habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum : qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. *Coloss.* 1. 14. 15.

Et vos, cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit (Deus) cum illo (Christo), donans vobis omnia delicta, etc. *Ibid.* 2. 13.

Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. 1. *Tim.* 1. 15. *V. Hebr.* 9. 28.

Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et munda-

ret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis : sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati, etc. 1. *Petr.* 1. 18. 19. *V. Hebr.* 9. 14.

Qui (Christus) peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui, justitiæ vivamus : cujus livore sanati estis. *Ibid.* 2. 24. *V. Hebr.* 1. 3.

Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. *Ibid.* 3. 18. *V. Rom.* 5. 6. *per totum.*

Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse (Deus) est in luce ; societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan.* 1. 7.

Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. *Ibid.* 2. 12. *V. c.* 3. 5.

Gratia vobis et pax — a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ ; qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, etc. *Apoc.* 1. 4. 5.

PECCATUM *non solum non imputatur, sed etiam vere remittitur, et anima abluitur et mundatur.*

Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psal.* 50. 12.

Petrus vero ad illos (Judæos) : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* 2. 38.

Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11. *V.* 2. *Petr.* 1. 9.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus (Deus), ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1. *Joan.* 1. 9.

PECCATUM. — *Peccata an sint remissa, certo scire non possumus.*

Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. *Job.* 9. 20. 21. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti *v.* 28.

Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus ? et cum quæsierit, quid respondebo illi ? *Ibid.* 31. 14.

Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me. et ab alienis parce servo tuo. *Ps.* 18. 13. 14.

Quis potest dicere : Mundum est cor meum ? purus sum a peccato ? *Prov.* 20. 9.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Beatus homo, qui semper est pavidus. *Ibid.* 28. 13. 14.

Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta. *Eccles.* 9. 1. 2.

De propitiato peccato noli esse sine metu. etc. *Eccli.* 5. 5.

Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die ; sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. 1. *Cor.* 4. 3. 4.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

In timore incolatus vestri tempore conversamini. 1. *Petr.* 1. 17.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. 10.

PECCATUM. — *Relapsus in peccatum cavendus.*

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. *Prov.* 26. 11.

Neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas : Miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. *Eccli et seq.*

Fili, peccasti ? non adjicias iterum : sed

et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur, etc. *Ibid.* 21. 1.

Quam vilis facta es nimis (anima), iterans vias tuas! *Jerem.* 2. 36.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine — dicit : Revertar in domum meam, unde exivi — Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi ; et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. *Matth.* 12. 43. *et seq. Item Luc.* 11. 24. *et seq.*

(Dixit Jesus illi infirmo, quem ad Probaticam piscinam sanaverat) : Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan.* 5. 14. (Item dixit ad adulteram) : Vade, et jam amplius noli peccare. *Ibid.* 8. 11.

Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, etc. et prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, etc. *Hebr.* 6. 4.

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. *Ibid.* 10. 26.

Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus : melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum, et : Sus lota in volutabro luti. 2. *Petr.* 2. 20. *et seq.*

PECCATUM. — *Peccanti in nos fratri condonandum. V.* **Remittendum proximo, etc.**

PECCATUM. — *Peccatorum confessio. V.* **Confessio et Pœnitentia.**

PECULIUM *Dei vocatur ejus populus.*

Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra, etc. *Exod.* 19. 5.

(Nulla sit tibi cum gentibus societas, sed simulacra earum dele, etc.) Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. *Deut.* 7. 6. *Item c.* 14. 2. *Iterum c.* 26. 18.

Erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium: et parcam eis, sicut parcit vir filio suo, servienti sibi. *Malach.* 3. 17.

(Christus) in propria venit, et sui eum non receperunt. *Joan.* 1. 11.

Qui (Christus) est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. *Ephes.* 1. 14.

(Christus) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

PEREGRINUS. — *Peregrinis beneficiendum est.*

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. *Petr.* 2. 9. *V. Exod.* 19. 6.

Cumque elevasset (Abraham) oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. Et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore, etc. *Gen.* 18. 2. *et seq.*

Advenam non contristabis, neque affliges eum : advenæ enim et ipsi fuistis in terra Ægypti. *Exod.* 22. 21.

Peregrino molestus non eris : scitis enim advenarum animas quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. *Ibid.* 23. 9.

Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei : sed sit inter vos quasi indigena : et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti : ego Dominus Deus vester. *Lev.* 19. 33. 34.

Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum : nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester. *Ibid.* 23. 22. *Item c.* 19. 9. *et* 10. *Deut.* 24. 19. *et seq.*

(Deus) facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. Et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti. *Deut.* 10. 18. 19.

Peregrino, qui inter portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei : quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. *Ibid.* 14. 21. *V. c.* 26. 11.

Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est : sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam, etc. *Ibid.* 24. 14. 15. Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. *v.* 17. *V. versus sequentes usq. ad fin.*

Populi terræ (Judææ) calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter : egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia, absque judicio. *Ezech.* 22. 29. *V. c.* 47. 22. *et* 23.

Hæc ait Dominus : Judicium verum judicate — Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari : et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Zach.* 7. 9. 10. *V. Malach.* 3. 5.

PEREGRINUS. — *Peregrini sumus et advenæ in hoc sæculo.*

Dictumque est ad eum (Abrahamum) : Scito prænoscens, quod peregrimum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. *Gen.* 15. 13. *V. Act.* 7. 6.

Advena sum et peregrinus apud vos (ait Abraham ad filios Heth cum planxisset Saram uxorem suam mortuam) : date mihi jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum. *Ibid.* 23. 13.

Quot sunt dies annorum vitæ tuæ (ait Pharao ad Jacob) ? Respondit (Jacob) : Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, pravi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt. *Ibid.* 47. 8. 9.

Peregrini enim sumus (Domine) coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. *Par.* 29. 15.

Incola ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua. 118. 19.

Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. 2. *Cor.* 5. 6.

Nostra autem conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum. *Philipp.* 3. 20.

Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram, etc. *Hebr.* 11. 13.

Carissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. 1. *Petr.* 11.

PEREGRINUS. — *Peregrinationes religionis gratia susceptæ, sunt utiles.*

(Jussit Deus, ut) tribus vicibus per annum (appareret) omne masculinum — in conspectu Domini Dei — in loco, quem elegerit. *Deut.* 16. 16. *V. Exod.* 23. 17. *et* 34. 23. (Quod diligenter observavit Elcana et Anna uxor ejus. 1. *Reg.* 1. 3. (Et ipse Christus cum Maria matre sua et Joseph, venit adorare in Jerusalem). *Luc.* 2. 42.

Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel (ait Salomon orans Dominum), cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis et brachium tuum extentum, ubique) ; cum venerit ergo et oraverit in hoc loco : tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena : ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 3. *Reg.* 8. 41. *et seq.*

Misitque ad eum (Naaman) Eliseus nuntium, dicens : Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. 4. *Reg.* 5. 10.

PERFECTIO *caritatis.*

Qui autem servat verbum ejus (Dei), vere in hoc caritas Dei perfecta est. 1. *Joan.* 2. 5.

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est. *Ibid.* 4. 12. In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii : quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. *v.* 17.

PERFECTIO. — *Ut evadamus perfecti entendum est.*

(Dixit Deus ad Abraham) : Ambula coram me, et esto perfectus. *Gen.* 17. 1.

Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. *Deut.* 18. 13.

Nunc ergo timete Dominum, et servite

ei perfecto corde, atque verissimo. *Josue* 24. 14.

Sit — cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, etc. 3. *Reg*. 8. 61.

Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. *Matth.* 5. 48.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, etc. *Ibid.* 19. 21.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. 1. *Cor*. 1. 10.

Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote. *Ibid.* 14. 20. *V.* 2. *Cor*. 13. 11.

Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. *Ephes*. 6. 13.

Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim. *Philipp*. 3. 12. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. *v*. 15.

Corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. *Coloss*. 1. 28.

Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 2. *Tim*. 3. 16. 17.

Patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. *Jac*. 1. 4.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi, 1. *Petr*. 1. 13.

PERJURIUM *prohibetur*.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Exod*. 20. 7. *V. Deut*. 5. 11.

Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei, ego Dominus. *Lev*. 19. 12.

Non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua. *Matth*. 5. 33.

PERJURIUM. — *Perjurii et falsi crimen.*

(Secunda Ægypti plaga est Ranarum, pro quarum ablatione promittit Pharao populum dimittere, nec facit : quare additur tertia Sciniphum, et quarta Muscarum, propter quas rursus Pharao promittit se filios Israel dimissurum, quod non facit). *Exod. c*. 8. (Sed nec ad quintam, sextam, septimam, octavam, et nonam plagam dimisit populum, ut toties, semper mendaciter promiserat). *c*. 9. *et* 10.

Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret vel bene, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, etc. *Lev*. 5. 4. 5.

Saul, placatus voce Jonathæ, juravit, (se nihil mali amplius Davidi illaturum ; sed pejeravit, et statim David iterum interficere tentavit). 1. *Reg*. 19. 6.

Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum, quo teneatur adstrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cœlo. 3. *Reg*. 8. 31. 32.

Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis : furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post Deos alienos, quos ignoratis. *Jerem*. 7. 8. 9.

Hæc est maledictio, quæ egreditur super facie omnis terræ : quia omnis fur, sicut ibi (in libro legis) scriptum est, judicabitur : et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur, etc. *Zach*. 5. 3. *V. et v*. 4.

Et accedam (ait Dominus) ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach*. 3. 5.

Et intravit rex montem Sion, et vidit munitionem loci : et rupit citius juramentum, quod juravit : et mandavit destruere murum in gyro. 1. *Mach*. 6. 62.

(Alcimus) locutus est cum eis (Judæis) verba pacifica : et juravit illis, dicens : Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. Et crediderunt ei : (sed perjurus iste) comprehendit ex eis sexaginta viros, et occidit eos in una die. *Ibid*. 7. 15. 16. Et incubuit timor et tremor in omnem populum (Judæorum) : quia dixerunt : Non est veritas, et judicium in eis : transgressi sunt enim constitutum, et jusjurandum, quod juraverunt. *v*. 18.

(Simon misit petitam a Tryphone pecuniam, una cum filiis Jonathæ, ad ejus redemptionem. Tryphon autem, accepta pecunia, patrem occidit cum filiis). *Ibid*

c. 13. 19. 23. (Sic etiam Demetrius fœdus cum Jonatha initum prævaricatus est). *Supr. c.* 11. 53.

Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, et datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus), suassisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam. Ob quam causam non solum Judæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, et moleste ferebant de nece tanti viri injusta, etc. *Mach.* 4. 34. 35. *V. et c.* 13. 3.

Et iterum negavit (Petrus) cum juramento : Quia non novi hominem. *Matth.* 26. 72. *V. et v.* 74. *Item Marc.* 14. 71.

PERMISSIO *contra voluntatem.*

(Jacob permisit abduci Benjamin filium suum, tenere dilectum, non sponte et libenter, sed propter necessitatem ciborum, et escarum, ad instantiam filiorum). *Gen.* 43. 1.

(Moyses permisit dari libellum repudii odiosis uxoribus Judæorum, quia timebat in eis uxoricidium). *Deut.* 24. 1. *V. Matth.* 5. 31. *et c.* 19. 7. 8. *Item Marc.* 10. 4. 5.

Igitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones. Dixitque rex ad populum : Egrediar et ego vobiscum. Et respondit populus : Non exibis — quia tu unus pro decem millibus computaris : melius est igitur, ut sis nobis in urbe præsidio : Ad quos rex ait : Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. 2. *Reg.* 18. 1. *et seq.*

(Cognovit Simon, quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens filios Jonathæ, et centum talenta argenti) : jussit tamen dari argentum et pueros, (ne forte adversus se inimicitiam populi concitaret). 1. *Mach.* 13. 17.

PERSECUTIO. *V.* **Crux et Tribulatio.**

PERSECUTIO. — *Persecutionis piorum exempla.*

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum. *Gen.* 4. 8.

(Lot nepotem Abrahami abduxerunt tyranni captivum in mancipium cum omnibus, quos et quæ habebat). *Gen.* 14. 12.

(Persecutus est Ismael alienigena Isaacum inquilinum). *Ibid.* 21. 9. (Unde dicit Apostolus) (Galat. 4. 29.) : Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc. etc.

(Persequitur Esau pium fratrem Jacob, qui, ne occidatur ab eo, fugam arripere cogitur). *Ibid.* 27. 41. *et seq.*

(Persecutus est rex Pharao cum suis Ægyptiis filios Israel). *Exod.* 14. 8. *V. totum caput.*

Afflixeruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt, imponentes onera gravissima. *Deut.* 26. 6.

(Pluries et variis modis persecutus est Saul innocentem et pium David). 1. *Reg.* 18. 11. *et c.* 19. 10. 11. *et* 20. *Item c.* 20. 31. *c.* 23. 14. 25. *c.* 24. 3. *c.* 26. 2.

(Eumdem Davidem persequitur Absalom filius nequam), 2. *Reg.* 15. 14. *V. et c.* 17. 12.

(Persequi jurat Jezabel Eliam prophetam). 3. *Reg.* 19. 2.

Et ait rex Israel : Tollite Michæam (Prophetam) — et mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ, etc. *Ibid.* 22. 26. 27. *Item* 2. *Paral.* 18. 26.

(Impius rex Sennacherib persequitur et occidere vult pium Tobiam) *Tob.* 1. 22.

(Persequitur crudelissime Aman gentem Judæam). *Esther* 3. 8. 9.

(Principes militiæ regis Sedeciæ persequuntur Jeremiam, et in carcerem mittunt). *Jer.* 37. 14.

Et dixerunt principes regi (de Jeremia Propheta) : Rogamus, ut occidatur homo iste — Et dixit rex Sedecias : Ecce ipse in manibus vestris est. — Tulerunt ergo Jeremiam, et projecerunt eum in lacum, etc. qui erat in vestibulo carceris : et submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, etc. *Ibid.* 38. 4. *et seq.*

(Ananias, Misael, Azarias nolentes adorare statuam, quam rex Nabuchodonosor erexerat, ligati mittuntur in fornacem ignis ardentis). *Dan.* 3. 21. 33.

(Mittitur pius Daniel bis in lacum leonum, sed illæsus evadit). *Ibid.* 6. 16. 23. *Item c.* 14. 30.

(Persecutio Ecclesiæ magna facta ab Antiocho). 1. *Mach.* 5. 13. *et seq.*

Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra. *Matth.* 2. 16.

(Herodes persecutus est et interfecit Joannem Baptistam). *Ibid.* 14. 3. 10. *Item Marc.* 6. 17. 27. *Luc.* 3. 20.

(Persequuntur Pharisæi cæcum natum, propter recuperationem visus a Christo). *Joan.* 9. 28. 34. *V. totum caput.*

Cogitaverunt autem principes Sacerdotum, ut et Lazarum interficerent : quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. *Ibid.* 12. 10. 11.

(Persequuntur Sadducæi Apostolos Christi, etc). *Act.* 4. 3. *V. et c.* 5. 18. 33. (persecutionem Apostolorum).

(Seniores, Scribæ, falsi testes, et concilium totum persequuntur Stephanum). *Ibid.* 6. 12. *V. et c.* 7. 54. *et seq. usq. ad finem.*

Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones, etc. *Ibid.* 8. 1.

Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent (Paulum) *Ibid.* 9. 23. *V. et v.* 24.

Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem, quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum — Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, etc. *Ibid.* 12. 1. *et seq.*

Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam : et ejecerunt eos de finibus suis. *Ibid.* 13. 50. *V. c.* 14. 2. 5.

Lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. *Ibid.* 14. 18.

Et cucurrit plebs adversus eos (Paulum et Silam) : et magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, etc. *Ibid.* 16. 22. 23.

(Demetrius argentarius gravem adversus Paulum seditionem excitat). *Ibid.* 19. 24. *V. versus sequentes, usque ad finem.*

Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 2. *Tim.* 3. 12.

PERSECUTIO. — *Persecutorum Ecclesiæ Dei et piorum ejus civium pœnæ, exempla.*

(Pharaonem propter persecutionem, qua persecutus est filios Israel, decem plagis afflixit Deus : et tandem mersatur in mari rubro cum omni suo exercitu). *Exod. c.* 7. 8. 9. 10. *et c.* 14. 28.

(Jehu in regem Israel uncto per Prophetam mandat Deus, ut deleat domum Achab : occidit ergo Joram una cum Ochozia, rege Juda ; et corpus Jezabel a fenestra ipsius jussu præcipitatæ canes devorant, juxta Eliæ vaticinium). 4. *Reg. c.* 9. *Et c.* 10. *idem* (Jehu septuaginta filios Achab, et quadraginta duos fratres Ochoziæ necari jubet, totamque delet progeniem Achab).

(Propter Rabsacis blasphemias, percutit Angelus Domini 185 000 Assyriorum : quare fugiens Sennacherib, in templo idolorum suorum a filiis suis occiditur). *Ibid.* 19. 35. 37. *V. Tob. et* 1. 21. *Item* 2. *Paral.* 32. 21. *Isa.* 37. 36. 38. 1. *Mach.* 7. 41. 2. *Mach.* 8. 19. *et. c.* 15. 22.

(Sic et Achab juxta Micheæ prophetiam in bello occiditur). 2. *Par.* 18. 33. *Item* 3. *Reg.* 22. 34.

(Sic Holofernes persecutor Judæorum cecidit per manus Judith). *Judith.* 13. 10. *Sic et Amon. Esth.* 7. 10.

Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, et Abdenago (in ignem), interfecit flamma ignis. *Dan.* 3. 22.

(Daniel supra Satrapas regni constituitur ; et accusatus, quod regis edictum non servasset, quia Deum cœli orabat, missus est in lacum leonum, sequentique die illæsus eductus, immissi, ac subito dilaniati sunt ejus accusatores). *Ibid. c* 6. *V. et c.* 14. 41.

(Nicanor cum toto suo exercitu a Judæis ocisus est, amputato ipsius capite, ac dextera, quam irrisis Judæorum sacrificiis superbe contra locum sanctum extenderat). 1. *Mach.* 7. 47.

(Alcimus ob impia in locum sanctum facinora, percussus a Deo paralysi, mortuus est). *Ibid.* 9. 55. 56. *V. totam Historiam Machabæorum.*

(Herodes Jacobum fratrem Joannis gladio feriens, et Petrum in carcerem mittens, justo Dei judicio percussus ab Angelo, horribili morte periit) ; et consumptus a vermibus, expiravit. *Act.* 12. 23.

PERSEVERANTIA *et constantia in propositis. V. et* **Constantia.**

PERSEVERANTIA. — *Dicta et exempla.*

Eduxeruntque (Angeli) eum (Lot), et

posuerunt extra civitatem : ibique locuti sunt ad eum, dicentes : Salva animam tuam : noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. *Gen.* 19. 17. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. *v.* 26. *V. Sap.* 10. 6. 7.

(Singulis diebus molesta erat Joseph domina sua : ipse tamen perseveranter resistebat operi nefario). *Ibid.* 39. 10.

(Perseverantia Moysis, tenentis manus elevatas in oratione, dum pugnarent Israelitæ contra Amalec, obtinuit plenam de hoste victoriam). *Exod.* 17. 12.

(Dure reprehensus David a fratre suo majore, et etiam dissuasus a Saule, non destitit a proposito, profligandi scilicet Philisthæum gigantem : et viriliter pugnavit, et Goliath vicit). 1. *Reg.* 17. 28. 33. *et* 50.

(Perseveranter egit Joab in obsidione Rabbath, donec capta fuit civitas). 2. *Reg.* 12. 26. *et seq.*

(Item in prælio contra Absalom). *Ibid.* 18. 2.

(Et contra Sebam filium Bochri in obsidione civitatis Abelæ). *Ibid.* 20. 13. *et seq.*

(Quamvis Nehemias in ædificandis muris Jerusalem multa passus fuerit impedimenta ; non tamen cessavit ab opere, donec muri fuerunt totaliter constituti). 2. *Esdr.* 4. 6. *et seq. per totum.*

(Eliachim sacerdos magnus allocutus est omnem Israel, dicens : Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini, etc. *Judith* 4. 12. *V. v.* 14. *et seq.*

(Mardochæus ita constanter perstitit in suo proposito, ut non solum adorare noluerit Aman, sed nec ei assurgere transeunti). *Esther* 3. 2. *et c.* 5. 9.

Et dixit Dominus ad Satan : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adverrus eum, ut affligerem eum frustra. *Job.* 2. 3.

Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua (Domine) non declinavi. *Psal* 118. 51.

Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus : quia abominatio Domini est omnis illusor. *Prov.* 3. 31. 32.

Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto tota die : quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. *Ibid.* 23. 17. 18.

Deprime cor tuum, et sustine : inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus: et ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua, etc. *Eccli.* 2. 2. 3. *per totum caput.*

Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. *Ibid.* 35. 9.

Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. *Ezech.* 18, 24.

Etiam si dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem : omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. *Ibid.* 33. 13.

(Socii Danielis constanter dixerunt regi Babylonis) : Notum sit tibi, rex, quia deos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. *Dan.* 3. 18.

(Non intermisit Daniel propter crudele decretum Darii, quin oraret ter in die, sicut ante consueverat, et adoraret Dominum Deum suum). *Ibid.* 9. 10.

(Constanter restitit Susanna duobus impudicis senibus, qui eam tam vehementi sollicitatione tentabant). *Ibid* 13. 20.

Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda : et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis. 1. *Mach* 1. 65.

(Miram constantiam et perseverantiam habuit Eleazarus in tormentis, et magis elegit crudelissima morte puniri, quam contra legem carnes edere porcinas, vel simulare se comedisse). 2. *Mach.* 6. 18. *V. et versus sequentes.*

(Septem fratres cum pia matre sua bene perseveraverunt usque in finem, nec potuerunt ad prævaricationem legis adduci blanditiis, vel tormentis). *Ibid. c.* 7. *per totum.*

Et eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usque

in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10. 22. *Idem verbatim habetur c.* 24. 13 *Item Marc.* 13. 13.

(Vide præclarum exemplum perseverantiæ in muliere Chananæa, quæ non intermisit Christum rogare, et ad misericordiam movere, licet ter repulsa). *Matth.* 15. 22. *et seq. Item Marc.* 7. 25. *et seq.*

Ex hoc (scilicet quia dixerat Jesus discipulis : Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo) multi discipulorum ejus abierunt retro : et jam non cum illo ambulabant. *Joan.* 6. 66.

(Cæcus natus a Domino illuminatus constanter perseveravit, contra Pharisæos veritatem confitens atque defendens). *Ibid. c.* 9. *per totum.*

Hi omnes (scil. discipuli, et Apostoli Domini) erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, etc. *Act.* 1. 14.

Erant autem perseverantes (scil. tria millia nuper baptizatorum) in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. *Ibid.* 2. 42.

(Principes Judæorum videntes — Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur, etc. *Ibid.* 4. 13. *V. et c.* 5. 42.

Qui (Barnabas) cum pervenisset (Antiochiam), et vidisset gratiam Dei, gavisus est : et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino : quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide. *Ibid.* 11. 23. 24.

Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam : qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei. *Ibid.* 13. 43.

Cumque evangelizassent (Paulus et Barnabas) civitati illi (Derben), et docuissent multos, reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide : et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Ibid.* 14. 20. 21.

Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi (Paulo), protestatur dicens : quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor ; nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, etc. *Ibid.* 20. 23. 24.

Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate ; alioquin et tu excideris. *Rom.* 11. 22.

Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles : abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. 1. *Cor.* 15. 58.

Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, etc. *Ephes.* 4. 14. *V. Coloss.* 1. 23.

Orantes omni tempore in spiritu ; et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis. *Ibid.* 6. 18. *V. Philipp.* 3. 14. *et c.* 4. 1.

Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. 2. *Thess.* 3. 13. *V. et. Galat.* 6. 9. *Item* 1. *Thess.* 1. 3. 10. *c.* 5. 8. *c.* 4. 1.

Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. 2. *Tim.* 2. 5.

Participes enim Christi effecti sumus : si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. *Hebr.* 3. 14.

Cupimus autem, unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem : ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. *Ibid.* 6. 11. 12. *V. et v.* 15. *et c.* 10. 23. *et c.* 12. 7.

Patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. *Jacob.* 1. 4.

Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat : si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. 1. *Joan.* 2. 24. *V. Apoc.* 2. 26.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2. 10.

PERSEVERANTIA *in precibus commendatur.*

PERSEVERANTIA. — *Dicta et exempla.*

(Elias repetitis precibus impetrat tandem pluviam a Deo). 3. *Reg.* 18. 42. 45.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum : et non sum deceptus. *Psal.* 76. 3.

Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. *Psal.* 87. 1.

Ecce mulier Chananæa — clamavit, di-

cens ei (Christo) : Miserere mei, Domine, fili David, etc. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait : Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. At illa venit, et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me. Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa dixit : Etiam Domine : nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier ! magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. *Matth.* 15. 22. *et seq. V. Marc.* 7. 25. *et seq.*

Et si ille (amicus) perseveraverit pulsans (et orans) : dico vobis, et si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit; propter improbitatem (scil. importunitatem) tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios (panes). Et ego vobis dico : Petite, et dabitur vobis, etc. *Luc.* 11. 8. 9. *V. Matth.* 7. 7.

Dicebat autem (Christus) et parabolam ad illos (discipulos suos), quoniam oportet semper orare, et non deficere. *Ibid.* 18. 1. *V. exemplum judicis et videte. v.* 2 *et seq. V. pariter exemplum cæci, v.* 39. *qui non sinebat sibi prohiberi, ne clamaret :* Jesu, fili David, miserere mei.

Omnes (discipuli, et Apostoli) erant perseverantes unanimiter in oratione. *Act.* 1. 14. *V. et c.* 2. 42. *similia verba.*

Orationi (sitis) instantes. *Rom.* 12. 12.

Orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis. *Ephes.* 6. 18. *Coloss.* 4. 2. *Item* 1. *Thess.* 5. 17.

Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

PERSEVERANTIA *est Dei donum.*

Qui (Deus) et confirmabit usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. 1. *Cor.* 1. 8.

Propter quod peto, ne deficiatis, etc. *Ephes.* 3. 13.

De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. *Ibid.* 6. 10.

Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. *Philipp.* 1. 6.

Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate (sua). *Ibid.* 2. 13. *V.* 1. *Thess.* 5. 24.

Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute, etc. 2. *Thess.* 1. 11.

Deus autem pacis — aptet vos in omni bono, etc. *Hebr.* 13. 20. 21.

Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. 1. *Petr.* 5. 10.

PERSONA. — *Personarum acceptio illicita, nec Deus personam respicit. V. et* **Acceptio personarum.**

Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis : juste judica proximo tuo. *Levit.* 19. 15.

Nulla erit distantia personarum : ita parvum audietis, ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. *Deut.* 1. 17.

Quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis. qui personam non accipit, nec munera. *Ibid.* 10. 17.

Non accipies personam, nec munera. *Deut.* 16. 19.

Et dixit Dominus ad Samuelem : Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus (Eliab); quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico : homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. *Reg.* 16. 7.

Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Paral.* 19. 7.

Qui non accipit personas principum : nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem : opus enim manuum ejus sunt universi. *Job* 34. 19.

Accipere personam impii (in judicio), non est bonum, ut declines a veritate judicii. *Prov.* 18. 5.

Hæc quoque sapientibus (dico) : Cognoscere personam in judicio, non est bonum. *Ibid.* 24. 23.

Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit : iste pro bucella panis deserit veritatem. *Ibid.* 28. 21.

Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et ma-

gnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. *Sap.* 6. 8.

Est qui perdet animam suam præ confusione, et ab imprudenti perdet eam : personæ autem acceptione perdet se. *Eccli.* 20. 24.

Et noli inspicere sacrificium injustum, quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria pepsonæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. *Ibid.* 35. 15. 16. *V. Isa.* 11. 3.

Ne accipias personam, ut delinquas. *Ibid.* 42. 1.

Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquis que nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? *Malach.* 2. 9. 10.

Magister (aiunt Pharisæi tentantes Christum), scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominum. *Matth.* 22. 16. *Marc.* 12. 14. *Luc.* 20. 21.

Aperiens autem Petrus os suum, dixit : In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. *Act.* 10. 34. 35.

Non enim est acceptio personarum apud Deum. *Rom.* 2. 11. *V. Ephes.* 6. 9.

Deus personam hominis non accipit; mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. *Galat.* 2. 6. *V.* 1. *Petr.* 1. 17.

Qui enim injuriam facit, recipiet id, quod inique gessit : et non est personarum acceptio apud Deum. *Coloss.* 3. 25.

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Christi gloriæ. *Jacob.* 2. 1. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege, quasi transgressores. *v.* 9.

PERSUASIONES *malæ. V.* **Consilia mala.**

PES. — *Pedes, affectus, cogitationes, consilia, opera, et progressus hominum tum piorum tum impiorum in hac vita significant.*

(Deus) pedes sanctorum suorum ser abit, et impii in tenebris conticescent. 1. *Reg.* 2. 9.

Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. *Job* 13. 27.

Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt : in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. *Psal.* 24. 15.

Qui (Deus) posuit animam meam ad vitam; et non dedit in commotionem pedes meos. *Psal.* 65. 9.

Lucerna (Deus) pedibus meis verbum tuum; et lumen semitis meis. *Psal.* 418. 105.

Non det (Deus) in commotionem pedem tuum. *Psal.* 120. 3.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc.* 1. 79.

Et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr.* 12. 13.

PETITIO. *V. et* **Oratio.**

PETITIO. — *Petitiones et orationes fidelium non vanæ.*

Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel, etc. *Exod.* 17. 11.

Et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. 1. *Reg.* 7. 9.

(Dixit Elias) : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. 3. *Reg.* 17. 1. *V. Jacob.* 5. 17.

Respondensque Elias, dixit quinquagenario : Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta, qui erant cum eo. 4. *Reg.* 1. 10. 2. *V. et v.* 12. *ubi idem repetitur.*

(Oratione et petitione sua suscitavit Eliseus filium Sunamitidis mortuum). *Ibid.* 4. 32. *et seq.*

(Ezechias conversus ad Dominum, pro liberatione urbis Jerusalem precatur, et exauditur). *Ibid.* 19. 1. *per totum Caput. V. Isa.* 37. 1. *pariter per totum.*

Job autem servus meus (dixit Deus amicis Job) orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. *Job* 42. 8.

Voce mea ad Dominum clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo. *Psal.* 3. 5.

Cum invocarem, exaudivit me Deus

justitiæ meæ. *Psal.* 4. 2. Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum. *v.* 4.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua. *Psal.* 10. 17.

In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi : et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. *Psal.* 7. 17. *Item* 2. *Reg.* 22. 7.

Non sprevit, neque despexit (Dominus) deprecationem pauperis : nec avertit faciem suam a me : et cum clamarem ad eum, exaudivit me. *Psal.* 21. 25.

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. *Psal.* 29. 3.

Exaudisti (Domine) vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. *Psal.* 30. 23.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus meis eripuit me. *Psal.* 33. 5. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *v.* 18.

Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus. *Psal.* 37. 16.

Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi : et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. *Psal* 39. 2. 3.

Ego autem ad Deum clamavi : et Dominus salvabit me. Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo : et exaudiet vocem meam. *Psal.* 54. 17. 18.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus : et vinctos suos non despexit. *Psal.* 68. 34.

Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Deum, et intendit mihi. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum : et non sum deceptus. *Psal.* 76. 2. 3.

In die tribulationis meæ clamavi ad te (Domine); quia exaudisti me. *Psal.* 85. 7.

Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum, etc. *Psal.* 90. 14. 15.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus : invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nobis loquebatur ad eos. *Psal.* 97. 6. 7.

(Deus) respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum. *Psal.* 101. 18.

De tribulatione invocavi Dominum : et exaudivit me in latitudine Dominus. *Psal.* 117. 5.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me. *Psal.* 119. 1.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet : et salvos faciet eos. *Psal.* 144. 18. 19.

Longe est Dominus ab impiis, et orationes justorum exaudiet. *Prov.* 15. 29.

Populus enim Sion habitabit in Jerusalem : plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. *Isa.* 30. 19.

Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens : Hæc dicit Dominus Deus Israel : pro quibus rogasti me (exaudivi te). *Ibid.* 37. 21. *V.* 4. *Reg.* 19. 20.

Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens : Vade, et dic Ezechiæ : Hæc dicit Dominus, Deus David patris tui : Audivi orationem tuam; et vidi lacrymas tuas : ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos : et de manu regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam. *Ibid.* 38. 4. *et seq. V.* 4. *Reg.* 20. 5. 6.

Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui. *Ibid.* 49. 8. *V.* 2. *Cor.* 6. 2.

Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum : si abstuleris de medio tui catenam (peccatorum), et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest. *Ibid.* 58. 9.

Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione : quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. Eritque, antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Ibid.* 65. 23. 24.

Et invocabitis me, et ibitis : et orabitis me, et ego exaudiam vos, etc. *Jerem.* 29. 12.

Clama ad me, et exaudiam te : et annuntiabo tibi grandia, et firma, quæ nescis. *Ibid.* 33. 3.

Omnis enim, qui petit, accipit : et qui

quærit, invenit : et pulsanti aperietur, etc. *Matth.* 7. 8. *V. Marc.* 11. 24. *Item Luc.* 11. 10. *Joan.* 16. 23. 24.

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. *Ibid.* 18. 19.

Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Ibid.* 21. 22.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : et glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. *Joan.* 14. 13. 14.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque volueritis petetis; et fiet vobis. *Ibid.* 15. 7.

Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati : et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Act.* 4. 31.

Media autem nocte, Paulus et Silas orantes laudabant Deum : et audiebant eos, qui in custodia erant. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt ostia : et universorum vincula soluta sunt. *Ibid.* 16. 25. 26.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans, etc. *Jacob.* 1. 5. 6.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. 1. *Petr.* 3. 12. *V. Psal.* 33. 16.

Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. 1. *Joan.* 3. 21. 22.

Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum (Deum) : Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, etc. *Ibid.* 5. 14. *V. et. v.* 15.

PETITIO. — *Petitiones justæ esse debent. Exempla.*

Sitiensque valde (Samson) clamavit ad Dominum, et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam : en siti morior : incidamque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini; et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. *Judic.* 15. 18. 19.

Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ : dederisque servæ tuæ sexum virilem : dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus : (et exaudivit Dominus petitionem ejus). 1. *Reg.* 1. 10. 11. *V. totum caput. V. simile de Zacharia, Luc.* 1. 15.

Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem (scil. sapientiam), (et dedit illi hanc, et divitias, etc). 3. *Reg.* 3. 10. *V. et versus sequentes. Item* 2. *Par.* 1. 10. *et seq. Sap.* 9. 4. *et* 10.

(Petiit Eliseus duplicem spiritum Eliæ, et accepit). 4. *Reg.* 2. 9. 15.

PETITIO. — *Petitionum injustarum exemplum.*

Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites : In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. 1. *Reg.* 11. 1. 2.

(Dixit Adonias ad Bethsabee) : Precor, ut dicas Salomoni regi — ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem, etc. 3. *Reg.* 2. 17.

(Dixit mater filiorum Zebedæi ad Jesum): Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. *Matth.* 20. 21. *V. Marc.* 10. 37.

(Herodiadis filia petivit a rege), dicens: Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. *Marc.* 6. 25. *Item Matth.* 14. 8.

PIETAS. *V.* **Adoratio. Bona opera. Invocatio. Opera etc. etc.**

PIETAS *mulierum. V.* **Mulierum pietas.**

PIGNUS *salutis nostræ est Spiritus Sanctus.*

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. *Rom.* 8. 16.

Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2. *Cor.* 1. 21. 22.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. *Ibid.* 5. 5.

In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. *Ephes.* 1. 13. 14.

Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei : in quo signati estis in diem redemptionis. *Ibid.* 4. 30.

PIGRITIA. *V. et* **Acedia, et Negligentia.**

PIGRITIA *damnatur.*

Vult et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur. *Prov.* 13. 4.

Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. *Ibid.* 19. 15. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. *v.* 24. *Item c.* 26. 15.

Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. *Ibid.* 20. 13.

Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quidquam manus ejus operari, etc. *Ibid.* 21. 25

Dicit piger : Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. *Ibid.* 22. 13. *Item c.* 26. 13.

PIGRITIA. — *Pigritiæ mala.*

Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi. *Prov.* 20. 4.

Cogitationes robusti semper in abundantia : omnis autem piger semper in egestate est. *Ibid.* 21. 5.

Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. *Ibid.* 24. 30. 31. Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas : et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus. *v.* 33. 34.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, replebitur egestate. *Ibid.* 28. 19. *Item c.* 12. 11.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. *Matth.* 13. 25.

PLAGA *Dei, seu vindicta.*

(Hominis peccata fuere Diluvii causa). *Gen. c.* 6. *V. et cap.* 18. (Sodomorum eversionem).

(Moyses et Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in serpentem, et aquam virga percussam in sanguinem, quæ etiam faciunt magi Pharaonis suis incantationibus ; quam ob causam Pharao magis induratur). *Exod. c.* 7. *Item Psal* 77. 44. *et Psal.* 104. 29.

(Secunda Ægypti plaga est Ranarum, pro quarum ablatione promittit Pharao populum dimittere, nec facit ; quare additur tertia Sciniphum, et quarta Muscarum ; propter quas rursum promittit Pharao se filios Israel dimissurum, quod non facit). *Ibid. c.* 8. *Item Psal.* 77. 45. *et Psal.* 104. 30. 31. *Item Sap.* 16. 9.

(Quinta plaga est Pestis in jumentis, sexta Ulcerum, septima Grandinis, ob quam promittit Pharao se dimissurum populum, si cesset ; verum nec id complet, imo amplius se obdurat. Nullus autem filiorum Israel in his malis aliquid patitur damni). *Ibid. c.* 9. *Item Psal.* 77. 47. 48. *et Psal.* 104. 32. 33.

(Octava plaga est Locustarum, quibus ablatis, obduratus Pharao ne sic quidem juxta condictum dimittit populum : quapropter nona additur, nempe Tenebrarum densissimarum). *c.* 10. *Item Psal.* 77. 46. *et Psal.* 105. 34. 35. *Item Sap.* 16. 9. *et c.* 17. 17.

Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum — et ortus est clamor magnus in Ægypto : neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus. *Exod.* 12. 29. 30. *Item Psal.* 77. 51. *et Psal.* 104. 36.

(Pharao filios Israel persequens, et mare per siccum post illos ingrediens, cum universo equitatu et curribus submergitur). *Ibid. c.* 14. *et* 15. *Item Psal.* 77. 53. *et Psal* 105. 11. *Item Sap.* 10. 19.

(Fames in terra, et pestilentia, ærugo et aurugo, locusta et bruchus, bellum, hostes, vastatio regionum, et portarum civitatis obsessio, omnisque plaga et infirmitas). 2. *Paral.* 6. 28. *Item* 3. *Reg.* 8. 37.

Quod si dixerint ad te (Jeremia) : Quo egrediemur? dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Qui ad mortem, ad mortem : et

qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem, ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem, etc. *Jerem.* 15. 2. *V. et versus sequentes.*

PLANCTUS. *V.* **Lacrymæ.**

PŒNA *peccati non statim universa remittitur, remissa culpa.*

Dixitque Dominus (Moysi petenti a Domino veniam peccatorum populi Israel) : Dimisi juxta verbum tuum — (Sed qui peccaverunt non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. *Num.* 14. 20. 23. *V. Deut.* 1. 35.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris. (Attamen filius ejus mortuus est, et David varie punitus fuit). 2. *Reg.* 12. 13. 18.

(David ob numeratum populum a Gad Propheta correptus, ex tribus oblatis flagellis, pestem triduanam elegit, qua in populum sæviente, ac 70 000 interemptis, orat David Dominum, et a Gad Propheta admonitus in area Areuna, dato pretio, altare erigit, cessatque pestis), *Ibid. c.* 24. *V. et* 1. *Paral. c.* 21.

PŒNA. — *Pœnæ divinæ exempla.*

(Graviter punivit Deus peccatum primorum parentum, quod ipsi credebant leve, nec ita dure puniendum fore). *Gen. c.* 3.

(Universo mundo Deus non pepercit, sed ipsum pene totum diluvii inundatione delevit). *Ibid. c.* 7.

(Quinque civitates propter peccatum Sodomiticum fœtentes, ignis conflagratione consumptæ sunt per Angelos a Deo missos). *Ibid. c.* 19.

(Pharao cum omni exercitu persequens filios Israel, in mari rubro submergitur). *Exod. c.* 14. *et* 15. *V. Psal.* 77. 53. *et Psal.* 105. 11. *Item Sap.* 10. 19.

(Quia populus Amalec voluit impedire filios Israel euntes in terram promissionis, dixit Dominus ad Moysen) : Delebo — memoriam Amalec sub cœlo. *Ibid.* 17. 8. 14.

(Propter vitulum, quem adoraverunt Israelitæ, ceciderunt una die 23 000 hominum). *Ibid.* 32. 28.

(Egressus est ignis a Domino, et devoravit Nadab et Abiu filios Aaron, quia arreptis thuribulis ignem alienum et incensum desuper posuerunt, et coram Domino obtulerunt). *Lev.* 10. 1.

(Jussit Dominus, puerum blasphemum extra castra educi, et ab universo populo lapidari). *Ibid.* 24. *v.* 11. 14. *et* 23.

(Carnibus, quas miserat Dominus voracibus filiis Israel, adhuc existentibus in dentibus eorum), percussit (Dominus populum) plaga magna nimis. *Num.* 11. 33. *V. Psal.* 77. 30. 31.

(Percussit Dominus Mariam lepra, quia locuta est contra Moysen fratrem suum). *Ibid.* 12. 10.

(De sexcentis millibus virorum, qui numerati sunt, nullus intravit terram promissionis propter eorum peccata, præter Caleb et Josue, sicut minatus est Dominus). *Ibid.* 14. 23. 24. *V. c.* 11. 21.

(Ligna colligens in Sabbato, fuit præcepto Domini lapidatus). *Ibid.* 15. *v.* 32. 35. *et* 36.

(Terribili morte punivit Dominus Core et complices ejus). *Ibid.* 16. 31. *Item Psal.* 105. 17.

(Hæsitantem ad aquas contradictionis Moysen Dominus dure punivit, cum tamen usque tunc tam sancte et fideliter se gessisset, tam ad Deum, quam erga populum). *Ibid.* 20. 12. *V. Psal.* 105. 32.

(Misit Dominus serpentes ignitos in populum, quia pertæduerat eum itineris et laboris, et dixerat) : Cur eduxisti nos de Ægypto? etc. *Ibid.* 21. 4. *et seq. V. Sap.* 16. 6. *Item* I. *Cor.* 10. 9.

(Achan filius Charmi cum tota cognatione et supellectili sua misere periit, quia abstulerat de anathemate Jericho). *Josue.* 7. 24. *et seq.*

(Pro peccato in uxore Levitæ commisso, tota tribus Benjamin, exceptis sexcentis hominibus, fuit, Domino jubente, deleta). *Judic. c.* 20. *per totum.*

(Heli peccantes filios corripuit, sed leviter, propter quod ipse in eis et cum eis punitus est). 1. *Reg.* 2. 23. *et seq. et c.* 3. 17. 18.

(Quia Saul obtulit holocaustum contra mandatum Samuelis, reprobatus fuit. Et insuper quia Agag regem Amalec, et greges ovium reservavit). *Ibid.* 13. 13. 14. *et c.* 15. 9. *V. per totum Caput.*

(Adducente David arcam Domini super plaustrum, Oza tenuit eam, ne caderet, quia boves calcitrantes inclinaverant eam ; et percussit eum Dominus super temeri-

tate ista, et mortuus est ibi). 2. *Reg.* 6. 6. 7. *Item Paral.* 13. 9. 10.

(Propter peccatum Saul crucifixi sunt a Gabaonitis septem filii ejus post ejus mortem, quia fames magna prævaluerat in terra). *Ibid. c.* 21. *per totum.*

(Septuaginta millia hominum mortui sunt propter elationem David. quando fecit populum numerare). *Ibid. c.* 24. *Item* 1. *Paral. c.* 21.

(Vir Dei, qui venit de Juda, et nuntiavit Jeroboam subversionem altaris, et nativitatem Josiæ, occisus fuit a leone, eo quod contra præceptum Domini comedit panem in domo cujusdam Prophetæ). 3. *Reg.* 13. 1. *per totum.*

(Quadraginta duo pueri a duobus ursis fuerunt lacerati, pro eo, quod illuserant Eliseo, dicentes): Ascende, calve. 4. *Reg.* 2. 23. 24.

(Si tam graviter punitum fuit Giezi peccatum, qui accepit munera a Naaman, voluntarie ei data : quid erit de illis, qui accipiunt aliena vel fraudulenter exacta, vel violenter extorta)? *Ibid.* 5. 20. *et seq.*

(Quia Ezechias ostendit thesauros suos nuntiis regis Babylonis, amisit eos; cum tamen illi de terra longinqua venissent, quod lætanter recipi debuissent). *Ibid.* 20. 13. *et seq. Item. Isa.* 39. 2. *et seq.*

(Populum peculiarem et dilectum tradidit Dominus in manus Nabuchodonosor : qui totam gentem crudeliter captivam fecit, sanctam civitatem combussit, et templum destruxit). *Ibid. c.* 25. *per totum. Item Jerem. c.* 52. *pariter per totum.*

(Ozias rex Juda cepit thuribulum, et more sacerdotum voluit adolere incensum, statimque est orta lepra in fronte ejus). 2. *Paral.* 26. 16. 19.

Pro eo, quod elevatæ sunt filiæ Sion, etc. *Isa.* 3. 16. *et seq.* Erit pro suavi odore fœtor, etc. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio, etc. *v.* 24. *et seq.*

(Reges Babylonis filios Israel crudeliter tractaverunt, postea etiam ipsi cum inclyta civitate sua fuerunt destructi, sicut minatus est Dominus). *Ibid. c.* 14. 21. *et* 47. *per tot. et item Jerem. c.* 50. *et* 51. *pariter per tot.*

(Heliodorus fuit graviter flagellatus, eo quod viduarum et pupillorum deposita voluit asportare). 2. *Mach.* 3. 23. *et seq. usq. ad fin.*

(Antiochus rex fuit tam gravi plaga percussus), ita ut de corpore impii vermes scaturirent — odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur. *Ibid.* 9. 5. 9. *V. et versus sequentes.*

(Servum nequam, qui noluit dimittere conservo centum denarios), iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. *Matth.* 18. 28. 34.

(Inutilem servum, qui traditum sibi non curavit multiplicare talentum, præcepit Dominus illo, quod habuerat, spoliari, et in tenebras exteriores ejici). *Ibid.* 25. 28. 30.

(Fraus illa, quam commisit Ananias, conscia Saphira uxore sua, gravi fuit ultione punita). *Act.* 5. 1. *et seq. usq. ad v.* **11.**

Herodes, vestitus veste regia, sedit pro tribunali, etc. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus, expiravit. *Ibid.* 12. 21. *et seq.*

PŒNITENTIA *et satisfactio pro peccatis.*

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal.* 6. 7.

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Matth.* 3. 8.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cæperitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Luc.* 3. 8.

Pœnitentiam (inquit) (Petrus) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* 2. 38. *V. et c.* 3. 19.

Pœnitentiam itaque age (ait Petrus Simoni mago) ab hac nequitia tua : et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ibid.* 8. 22.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10.

PŒNITENTIA. — *Pœnitentiæ Sacramentum.*

Vade, ostende te Sacerdoti. *Matth.* 8. 4. *Item Marc.* 1. 4. *Luc.* 5. 14.

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo :

et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Ibid.* 18. 18. *V. c.* 16. 18.

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* 20. 22. 23.

Multique credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos. *Act.* 19. 18.

Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem. *Jacob.* 5. 16.

Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1. 8. *V. Reg.* 8. 46. 2. *Paral.* 6. 36. *Prov.* 20. 9. *Eccles.* 7. 21.

PŒNITENTIA *prædicatur.*

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. *Jerem.* 7. 3. *Item c.* 26. 13.

Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3. 2. *Idem verbatim habetur c.* 4. 17. *V. Marc.* 1. 4. *et* 15.

Et venit (Joannes) in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pænitentiæ, in remissionem peccatorum. *Luc.* 3. 3. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham, etc. *v. V. Matth.* 5. 8.

Nisi pœnitentiam habueritis dixit Jesus), omnes similiter peribitis. *Ibid.* 13. 3. 5.

Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die : et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. *Ibid.* 24. 46. 47.

Pœnitentiam (inquit) (Petrus) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum ; et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* 2. 38.

Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, etc. *Ibid.* 3. 19.

Pœnitentiam itaque age (ait Petrus Simoni mago) ab hac nequitia tua : et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Ibid.* 8. 22.

Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. *Ibid.* 17. 30.

(Paulus erat) testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. *Ibid.* 20. 21.

Sed his, qui sunt Damasci primum, et Jerosolymis, et in omnem regionem Judææ, et Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. *Ibid.* 26. 20.

PŒNITENTIA. — *Pœnitentiæ veræ et non fictæ promissa est venia.*

Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et id ipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, etc. *Lev.* 5. 4. 5. *V. v.* 17.

Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. *Deut.* 4. 29.

Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo : et ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum, et obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, et in tota anima tua : reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, et miserebitur tui, etc. *Ibid.* 30. 1. *et seq.*

Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth : et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. 1. *Reg.* 7. 3.

Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi), et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint, etc. exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui Israel, etc. 3. *Reg.* 8. 33. *usque ad v.* 54. *Item* 2. *Paral.* 6. 24 *usq. ad fin.*

Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero, et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum : conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et ex-

quæsierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis : et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum, etc. 2. *Paral.* 7. 13. 14. *V. c.* 12. 7. 12.

Cumque reversi fuerint (filii Israel) in angustia sua ad Dominum Deum Israel, et quæsierint eum, reperient eum. *Ibid.* 15. 4.

(Ait Olda prophetissa ad Helciam, aliosque nuntios regis Josiæ) : Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me : ego quoque exaudivi te, dicit Dominus. Jam enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum tuum in pace : nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, et super habitatores ejus. *Ibid.* 34. 26. *et seq. Item* 4. *Reg.* 22. 18. *et seq.*

Cum transgressi fueritis (ait Dominus), ego dispergam vos in populos : et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea : etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, et reducam in locum, quem elegi, ut habitaret nomen meum ibi. 2. *Esdr.* 1. 8. 9.

Etiam si filii tui (dixit Baldad ad Job) peccaverunt ei (Deo), et dimisit eos in manu iniquitatis suæ : tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus : si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ, in tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novisssima tua multiplicentur nimis. *Job* 8. 4. *et seq.*

Si reversus fueris ad Omnipotentem (ait Eliphaz ad Job), ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. *Ibid.* 22. 23.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi : Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal.* 31. 5.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov.* 28. 13.

Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem, etc. *Eccli.* 17. 23. *V. et versus sequentes. Item Isa.* 31. 6.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ob oculis meis : quiescite agere perverse, discite benefacere, etc. *Isa.* 1. 16. 17.

Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus : beati omnes, qui expectant eum. *Ibid.* 30. 18.

Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua : revertere ad me, quoniam redemi te. *Ibid.* 44. 22. *V. c.* 21. 12.

Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ : quia ego Deus, et non est alius. *Ibid.* 45. 22. *V.* 46. 8. *Item* 4. *Reg.* 17. 13. *Jerem.* 18. 11. *et c.* 25. 5. *et c.* 35. 15.

Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. *Ibid.* 55. 7. *V. c.* 59. 20.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem — ut consolarer omnes lugentes : ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, etc. *Ibid.* 61. 1. *et seq. V. Luc.* 4. 18. 19.

Revertere ad me (Jerusalem, scil. anima peccatrix), dicit Dominus, et ego suscipiam te. *Jer.* 3. 1. Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis : quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum, etc. *v.* 12. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem ; et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. *v.* 17. *V. v.* 14. *et.* 22.

Si reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere : si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. *Ibid.* 4. 1. Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias, etc. *v.* 14. *V. Eccli.* 17. 21. 22.

Cum evulsero eos (inimicos meos), convertar, et miserebor eorum, et reducam

eos, virum ad hæreditatem suam, et virum in terram suam. Et erit : si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo : Vivit Dominus — ædificabuntur in medio populi mei. *Ibid.* 12. 15 16. *V. c.* 7. 3. *et c.* 26. 13, *Item Thren.* 3. 40.

Si pœnitentiam egerit gens illa (Judæorum) a malo suo, quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. *Jerem.* 18. 8. *V. c.* 29. 12. *et seq. et c.* 36. 3.

Audiens audivi Ephraim transmigrantem. Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus : converte me, et convertar : quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ, etc. *Ibid.* 31. 18. 19.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur, etc. *Ezech.* 18. 21. Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam : ipse animam suam vivificabit, etc. *v.* 27. *V. v.* 30. *et seq. Item c.* 14. 6.

Si autem dixero impio : Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justiciam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, et in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum : vita vivet et non morietur, etc. *Ibid.* 33. 14. 15. *V. v.* 16. *et* 19.

Nunc ergo repellant procul (filii Israel) fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me : et habitabo in medio eorum semper. *Ibid.* 43. 9. *V. c.* 33. 11. *Item Dan.* 4. 24.

Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum ; et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum — Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis, etc. *Oseæ* 14. 2. *et seq. V. Amos* 5. *v.* 4. 6. 14. *et* 15.

Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. *Joel.* 2. 12. 13. *V. Ezech. Item* 2. *Petr.* 3. 9.

Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis : et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. *Zach.* 1. 4. *V. v.* 3.

A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3. 7. Et convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium : et inter servientem Deo, et non servientem ei. *v.* 18.

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Matth.* 3. 8. *V. v.* 2. *et c.* 4. 17. *Item Marc.* 1. 15. *Luc.* 3. 8.

(Christus dicit) : Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Luc.* 5. 32. *V. Matth.* 9. 13. *Marc.* 2. 17.

Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei (dixit filius prodigus) : Pater, peccavi in cœlum, et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15. 18. 19. *et* 21.

Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra. *Act.* 3. 19. *V. c.* 2. 38. *et c.* 26. 18. 20.

PŒNITENTIA *agenda est dum sani sumus.*

Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem : et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis altissimi Dei. *Eccli.* 17. 23. Ante mortem confitere, etc. *v.* 26. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius. *v.* 27.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, et necessitatum paupertatis in die divitiarum. *Ibid.* 18. 25. *V. c.* 11. 27.

PŒNITENTIA. — *Pœnitentiæ veræ et non fictæ exempla.*

(Dixerunt ad invicem fratres Joseph) : Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, et

non audivimus ; idcirco venit super nos ista tribulatio. *Gen.* 42. 21.

Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit : et nullus ex more indutus est cultu suo. *Exod.* 33. 4.

(Audiens populus Israel, Dominum esse iratum propter murmurationes suas, luxit nimis). *Num* 14. 39.

(Ad vocem Angeli, improperantis populo peccanti beneficia Dei), elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. *Judic.* 2. 4.

Dixeruntque filii Israel ad Dominum (postquam lapsi in idololatriam, traditi sunt Philisthæis et Ammonitis) : Peccavimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet : tantum nunc libera nos : (et projecerunt omnia idola, etc). *Ibid.* 10. 15. 16. *V. et v.* 10.

Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. 2. *Reg.* 12. 13.

Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus : et dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto : sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. *Ibid.* 24. 10. Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum : Ego sum qui peccavi, ego inique egi. Isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei. *v.* 17. *Item* 1. *Paral.* 21. 8. 17.

Itaque cum audisset Achab sermones istos (scilicet comminationes Dei), scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens : Nonne vidisti humilitatum Achab coram me ? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. *seq.*

Hæc dicit Dominus Israel (ad Josiam regem) : Pro eo quod audisti verba voluminis, et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino — et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus : idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris in sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum. 4. *Reg.* 22. 18. *et seq. Item* 2. *Paral.* 34. 26. *et. seq.*

Quia humiliati sunt (principes Israel), non disperdam eos (dicit Dominus), etc. 2. *Paral.* 12. 7.

Humiliatusque est postea (Ezechias), eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quam habitatores Jerusalem : et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ibid.* 32. 26.

Qui (Manasses) postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum : et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus. *Ibid.* 33. 12. 13.

(Cunctus cœtus Israelitarum collectus est ad Esdram, et flentes multum dixerunt) : Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, et duximus uxores alienigenas de populis terræ ; et nunc si est pœnitentia in Israel super hoc, (faciamus secundum legem Domini), etc. 1. *Esdr.* 10. 2. *per totum caput.*

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio : et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium Gentibus. *Judith.* 4. 8. *et seq. V. et.* 7. 18. *et seq. Item* 2. *Mach.* 10. 25.

(Missus Jonas ad Ninivitas, prædicit civitatis subversionem : illis autem ad Deum conversis, et magna pœnitentiæ signa ostendentibus, parcit Dominus civitati). *Jonæ c.* 3.

Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare. *Matth.* 26. 75. *Item Marc.* 14 72. *Luc.* 22. 62.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod (Jesus) accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti : et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. *Luc.* 7. 37. 38. Et conversus (Jesus) ad

mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit, etc. *v.* 44. *V. Matth.* 26. 7. *Marc.* 14. 3. *Joan.* 12. 3.

Surgam (ait filius prodigus) et ibo ad patrem meum, et dicam : Pater, peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Ibid.* 15. 18. 21.

Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. *Ibid.* 18. 13.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid.* 19. 8.

Et nos quidem juste (Latro bonus dixit socio), nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit. *Ibid.* 23. 41.

(Petentibus quibusdam Judæis corde compunctis) : Quid faciemus, viri fratres? (ait Petrus) : Pœnitentiam — agite, et baptizetur unusquisque vestrum, etc. *Act.* 2. 37. *V. c.* 3. 19.

Nunc gaudeo (inquit Paulus) — quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis : Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. 2. *Cor.* 7. 9. 10.

PŒNITENTIA. — *Pœnitentium felicitas temporalis.*

(Abrahæ uxor a rege Abimelech tollitur, sed Domini jussu cum magnis donis intacta redditur; et Abraham orante, salus domui regis restituitur). *Gen. c.* 20. *per totum.*

(Maria soror Moysis, pœnitentiam agens de murmuratione contra fratrem, precibus ejus liberatur a lepra, et pristinæ sanitati restituitur). *Num.* 12. 11.

(Israelitæ, pœnitentiam agentes, contra ignitos serpentes remedium consequuntur in serpente æneo), quem cum percussi aspicerent, sanabantur. *Ibid.* 21. 9.

(David, cum de peccato suo pœnitentiam egisset, ex ipsa Bethsabea, cum qua prius peccaverat, jam sibi in uxorem copulata, genuit filium sapientissimum et potentissimum Salomonem). 2. *Reg.* 12. 24.

Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum : Sufficit : nunc contine manum tuam. 2. *Reg.* 24. 16. *Item* 1. *Paral.* 21. 15.

(Achab, cum ob cædem innocentis Naboth ei exterminium totius suæ domûs ab Elia denuntiaretur, egit pœnitentiam), scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. (Dixit ergo Dominus ad Eliam) : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. 3. *Reg.* 21. 27. 29.

(Urbs Samaria a Syris obsessa, et ingenti fame oppressa, ob regis, cilicio se induentis, et totius populi pœnitentiam, mirabiliter liberatur). 4. *Reg.* 6. 30. *et c.* 7. 7.

Pro eo — (inquit Dominus ad Josiam, quod pœnitentiam egisti) ego audivi (te), ait Dominus : idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris in sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum. *Ibid.* 22. 19. 20. *Item* 2. *Paral.* 34. 26. *et seq.*

(Deus oratione David placatus, cessare fecit pestem magnam, et præcepit Angelo percutienti, ut converteret gladium suum in vaginam). 1. *Paral.* 21. 27.

Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent (principes, et rex Israel, factus sermo Domini ad Semeiam, dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. 2. *Paral.* 12. 7.

Humiliatusque est postea (rex Ezechias) — tam ipse, quam habitatores Jerusalem; et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ibid.* 32. 26.

(Vidit Deus pœnitentiam Ninivitarum); et misertus est — super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. *Jonæ* 3. 10.

Machabæus autem, et qui cum ipso erant, appropinquante illo (scil. Timotheo cum magno exercitu), deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, (ut sibi propitius esset. Ob quam pœnitentiam insignem vic-

toriam de hostibus reportarunt). 2. *Mach.* 10. 25.

(Matthæus publicanus et pœnitens, fit Apostolus et Evangelista). *Matth.* 9. 9. *V. Marc.* 2. 14. *Luc.* 5. 28.

(Affirmat Christus Dominus, quod majus) gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. *Luc.* 15. 7. *V. Matth.* 18. 13.

(Filius prodigus per pœnitentiam reversus ad patrem, osculo et convivio ab eodem excipitur). *Ibid. v.* 20. *et seq. usq. ad finem.*

(Zachæus publicanus et pœnitens, meretur Christum Dominum hospitio excipere). *Ibid.* 19. 6.

(Latroni pœnitenti in cruce, paradisus a Christo promittitur). *Ibid.* 23. 43.

(Magdalenam pœnitentem Christus facit suam discipulam, et ad ejus preces Lazarum a mortuis resuscitat). *Joan.* 11. 32. *et seq. usque ad* 45.

(Deinde illam Dominus prima sui apparitione post resurrectionem suam, multisque aliis gratiis dignatur). *Ibid.* 20. 15. *Matth.* 28. 9. *Marc.* 16. 9.

(Petrus post trinam negationem pœnitens, Princeps Apostolorum, et caput Ecclesiæ constituitur). *Joan.* 21. 15. *et seq. V. Matth.* 16. 18. 19.

PŒNITENTIA. — *Pœnitentiæ contemptus quam noxius. Dicta et exempla.*

(Principes, et populus Israel) subsannabant nuntios Dei, et parvi pendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio, etc. 2. *Paral.* 36. 13. *et* 16.

(Neglecto Deo, frustra se munit Jerusalem ad resistendum Assyriis). *Isa. c.* 22.

(Dominus in Jerusalem quærit virum justum, ut illi misereatur; sed tam plebs quam optimates in pravitatibus suis, et idololatria indurati sunt, et effusi; ideo comminatur eis vastationem, etc.) *Jerem. c.* 5. *per totum. V. et c.* 15. 5.

(Cum vellet sanare Dominus Israel, revelata est iniquitas ipsorum, et noluerunt, etc.) Oseæ *c.* 7. *per totum.*

Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum : et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. *Aggæi* 2. 18. *Item Amos* 4. 9. *et seq.*

Tunc cœpit (Jesus) exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitententiam : Væ tibi, etc. *Matth.* 11. 20. *et seq. Item Luc.* 10. 13.

Et dedi illi (mulieri Jezabel) tempus, ut pœnitentiam ageret : et non vult pœnitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum : et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt — Et filios ejus interficiam in morte. *Apoc.* 2. 21. *et seq.*

Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, (qui pœnitentiam non egerunt de operibus suis malis). *Ibid.* 9. 18. *V. et c.* 16. 9.

PŒNITENTIA *dilata.*

(Esau postquam comedit lentis edulium), abiit, parvipendens, quod primogenita vendidisset; (sed ut demum vidit, quod benedictio primogeniti data esset fratri suo Jacob, eum pœnituit, et) irrugiit clamore magno. (sed sero nimis). *Gen.* 25. 34. *et c.* 27. 34. *V. Hebr.* 12. 17.

(Pharao, licet decem horrendis plagis afflictus et admonitus, semper tamen in crastinum distulit et promisit dimissionem populi; sed nunquam, nisi post ultimam plagam, eum dimisit). *Exod. c.* 7. 8. 9. 10. *et* 11.

(Adonibezec nunquam pœnituit, quod septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, sub mensa sua ciborum reliquias colligere coegisset, nisi postquam ipsi hæc pœna irrogata fuit). *Judic.* 1. 6. 7.

(David postquam peccavit, aliquandiu impœnitens permansit, et nunquam forsitan cogitasset de pœnitentia, nisi Nathan Propheta sub parabola gravitatem peccati sui ei proposuisset). 2. *Reg. c.* 11. *et* 12.

(Antiochus nulla unquam pœnitentia fuit ductus, quod tot mala intulerit Judæis, nisi demum in morte; tunc enim primum exclamavit) : Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem etc. (sed vana fuit hæc dilata pœnitentia). 1. *Mach.* 6. 12.

(Petrus Simonem magum hortatur, ut pœnitentiam agat, et a Deo veniam roget). *Act.* 8. 22. (Sed Simon nil aliud agit et respondet, quam hoc) : Precamini vos pro me ad Dominum, etc. *v.* 24.

PŒNITENTIA. — *Pœnitentiæ fictæ, falsæ, et hypocritæ exempla.*

Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. *Gen.* 4. 13.

(Esau pœnituit de peccato venditæ primogenituræ, sed male : nam lacrymæ ejus non erant pœnitentiæ, sed animi furentis, et indignationis internæ). *Ibid.* 27. 38.

(Pharao, plagis Dei in ipsum sævientibus, dolet, et mira pollicetur : sed ubi divina manus fit remissior, mutata sententia induratur, et denuo divinitus punitur). *Exod. c.* 8. 9. 10. *et* 11.

Dixitque Saul ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. 1. *Reg.* 15. 24. Peccavi : sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. *v.* 30.

Et levavit Saul vocem suam et flevit : dixitque ad David : Justior tu es, quam ego : tu enim tribuisti mihi bona : ego autem reddidi tibi mala, etc. (Sed vanam fuisse hanc pœnitentiam et dolorem Saul, ostendit subsequens Davidis persecutio pejor priore). *Ibid.* 24. 17. 18.

Et ait rex (Jeroboam) ad virum Dei : Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat, etc. 3. *Reg.* 13. 6.

Itaque cum audisset Achab sermones istos (Eliæ plurima illi comminantis mala), scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco et ambulavit demisso capite. *Ibid.* 21. 27.

Videntes (impii in judicio gloriam justorum) turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii, etc. *Sap.* 5. 2. 3. *V.* 1. *Mach.* 6 12. 13.

(Antiochus rex sceleratissimus, cum sub vitæ finem gravissimas pœnas lueret ob afflictam a se Judæorum gentem, templum sacrilege spoliatum, et cœlestis Numinis contemptum, peccata sua quidem cognovit, deflevit, ac restituere promisit ; misericordiam tamen non est consecutus, quia tantum propter dolores, quibus torquebatur, pœnitentiam egit). 2. *Mach.* 9. 12. 13.

(Judas proditor), pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos — dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. (Sed mox abiit, et) laqueo se suspendit, (quod evidens erat argumentum falsæ pœnitentiæ). *Matth.* 27. 3. *et seq.*

Tunc Simon (magus) et ipse credidit ; et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. *Act.* 8. 13. Cor tuum non est rectum coram Deo — In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse (dixit Petrus eidem Simoni mago). *v.* 21. *et* 23.

Scitote enim, quoniam et postea cupiens (Esau, *Gen.* 27. 34. *et* 38.) hæreditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. *Hebr.* 12. 17.

PONDUS. *V.* **Mensura.** *Item* **Titulum Emere.**

PRÆCEPTA DIVINA, *gratia juvante Dei, servari possunt. V.* **Legis impletio.**

PRÆCEPTA DIVINA *facilia.*

Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie (ait Moyses ad universum Israel), non supra te est, etc. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. *Deut.* 30. 11. 14.

Judicia Domini vera — desiderabilia super aurum — Etenim servus tuus custodit ea. *Psal.* 18. 10.

In via testimoniorum tuorum (Domine), delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. *Psal.* 118. 14. Viam mandatorum cucurri. *v.* 32. Deduc me in semitam mandatorum tuorum. *v.* 35.

Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quam timor Dei : et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. *Eccli.* 23. 37.

Sapiens non odit mandata et justitias, et non illidetur quasi in procella navis. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. *Ibid.* 33. 2. 3.

Tollite (ait Jesus) jugum meum super vos — Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Matth.* 11. 29. 30.

Hæc est enim caritas Dei, ut mandata

ejus custodiamus : et mandata ejus gravia non sunt. 1. *Joan.* 5. 3.

PRÆCEPTA DIVINA *utilia, quia per ipsa homo bene ordinatur in corde.*

Dixit — Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israel — ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas : quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini, facient ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* 15. 38. *et seq.*

Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo : et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua; eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domus tuæ. *Deut.* 6. 6. *et seq. Josue* 1. 8. *Item Prov.* 6. 21. 21.

Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, etc. *Ibid.* 11. 18. *V. versus sequentes.*

Beati qui scrutantur testimonia ejus (Domini). *Psal.* 118. 2. In corde meo abscondi eloquia tua, etc. *v.* 11. In justificationibus tuis meditabor. *v.* 16. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo. *v.* 34. Nisi quod lex tua meditatio mea est, etc. *v.* 92. In æternum non obliviscar justificationes tuas. *v.* 93. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? *v.* 97.

Mens justi meditabitur obedientiam. *Prov.* 15. 28.

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, etc. *Eccli.* 6. 37. *V. Psal.* 1. 2.

PRÆCEPTA DIVINA... *in ore.*

Et erit quasi signum in manu tua (ait Moyses ad populum Israel), et quasi monumentum ante oculos tuos, et ut lex Domini semper sit in ore tuo. *Exod.* 43. 9.

Docete filios vestros, ut illa meditentur (scil. verba legis). *Deut.* 11. 19.

Loquebar (Domine) de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. *Psal.* 118. 46.

Omnis enarratio tua (sit) in præceptis Altissimi. *Eccli.* 9. 23.

PRÆCEPTA DIVINA... *in opere.*

Custodite igitur et facite (ait Moyses filiis Israel) quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram : sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, et protelentur dies in terra possessionis vestræ. *Deut.* 5. 32. 33. *V. c.* 13. 4. 18.

Quod præcipio tibi, hoc tertium facito Domino : nec addas quidquam, nec minuas. *Ibid.* 12. 32. *V. v.* 28.

Tu mandasti (Domine) mandata tua custodiri nimis. *Psal.* 118. 4. Et levavi manus meas ad mandata tua, etc. *v.* 48. Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. *v.* 60. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, etc. *v.* 112.

Qui credit Deo, attendit mandatis. *Eccli.* 52. 28.

PRÆCEPTA DIVINA. — *Per illa plene remuneratur homo : nam consequitur Dei familiaritatem.*

Si ergo audieritis vocem meam (ait Deus filiis Israel), et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra. *Exod.* 19. 5.

Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea, etc. *Levit.* 26. 11. *V.* 2. *Cor.* 6. 16.

Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum : et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, etc. *Deut.* 30. 19. 20.

Quia mandatum lucerna est, et lex lux. *Prov.* 6. 23.

Qui custodit mandatum, custodit animam suam; qui autem negligit viam suam, mortificabitur. *Ibid.* 19. 16.

Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. *Eccles.* 12. 13.

Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est, etc. *Sap.* 6. 19. *V. et v.* 20. 21.

Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? *Eccli.* 2. 12.

Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *Isa.* 66. 2.

Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. *Jerem.* 7. 23.

Si quis diligit me (dixit Jesus) sermonem meum servabit, et Pater meus di-

liget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14. 23.

PRÆCEPTA DIVINA. — ... *Corporis sanitatem.*

Considera (ait Moyses ad populum Israel), quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum : ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius, ac cæremonias atque judicia : et vivas atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam. *Deut.* 30. 15. 16.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi. *Prov.* 3. 1. 2.

Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. *Eccles.* 8. 5.

Ejeci ergo eos (filios Israel) de terra Ægypti, et eduxi eos in desertum. Et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis. *Ezech.* 20. 10. 11. *V. Lev.* 18. 5. *Item Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 12.

PRÆCEPTA DIVINA. — ... *prolis fœcunditatem.*

Respiciam vos, et crescere faciam (ait Dominus ad filios Israel) : multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. *Levit.* 26. 9.

Si postquam audieris hæc judicia, et custodieris ea, et feceris (loquitur Moyses ad populum) : custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi — et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, et fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo et armentis, gregibus ovium tuarum, etc. *Deut.* 7. 12. 13. *V. et versus ssquentes.*

Utinam attendisses mandata mea (Israel, etc. Fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui, ut lapilli ejus. *Isa.* 48. 18. 19.

PRÆCEPTA DIVINA. — ... *substantiæ temporalis ubertatem.*

Facite præcepta mea (filii Israel), et judicia custodite, et implete ea ; ut habitare possitis in terra, absque ullo pavore, et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. *Levit.* 25. 18. 19.

Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis. Et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem : et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. *Ibid.* 26. 3. *et seq.* Comedetis vetustissima veterum ; et vetera, novis supervenientibus, projicietis. *v.* 10.

Si autem audieris vocem Domini Dei tui (ait Moyses populo Israel), ut facias atque custodias omnia mandata ejus — faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra etc. *Deut.* 28. 1. *V. versus sequentes.*

Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum. *Eccli.* 29. 14.

Si volueritis, et audieritis me (dicit Dominus) bona terræ comedetis. *Isa.* 1. 19.

PRÆCEPTA DIVINA. — ... *pacis firmitatem.*

Dabo pacem in finibus vestris (dixit Deus filiis Israel) : dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias : et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, etc. *Levit.* 26. 6. *et seq.*

Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi (dixit Moyses populo) ; ut bene sit tibi, et filiis tuis post te, etc. *Deut.* 4. 40.

Pax multa diligentibus legem tuam (Domine). *Psal.* 118. 165.

Qui autem timet præceptum, in pace versabitur. *Prov.* 13. 13.

Utinam attendisses mandata mea (Israel) : facta fuisset sicut flumen pax tua, etc. *Isa.* 48. 18.

PRÆCEPTA DIVINA. — ... *honoris celebritatem.*

(Rex David instruens Salomonem filium suum post se regnaturum, dicebat) : Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata — quæ præcepit Dominus Moysi, etc. 1. *Par.* 22. 13.

(Jubente Joiada Pontifice), eduxerunt filium regis (scil. Joas) et imposuerunt ei diadema — dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem. 2. *Par.* 23. 11.

(Cyrus rex Persarum, Gentilis, Princeps totius mundi, non verecundabatur

dicere) . Præcepit mihi (Deus cœli et terræ), ut ædificarem ei domum in Jerusalem. 1. *Esdr.* 1. 2. *et c.* 6. 3. *V.* 2. *Par.* 36. 22.

Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis (Domine). *Psal.* 118. 6. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. *v.* 9.

Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis: potens in terra erit semen ejus; generatio rectorum benedicetur : gloria et divitiæ in domo ejus. etc. *Psal.* 111. 1. *et seq.*

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum etc. *Eccli.* 10. 23. *V. v.* 25. *et* 27.

PRÆCEPTA DIVINA. — ... *gloriæ perpetuitatem.*

Portio mea in terra viventium. *Psal.* 141. 6.

Procurrens quidam genu flexo ante eum (Jesum), rogabat eum, (dicens) : Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei : — Præcepta nosti : Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum, et matrem. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, etc. *Marc.* 10. 17. *et seq.* *Luc.* 18. 18. *et seq.*

Et scio (ait Jesus) quia mandatum ejus (scil. Patris mei) vita æterna est. *Joan.* 12. 50.

PRÆCEPTA DIVINA *nobilia, ideo transgressores rigide puniuntur.*

(Præceptum leve adimplendum dedit Dominus primo parenti), dicens : Ex omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. (Male tamen custodivit hoc præceptum et gravem ideo pœnam incurrit). *Gen.* 2. 16. 17.

(Mandata Dei, licet videantur interdum esse de re parva, non tamen parva diligentia servanda sunt, quia puniuntur graviter transgressores; unde dixit Deus Adam) : In quocumque enim die comederis ex eo (de ligno scientiæ boni et mali), morte morieris. *Ibid. v.* 17.

Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me. *Exod.* 20. 5.

Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis — ego quoque hæc faciam vobis : Visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, atque consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur, etc. *Levit.* 26. 14. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subjiciemini his, qui oderunt vos. — Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum, propter peccata vestra, et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt — Immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ — Inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in manibus hostium. Postquam confregero baculum patris vestri : ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus : et comedetis, et non saturabimini — Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum. *Levit.* 26. 14. *et seq. usque ad fin.*

Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus — venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. *Deut.* 28. 15. *et seq. usq. ad finem.*

(Saul signanter electus, propter transgressionem mandati divini irrevocabiliter est rejectus). 1. *Reg.* 15. 23. 26. *et c.* 16. 1.

Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. *Isa.* 1. 20.

Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium Sancti Israel blasphemaverunt. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam

super eum, et percussit eum : et conturbati sunt montes, etc. *Ibid.* 5. 24. 25.

Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniam non posuistis super cor. Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, etc. *Malach* 2. 2. 3.

PRÆCEPTA DIVINA... *æternaliter.*

Maledicti qui declinant a mandatis tuis (Domine). *Psal.* 118. 21. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis. *v.* 118.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Prov.* 28. 9.

Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti (dixit Dominus filiis Israel). *Jerem.* 11. 3. 4.

Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum : eo quod abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit. *Amos.* 2. 4.

Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur : multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus. *Hebr.* 12. 25.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ *in conscientia, et sub peccato obligant.*

Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. *Matth.* 18. 17. *V.* 2. *Thess.* 3. 14.

Visum est — Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria : ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, etc. *Act.* 15. 28.

(Paulus præcipiebat cunctis Ecclesiis custodire præcepta Apostolorum et Seniorum). *Ibid. v.* 41.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Rom.* 13. 2. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. *v.* 5.

PRÆCEPTA HUMANA *condigna reverenter sunt observanda.*

Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. *Prov.* 8. 15. 16.

Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias : Hæc dicit Dominus — Pro eo, quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri — non deficiet vir de stirpe Jonadab — stans in conspectu meo cunctis diebus. *Jerem.* 35. 18. 19.

Perambulabat autem (Paulus) Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum. *Act.* 15. 41.

Cum autem (Paulus et Timotheus) pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et Senioribus, qui erant Jerosolymis. *Ibid.* 16. 4.

Itaque, fratres, state ; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

PRÆCEPTA HUMANA *indigna magnanimiter contemnenda.*

Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum, et doctrinis : ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic — peribit — sapientia a sapientibus, etc. *Isa.* 29. 13. 14.

Ipse autem (Jesus) respondens, ait illis (Pharisæis) : Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? *Matth.* 15. 3. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias (*Isa.* 29. 13). dicens : Populus hic, etc. *v.* 7. 8. *V. Marc.* 7. 6.

Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. *Act.* 5. 29.

Quam ob causam increpa illos dure : ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum, aversantium se a veritate. *Tit.* 1. 13. 14.

PRÆDESTINATIO *divina imperscrutabilis.*

Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. *Prov.* 25. 27.

Quis enim hominum poterit scire consilium Dei ? aut quis poterit cogitare quid velit Deus ? *Sap.* 9. 13. *V. Isa.* 40. 13. *Item* 1. *Cor.* 2. 16.

Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcepit

tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *Eccli.* 3. 22. *et seq.* Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. *v.* 26.

Dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum. *Isa.* 45. 3.

Nonne frater erat Esau Jacob? dicit Dominus; et dilexi Jacob; Esau autem odio habui. *Malach.* 1. 2. 3. *V. et Rom.* 9. 13.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. *Matth.* 20. 16.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei? quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? *Rom.* 11. 33. 34.

PRÆDESTINATIO... *irreprehensibilis.*

Figulus mollem terram premens, laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria : horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus. *Sap.* 15. 7.

Non dicas : Ille (Deus) me implanavit (scil. in errorem impulit) : non enim sunt ei necessarii homines impii. *Eccli.* 15. 12.

Ex ipsis benedixit, et exaltavit; et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit, et humiliavit, et convertit illos a separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud, et disponere. Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus, sic homo in manu illius, qui se fecit. *Ibid.* 33. 12. *et seq.*

Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ. Numquid dicit lutum figulo suo : Quid facis? et opus tuum absque manibus est. *Isa.* 45. 9.

Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? ecce sicut lutum in manu mea. *Jerem.* 18. 6.

Nam quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui. *Rom.* 8. 29. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit. *v.* 30.

Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit (*Exod.* 33. 19.) : Miserebor cujus misereor : et misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Ibid.* 9. 14. *et seq.* Ergo cujus vult miseretur, et quem vult, indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. *v.* 18. *et seq.*

Qui (Deus) prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, etc. *Ephes.* 1. 5. 6. *V. et v.* 11.

In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se, etc. 2. *Tim.* 2. 20. 21.

Audientes autem autem Gentes, gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini : et crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. *Act.* 13. 48.

PRÆDICATIO *verbi. Dei. V.* **Verbum Dei.**

PRÆDICATORES. *V.* **Concionatores.**

PRÆFECTI. *V.* **Superiores et Pastores.** *Item* **Principes.**

PRÆLATI. *V. infra Titulum* **Principes.**

PRÆSENTIA *Dei.*

(Cain ad parandum fratricidium locum solitarium quærit, quasi Deus ubique præsens ibi eum non videret. Sed infelix expertus est, scelus suum a Deo fuisse visum). *Gen.* 4. 8.

(Henoch fuit tam sanctus, et placuit Deo, quia cum Deo ambulavit). *Ibid.* 6. 9. *V. et de Abraham c.* 17. 1. (Et sic etiam de Moyse testatur Paulus) : Invisibilem enim (Deum) tanquam videns sustinuit : (id est, ita Deum sibi semper habuit præsentem, ac si oculis eum videret). *Hebr.* 11. 27.

(Elias de se affirmat, quod semper in præsentia Dei versetur; ait enim) : Vivit

Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto. 3. *Reg*. 17. 1. *et c*. 18. 15.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Psal*. 15. 8. *Item Act*. 2. 25.

Quo ibo a spiritu tuo (Deus)? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades : si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. *Psal*. 138. 7. *et seq*.

(Duo senes impudici Susannam ad flagitium sollicitant, quia Dei præsentiam e memoria excluserunt) : Everterunt (enim) sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. (Quare dicunt ad Susannam) : Ecce ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt. *Dan*. 13. 9. 20.

(E contra Susanna gravissimam tentationem vicit, memoria præsentiæ Dei roborata : respondit enim senibus) : Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. *Ibid*. *v*. 23.

Judas vero (Machabæus), et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt (cum hoste); manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. 2. *Mach*. 15. 26. 27.

(Christus Dominus ante suam ascensionem in cœlum, ut discipulis suis solatium simul et robur ad sustinendos apostolicos labores relinqueret, ait illis) : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Matth*. 28. 20.

PRECATIO. *V. et* **Oratio.**

PRECATIO. — *Precationum variæ formulæ; ex. gr.*

(Nuptiis benedicendi). Imprecantes prospera sorori suæ (scil. fratres Rebeccæ), atque dicentes : Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum. *Gen*. 24. 60.

(Populo benedicendi). Sic benedicetis (inquit Deus) filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. *Num*. 6. 23. *et seq*.

(Salutandi et bene precandi. Venit Booz) de Bethlehem, dixitque messoribus : Dominus vobiscum. Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus. *Ruth* 2. 4.

(Item nuptiis benedicendi). Respondit omnis populus, qui erat in porta, et majores natu — Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel : ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem : fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. *Ibid*. 4. 11. 12.

(Regem consecrandi). Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege (David, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David. 3. *Reg* 1. 37. Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen (David), et magnificet thronum ejus super thronum (David). *v*. 47.

PRIMITIÆ. *V. et* **Decimæ.**

PRIMITIÆ *fructuum debentur Deo, ejusque Sacerdotibus.*

Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere. *Exod*. 22. 29.

Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. *Ibid*. 23. 19.

Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. *Ibid*. 34. 26.

Separate apud vos primitias Domino, etc. *Ibid*. 35. 5. *V. c*. 25. 2.

Loquere filiis Israel (ait Dominus ad Moysen), et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem. *Lev*. 23. 10. *V. et c*. 27. 30. *et seq*.

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent. *Num*. 5. 9.

Locutusque est Dominus ad Aaron : Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia, quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis, pro

officio sacerdotali, etc. *Ibid.* 18. 8. Universa frugum initia, quæ gignit humus, et Domino deportantur, cedent in usus tuos (loquitur Dominus ad Aaron) : qui mundus est in domo tua, vescetur eis. *v.* 13. *V. et v.* 11. 12. *et sic per totum Caput. Item Deut.* 12. *v.* 6. 11. 17. *et c.* 14. 23.

Primitias frumenti, vini, et olei, et lanarum partem ex ovium tonsione (accipient sacerdotes, ait Dominus). *Deut.* 18. 4.

Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. *Ibid.* 26. 2. (Formula præscribitur offerendi primitias). *v.* 10. *V. et v.* 12.

Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis (scilicet quod Ezechias præceperit dari Sacerdotibus et Levitis partes), plurimas obtulere primitias filii Israel frumenti, vini, et olei, mellis quoque, et omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 2. *Paral.* 31. 5. *V. et versus sequentes. Item Ezech.* 45. 13. 16.

Et ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini, etc. 2. *Esdr.* 10. 35. *V. et v.* 36. Et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis, etc. *v.* 37. *et reliqua usq. ad finem.*

Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei : et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* 3. 9. 10. *V. Tob. c.* 6. 7.

PRIMOGENITUM *omne Deo consecratum.*

Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis : mea sunt enim omnia. *Exod.* 13. 2. *V. et. v.* 12.

Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere : primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Ibid.* 22. 29. *V. Ezech.* 44. 30.

Primogenitum asini redimes ove : sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes : nec apparebis in conspectu meo vacuus. *Ibid.* 34. 20. *V. et v.* 19.

Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit, et vovere: sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt. *Levit.* 27. 26.

Meum est enim omne primogenitum : ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel; ab homine usque ad pecus, mei sunt : ego Dominus. *Num.* 3. 13.

Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus, quam ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi. *Ibid.* 8. 17.

De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, et in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium. *Deut.* 15. 19. *V.* 1. *Reg.* 1. 24.

Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. *Luc.* 2. 23.

PRINCIPES *et Superiores boni.*

(Bonus Prælatus Moyses multoties introivit ad Pharaonem pro causa populi, ut eum liberaret de servitute Ægyptiaca). *Exod. c.* 5. 7. 9. 10.

(Populum timentem Moyses confortabat, dicens): Nolite timere, etc. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. *Ibid.* 14. 13. (Ore quidem verba dicebat, sed corde Dominum exorabat, uti pa te ex). *v.* 15.

(Clamabat pro populo ad Dominum Moyses, quando murmurabat populus contra eum). *Ibid.* 15. 24. 25. *et c.* 32. 11.

(Cum pugnaret Israel contra Amalec, non ivit Moyses ad prælium, sed tantum stans in vertice collis, ad orandum Dominum se convertit). *Ibid.* 17. 9. *et seq.*

(Recessurus a populo Moyses, et iturus ad montem, bonos vicarios reliquit, videlicet Aaron et Hur). *Ibid.* 24. 14.

(Desiderabat Moyses, ut omnes de populo prophetarent, licet honor suus minui videretur). *Num.* 11. 27. 29.

(Post reditum exploratorum dixit Dominus ad Moysen) : Usquequo detrahet mihi populus iste? — Feriam igitur eos pestilentia — te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem, quam hæc est. (Sed noluit Moyses ad majorem transferri prælationem). *Ibid.* 14. 11. 12.

(Pereunte populo pro murmure et tumultu, quem faciebat contra Moysen et Aaron), dixit Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis, etc. *Ibid.* 16. 46. Quod cum fecisset Aaron — obtulit thymiama — pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. *v.* 47. *et* 48.

(Moriturus Moyses sollicite rogavit Dominum, ut populo de duce idoneo provideret). *Ibid.* 27. 15. *et seq.*

Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, etc. (Bonus enim Prælatus et Princeps multum confert ad populum in via Domini dirigendum). *Josue.* 24. 31.

(Samuel judicabat Israel, et ibat circumiens Bethel, et Galgala, et Masphat, ut omnes, qui eo indigebant, facilius possent ad ipsum habere accessum). 1. *Reg.* 7. 15.

(Dixit Samuel ad populum) : Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam. *Ibid.* 12. 23.

(Videns David Angelum percutientem populum, obtulit se percutiendum pro eo): Vertatur (inquit), obsecro, manus tua contra me, etc. 2. *Reg.* 24. 17. *Item* 1. *Paral.* 21. 17.

Audivit itaque omnis Israel judicium, quod judicasset rex (Salomon de duabus mulieribus), et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo, etc. 3. *Reg.* 3. 28.

(Ezechias rex Juda fecit serpentem æneum confringi, eo quod esset populo idololatrandi occasio). 4. *Reg.* 18. 4.

(Signum est, quod Dominus diligat populum, quando dat ei bonum Prælatum : unde regina Saba dixit Salomoni) : Quia diligit Deus Israel (populum suum) — idcirco posuit te super eum regem, ut facias judicia atque justitiam. 2. *Paral.* 9. 8. *Item* 3. *Reg.* 10. 9.

(Josaphat rex Juda constituit judices super populum, et eos valde fideliter et prudenter instruxit) : Videte, ait, quid faciatis, etc. *Ibid.* 19. 5. 6. *V. totum versum, et sequentem quoque.*

Orante Esdra — et flente (pro trangressione populi) — collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum et mulierum et puerorum, et flevit populus fletu multo (ad exemplum ejus). 1. *Esdr.* 10. 1.

(Audita Holofernis potentia), Eliachim sacerdos Domini magnus circuivit omnem Israel, allocutusque est eos, dicens : Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si etc. (sicque populum bonis exhortationibus confortabat). *Judith.* 4. 11. 12. *et seq.*

(Bonus Princeps sive Prælatus debet esse quasi bonus pater populi sui : hinc dicit Isaias) : Erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda. *Isa.* 22. 21.

PRINCIPES. — *Principis seu Prælati boni requisita, in Paulo se manifestant.*

(Ad bonum Prælatum specialiter et summe pertinet dilectio, quam habere debet ad subditos, sicut diligebat Pastor ille optimus, Princeps Pastorum, qui posuit animam suam pro ovibus suis). *Joan.* 10. 11. (Sic etiam Paulus miro modo ea dilectione fervebat ; unde dicebat) : Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris : licet plus vos diligens, minus diligar (a vobis). 2. *Cor.* 12. 15. *V. et Philipp.* 4. 1. (ubi ait) : Fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea, etc.

(Porro debet in Prælato esse scientia Scripturæ, etc. Hinc dicitur) *Sap.* 6. 23: Diligite lumen sapientiæ, omnes, qui præestis populis : (alioquin quomodo posset lepram a non lepra discernere, vel commissum sibi populum judicare ? Ipse vero Paulus de divinis et hnmanis excellentissimam habebat cognitionem, qui parvulis in Christo lac potum dabat, et inter perfectos sapientiam loquebatur, etc). 1. *Cor.* 2. 6. *et c.* 3. 1. 2.

(Ex amore vero subditorum, et notitia Scripturarum, sollicitudo in præsidente provenit), qui præest in sollicitudine. *Rom.* 12. 8. (Qua quidem sollicitudine Paulus erga proximos ardentissime afficiebatur : propter quod ait), 2. *Cor.* 11. 21 : Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. *Item* (alibi) : Volo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, etc. *Coloss.* 2. 1.

(Ex prædictis tribus requisitis debet sequi instructio imperitorum ; unde promittit Dominus) : Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. *Jerem.* 3. 15. (Et juxta id, quod dixit Artaxerxes Esdræ et judicibus populi) : Imperitos docete libere. 1. *Esdr.*

7. 25. (Et hoc profecto liquet fecisse Paulum Doctorem Gentium, qui verbo et scripto docuit universum mundum) : Odorem notitiæ suæ (Deus) manifestat per nos in omni loco, etc. 2. *Cor.* 2. 14. Et ad hæc quis tam idoneus? etc. *v.* 16. Doctor gentium in fide et veritate. 1. *Tim.* 2. 7.

Debet etiam bonus Prælatus officia disponere et ordinare inter subditos; sicut Moyses, qui consilio Jethro instituit in populo tribunos, centuriones, quinquagenarios, et decanos). *Exod.* 18. 21. 25. (Paulus quoque in Ecclesia similia faciebat) : Cætera autem (inquit), cum venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 34. Hujus rei gratia (inquit alibi) reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5.

(Item debet pusillanimes et timidos animare, sicut fecit Moyses, quando dixit populo pavescenti), *Exod.* 14. 13 : Nolite timere — Dominus pugnabit pro vobis. (Et hoc utique Paulus optime faciebat) : Confortamini (inquit) in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, etc. *Ephes.* 6. 10. 11. *et seq.* *Item Hebr.* 12. 3. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem : ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.

(Item in bono Prælato debet esse defensio oppressorum, sicut Onias summus sacerdos constanter restitit Heliodoro, volenti templum Domini spoliare), 2. *Mach.* 3. 10. *et seq.* (Quam viriliter autem Paulus restiterit pseudoapostolis Judæis, patet passim in Actibus Apost.) *Et* 2. *Cor.* 11. 21. (ait) : In quo quis audet — audeo et ego. (Et ideo dicebat se pugnare), 1. *Cor.* 9. 26. Sic pugno, non quasi aerem verberans. *Et* 2. *Tim.* 4. 7. Bonum certamen certavi, etc.

(Præterea debet esse consolator afflictorum, velut Eliachim, cum Holofernes Bethuliam obsedisset). *Judith.* 4. 11. *et seq.* (Paulus autem non erat inferior in hac parte; unde ait), 2. *Cor.* I. 3 : Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. *Et Hebr.* 13. 22. Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. (Verba etiam consolatoria habuit maxime ad Philipp. et Thessalonic., uti patet inspicienti).

(Debet insuper bonus Prælatus pigros et tepidos excitare ; quod fecit Patriarcha Jacob, qui audiens), quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : Quare negligitis? etc. *Gen.* 42. I. (Et hoc strenuus et vigil Paulus optime noverat facere : hinc inquit) *Rom.* 15. II. Hora est jam nos de somno surgere. *Et Ephes.* 5. 14. Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. *Et* 2. *Tim.* 1, 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

(Item debet indigentibus pro possibilitate sua, quantum ad necessaria, subvenire. Exemplum est de hoc in Eliseo, qui viginti panes fecit populo distribui), 4. *Reg.* 4. 42. 43. (Quod et Paulus diligenter implebat, memor illius verbi), *Act* 20. 35 Beatius est magis dare, quam accipere, (prout ipse refert : cum vero non habebat quod dare posset, ab aliis sollicite procurabat ; et hoc optime apparet), I. *Cor.* 16. I. De collectis autem, etc. *Item* 2. *Cor.* 9. 6 Qui parce seminat, parce et metet, etc.

(Insuper ad eum pertinet superbos et tumidos refrænare et humiliare : quod volens facere Moyses, increpando dicebat) : Multum erigimini, filii Levi. *Num* 16. 7. (Samuel etiam dixit Sauli) : Quare — non audisti vocem Domini? etc. 1. *Reg.* 15. 19. (Et in hac etiam arte Paulus erat valde peritus; unde ait), 1. *Cor.* 4. 18 19. Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit : et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem, etc. *Et* 1. *Tim.* 6. 17. Divitibus hujus sæculi præcipe, (ne elato sint animo).

(Rursus etiam bonus Prælatus distantes, et ad eum accedere non valentes, debet personaliter visitare : quod bene Samuel adimplebat, qui) circuiens Bethel, et Galgala, et Masphat — judicabat Israel. 1. *Reg.* 7. 16. (Et quid fecit Apostolus Paulus? Hic sane a Jerusalem usque ad ultimum mare replevit omnia loca Evangelio Christi). *Rom.* 15. 19. *et seq.* (ita ut viam suam cursum quemdam nominaverit), 1. *Cor.* 9. 26. Sic curro, non quasi in incertum. (Et iterum dicit idem Apostolus), 2. *Tim.* 4, 7 : Cursum consummavi, etc.

(Item debet delinquentes et transgressores punire, sicut fecit Moyses, quando populus vitulum conflatilem adoravit). *Exod.* 32. 19. 20. (Neque in hac parte Paulus negligens erat, sed dicebat) : 2. *Cor.* 10. 4. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, etc. *Et v.* 6. In promptu habemus ulcisci omnem inobedientiam. *Et* 1. *Cor.* 4. 21. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate, et spiritu mansuetudinis?

(Item bonus Prælatus debet contumaces de populo et pestiferos extirpare, sicut fecit Moyses cum Core, et his qui adhæserunt illi) : Tu (inquit), et omnis congregatio tua, state seorsum, etc. *Num.* 16. 16. (Deinde dixit ad reliquos) : Recedite a tabernaculis hominum impiorum, etc. *v.* 26. (Sic etiam Paulus de illo, qui tenebat novercam suam, ait) : Ego — judicavi — tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, etc. 1. *Cor.* 5. 3. 5. (Et paulo post inquit), *v.* 7 : Expurgate vetus fermentum, etc. *Sic et* 1. *Tim.* 1. 20. (Hymenæum et Alexandrum tradidit Satanæ), ut discant non blasphemare.

(Postremo debet pro universis orare, sicut faciebat Moyses, qui orabat Dominum pro populo). *Exod.* 32. 11. *et Num.* 14. 19. (Et Samuel dicit), 1. *Reg.* 12. 23. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis. (Hoc autem et Paulus diligentissime adimplevit; sic enim ait). *Rom.* 1. 9. 10 : Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, etc. *Et* 2. *Thess.* 1. 11. Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos (vocare Deus etc.) *V. et* 1. *Thess.* 1. 2. (Item hoc ipsum fieri hortabatur, dicens), 1. *Tim.* 2. 1. 2 : Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, etc.

PRINCIPES. — *Principum, et Superiorum, item Prælatorum malorum exempla.*

Dixitque (Moyses) ad Aaron : Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? (Nam multum peccat Prælatus in subditos, quando eorum pravæ acquiescit voluntati). *Exod.* 32. 21.

(Præcepit Dominus Moysi, dicens) : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis. *Num.* 24. 4.

(Male corripuit Heli filios suos, quod multum displicuit Domino). 1. *Reg.* 2. 12. *et seq. V. et. v.* 22. *et seq Item et c.* 3. 12. *et seq.*

Totumque pondus prælii versum est in Saul : (unde et cecidit). 1. *Reg.* 31. 3. 6. 9. *Item* 1. *Paral.* 10. 3. *per totum.*

(Propter peccatum, quod commisit David in numeratione populi, mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum). 2. *Reg.* 24. 15. *Item.* 1. *Paral.* 21. 14.

(Quia Roboam populum nimis gravare voluit, magna pars ipsius ab eo recessit). 3. *Reg.* 12. 19. *Item* 2. *Par.* 10. 19.

(Occasionem dedit Jerobam populo recedendi a cultu Dei, quando vitulos fecit et adorari eos præcepit). *Ibid. v.* 28. *Item* 2. *Paral.* 11. 15.

(Propter malos Prælatos subditi etiam temporaliter affliguntur ; unde Elias dixit Achab : Tu conturbas Israel, et totam domum patris tui). *Ibid.* 18. 18.

Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum, etc. Non pugnabitis contra majorem, et minorem quempiam, nisi contra regem Israel solum (ille autem erat Achab nequissimus). *Ibid.* 22. 31. *Item* 2. *Paral.* 18. 30.

Igitur Manasses seduxit Judam et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel. 2. *Par.* 33. 9. *Item* 4. *Reg.* 21. 9.

(Malorum Prælatorum in Jerusalem peccata expressit Propheta Isaias, dicens) : Principes tui infideles, socii furum ; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, etc. *Isa.* 1. 23.

(De Nabuchodonosor principe pessimo dicitur) : Tu enim terram tuam disperdidisti : tu populum tuum occidisti, etc. *Ibid.* 14. 20.

Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, etc. *Ibid.* 19. 13.

(Sobna Præpositus templi putabat in Jerusalem diu vivere, et moriturus honorifice sepeliri ; sed mandavit Dominus ei) : Quid tu hic, aut quasi quis hic? etc. *Ibid.* 22. 16. (Et post pauca sequitur) : Et expellam te de statione tua, etc. *v.* 19.

(Sedecias rex Juda dixit principibus, Jeremiam occidi volentibus et petentibus) : Ecce ipse in manibus vestris est : nec enim fas est regem vobis quidquam negare. *Jerem.* 28. 5.

(Contra malos Prophetas et Prælatos

dixit Dominus per Ezechielem). Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini, etc. *Ezech.* 13. 5.

(Malis Prælatis Dominus per Ezechielem terribiliter comminatur, dicens) : Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos : nonne greges a pastoribus pascuntur? (Et statim describit Propheta pastorum malorum vitia) : Lac (inquit) comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. *Ibid.* 34. 2. *et seq.*

(Scelestissimi fuerunt illi presbyteri, qui condemnaverunt Susannam ad mortem, eo quod noluit consentire eis, cum ex hoc magis meruisset laudari. *Dan.* 13. 41.

(Rex Demetrius) Alcimum (proditorem) impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israel. 1. *Mach.* 7. 9.

Et elegit Bacchides viros impios, et constituit eos dominos regionis, etc. *Ibid.* 9. 25. *et seq.*

(Jason, frater Oniæ, qui summum sacerdotium emit ab Antiocho), statim (ac obtinuit principatum) ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit, etc. 2. *Mach.* 4. 10.

(Proprietates malorum Prælatorum innuit Salvator noster), dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, etc. Dicunt enim, et non faciunt. Alligant — onera gravia, etc. *Matth.* 23. 1. *et seq.* Clauditis (subjungit Christus) regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, etc. *v.* 13. *et seq. per tot. caput.*

(Et apud Joannem inquit) : Mercenarius autem, et qui non est pastor — videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit — quia — non pertinet ad eum de ovibus (sed curat tantum de pellibus). *Joan.* 10. 12.

(Sciebat Pilatus, quod Judæi per invidiam Dominum tradissent, sciebat eum esse innocentem; et tamen propter favorem populi et timorem Cæsaris, tradidit eum voluntati eorum). *Matth.* 27. 18. *Marc.* 15. 10. *Luc.* 23. 25.

(Principes sacerdotum, vocantes Petrum et Joannem, eis) denuntiaverunt, ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Jesu. *Act.* 4. 18.

(Videns Princeps sacerdotum multa signa fieri per Apostolos), exurgens (ipse) — et omnes, qui cum illo erant — injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica : Angelus autem Domini per noctem (eduxit) eos. *Ibid.* 5. 17. *et seq.* Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos. *v.* 26. (Et post multa consilia) convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu. *v.* 40.

(Raptus fuit Stephanus a Judæis, et adductus in concilium). *Ibid.* 6. 12. (Cum autem plura objicerentur contra eum, dixit Stephano princeps sacerdotum) : Si hæc ita se habent? (Qui cum fideliter se excusaret, et duritiam Judæorum acriter increparet, lapidatus est a Judæis, Principibus Sacerdotum nullam displicentiam ostendentibus). *c.* 7. 1. *per totum Caput.*

(Quidam homines, habentes puellam, a qua Paulus ejecit spiritum pythonicum, accusaverunt eum et Silam socium ejus, quod ipsi civitatem turbarent. Magistratus autem, sine aliqua probatione, fecerunt Paulum et Silam) virgis cædi, (et in carcerem durum mitti). *Ibid.* 16. 22. *et seq.*

(Productus Paulus in concilium cœperat rationabiliter loqui; sed ad primum verbum quod dixit, Princeps sacerdotum fecit eum percuti. Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti? *Ibid.* 23. 3.

(Malos præsides et iniquos habuit Paulus, Felicem et Festum, qui volebant gratiam Judæis præstare, et idcirco compulsus est Paulus ad Cæsarem appellare). *Act.* 24. 27. *et c.* 25. 9. 11.

PRODITIO. — *Proditionis et ejus pœnæ et punitionis, dicta et exempla.*

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum, etc. *Genes.* 4. 8.

(Proditio fratrum Dinæ, qui ob stupratam sororem, Sichemitas prius dolo circumcisos interfecerunt, et urbem vastaverunt; quapropter a patre arguuntur). *Ibid. c.* 34. *per totum.*

(Uxor Samsonis Philisthæa tamdiu flevit coram eo, donec problema manifestaret, ei; quæ hoc statim manifestavit inimicis Samsonis et civibus suis, etc.) *Judic.* 14. 17.

(Dalila cognita causa fortitudinis Samsonis, detonso ipso, tradidit eum Philisthæis, a quibus excæcatus est; sed et illos tandem una cum se ipso interemit). *Ibid.* 16. 19. 30.

(Saul promisit se daturum filiam suam David in uxorem, ut per hanc occasionem hic facilius a Philisthæis occideretur). 1. *Reg.* 18. 17. *V. v.* 25.

(Saul omnes sacerdotes Nobe, præter Abiathar, qui ad David confugit per Doeg proditorem jussit interimi). *Ibid.* 22. 18. *et seq.*

Salvavit David habitatores Ceilæ (ab exercitu Philisthinorum oppugnantium civitatem. Et tamen voluerunt eum tradere Saul æmulo, ipsum ad mortem persequenti). *Ibid.* 23. 5. *V. v* 12.

Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes : Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ? — nostrum autem erit, ut tradamus eum in manus regis. *Ibid. v.* 19. *V. et c.* 26. 1. *eosdem proditores.*

(Postquam Saul fleverat, quasi dolens de persecutione David, et David ei juraverat, persecutus est postea David ita nequiter et acriter uti prius). *Ibid.* 24. 17. 23.

Cumque redisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo : et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus. 2. *Reg.* 3. 27.

Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth; qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit. Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine — et percutientes interfecerunt eum : sublatoque capite ejus (aufugerunt, et) abierunt per viam deserti tota nocte. *Ibid.* 4. 5. *et seq.*

(Urias detulit ad Joab acceptas a David proditorias litteras mortis propriæ). *Ibid.* 11. 14.

(Amnon filius David vocaverat sororem Thamar, quasi de manu illius cibum sumere volens; et postea oppressit eam). *Ibid.* 13. 10. *et seq.*

(Vocavit ad convivium Absalom Amnon fratrem suum, et ibidem occidit eum). *Ibid. v.* 28.

(Absalom proditorie in Hebron proficiscens, conjurat adversus patrem). *Ibid.* 15. 7. *V. v.* 10. *et seq.*

(Cum salutasset Joab Amasam, quasi osculari eum vellet), percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram. *Ibid.* 20. 10.

(Zambri, dux mediæ partis equitum, occidit Hela dominum suum, et regnavit post eum septem diebus tantum; obsessus enim fuit, et succendit se, et palatium in quo erat). 3. *Reg.* 16. 19. *et v.* 15. 18.

(Sellum, filius Jabes, conjuravit contra Zachariam regem Israel dominum suum, et interfecit eum, et regnavit post eum uno mense tantum). 4. *Reg.* 15. 10 13. *V. et v.* 25. (similem conjurationem Phacee contra Phaceia); *et v.* 30. (Osee contra Phacee).

(Cum oraret Sennacherib in templo Deum suum, duo filii ejus percusserunt eum; sed tamen neuter eorum regnavit post eum). *Ibid.* 19. 57.

Tetenderuntque ei (Amon) insidias servi sui, et interfecerunt regem in domo sua. Percussit autem populus terræ, omnes qui conjuraverunt contra regem Amon. *Ibid* 21. 23. 24. *Item.* 2. *Par.* 33. 24.

Venit Ismahel filius Nathaniæ, et multi) cum eo, (et comederunt cum Godolia, quem præfecerat rex Babylonis terræ Juda. Et post prandium surrexerunt, et interfecerunt eum, qui nihil mali suspicabatur de illis). *Ibid.* 25 25. *Confer Jerem.* 41. 1. 2.

Qui postquam recessit (Amasias) a Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, et interfecerunt eum ibi. *Par.* 25. 27. *V. et aliam proditionem.*

(Quidam inimici Nehemiæ voluerunt fœdus cum eo malitiose componere, cogitantes facere ei malum). 2. *Esdr.* 6. 2. *per totum. V.* 1. *Esdr.* 4. 2.

(Duo janitores regis Assueri, qui) in primo palatii limine præsidebant, voluerunt que insurgere in regem, et occidere eum — et appensus est uterque eorum in patibulo. *Esther* 2. 21. 22.

Misit rex (Antiochus) principem tributorum in civitate Juda, et venit Jerusa-

lem cum turba magna. Et locutus est ad eos (qui erant intus) verba pacifica in dolo : et crediderunt ei. Et irruit super civitatem, etc. 1. *Mach.* 1. 30. *et seq.*

(Cum obsideret Antiochus Eupator Jerusalem, nec posset eam capere), misit ad eos, (qui intus erant), pacem facere, et receperunt illam. Et juravit illis rex — et rupit citius juramentum, etc. *Ibid.* 6. 60. *et seq. V. aliam proditionem c.* 9. 40.

(Ptolemæus rex Ægypti quærebat obtinere regnum Alexandri generi suo, dolo, etc.) *Ibid.* 11. 1.

Thryphon autem cum iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum. Et regnavit loco illius. *Ibid.* 13. 31. 32. *V. et. v.* 17. *et* 23.

(Ptolemæus filius Abobi, gener summi sacerdotis, fecit convivium Simoni, et duobus filiis ejus. Et cum inebriati essent, occidit eos). *Ibid.* 16. *v.* 11. 15. 16.

(Simon templi præpositus, thesauros ejus Apollonio duci prodit, ad quos rapiendos missus a rege Heliodorus, percutitur a Deo). 2. *Mach. c.* 3. *per totum V. et cap.* 4. 1.

Qui cum venisset (Apollonius) Jerosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum Sabbati; et tunc feriatis Judæis, arma capere suis præcepit, (et ingentem multitudinem eorum peremit). *Ibid.* 5. 25. 26.

(Audiens Judas Machabæus, quod illi, qui obsederant turres, ubi erant inimici gentiles, pecuniam acceperint, et quosdam abire permiserint, illos tanquam proditores, et fratrum venditores interfecit, et confestim turres occupavit). *Ibid.* 10. 20. *et seq.*

(Omnes alias proditiones in nequitia et perversitate superat illa, quam facinorosissimus Judas contra Dominum procuravit : qui Dominum et Magistrum suum vendidit pro vili pretio). *Matth.* 26. 15. *Et v.* 49. (eum in manus hostium tradidit, osculando). *V. Marc.* 14. 10. 45. *Luc.* 22. 4. 47. *Joan.* 18. 3. (Sed propterea) suspensus crepuit medius : et diffusa sunt omnia viscera ejus. *V. Act.* 1. 18. *et Matth.* 27. 5.

Collegerunt se quidam ex Judæis, et dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum : (sed detecta est conjuratio, et Paulus sanus evasit). *Act.* 23. 12. *et seq. usq. ad finem.*

PROMISSIO. *V. et* **Votum.**

PROMISSIO. — *Promissiones Dei cum conditione sunt.*

(Dabit Dominus tibi quidquid juravit dare), si tamen custodieris mandata ejus, etc. *Deut.* 19. 8.

(Multiplex promittitur observantibus legem benedictio, et transgredientibus maledictio). *Ibid. c.* 28. *Idem habetur Levit.* 26. 1. *per totum.*

Propterea ait Dominus Deus Israel (ad Heli) : Loquens locutus tum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me : sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, etc. 1. *Reg.* 2. 30.

(Dicit Propheta, quod filius non portabit iniquitatem patris, nec e contra, sed quisque suam ipsius portabit : quod si impius pœnitentiam egerit, salvabitur; justus vero, si suam deseruerit justitiam, damnabitur. Hortatur ergo ad pœnitentiam et cordis innovationem). *Ezech. c.* 18. *per totum.*

Si autem dixero impio : Morte morieris : et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum : vita vivet, et non morietur, etc. *Ibid.* 33. 14. 15. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam : vivet in eis. *v.* 19.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16.

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium, suum unigenitum daret : ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam : qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. *v.* 36. *V. c.* 1. 12.

Amen, amen dico vobis : Qui credit in me, habet vitam æternam. *Ibid.* 6. 47.

Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberavit vos. *Ibid.* 8. 31. 32.

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. *Ibid.* 13. 17.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. *Ibid.* 15. 7. Vos

amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *v.* 14.

Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. *Rom.* 8. 17.

Participes enim Christi effecti sumus ; si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. *Hebr.* 31. 4. *V. Coloss.* 1. 23.

(Vincenti præmium promittitur). *Apoc.* 2. 11. *V. et. v.* 7. 17. *et* 26. *Item c.* 3. *v.* 5. 12. 21.

Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. *Ibid.* 21. 7. *V. et* 2. *Petr.* 1. 4.

Et factum est verbum Domini ad (Jeremiam), dicens : Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in Gentibus dedi te. *Jerem.* 1. 4. 5. Noli dicere : Puer sum : quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis : et universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum : quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. *v.* 7. 8.

PROPHETA. — *Prophetæ boni a Deo mittuntur.*

Et factum est verbum Domini ad Jeremiam — dicens — Clama ad me, et exaudiam te : et annuntiabo tibi grandia, et firma, quæ nescis. *Ibid.* 33. 1. 3.

Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. *Amos* 3. 7.

Et spiritus prophetarum, prophetis subjecti sunt. 1. *Cor.* 14. 32.

PROPHETA. — ... *a malis contemnuntur.*

Prophetam suscitabo eis — similem tui : et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. *Deut.* 18. 18. 19.

Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum — At illi subsannabant nuntios Dei, etc. 2. *Paral.* 36. 15. 16. *V. c.* 24. 19.

Venite, et percutiamus eum (Jeremiam) lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus. *Jerem.* 18. 18.

Seduxisti me, Domine, et seductus sum : fortior me fuisti, et invaluisti : factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. Quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito : et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die, etc. *Ibid.* 20 7. 8.

Et misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas, consurgens diluculo, mittensque : et non audistis, neque inclinastis aures vestras, ut audiretis (eos), etc. *Ibid.* 25. 4.

Judicium mortis est viro huic : quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris, etc. *Ibid.* 26. 11. *V. v.* 8.

Et dixerunt principes regi : Rogamus, ut occidatur homo iste (scil. Jeremias). *Ibid.* 38. 4.

Domus autem Israel nolunt audire te : quia nolunt audire me. *Ezech.* 3. 7.

Et dixi : A, a, a, Domine Deus : ipsi dicunt de me : Numquid non per parabolas loquitur iste? *Ibid.* 20. 49.

Et Prophetis mandabitis, dicentes : Ne prophetetis. *Amos* 2. 12.

Jesus autem dixit eis (turbis) : Non est propheta sine honore, nisi, in patria sua, et in domo tua. *Matth.* 13. 57. *V. Marc.* 6. 4. *Luc.* 4. 24. *Joan.* 4. 44.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, etc. *Ibid.* 23. 29. *V. versus sequentes usq. ad finem. Item Luc.* 13. 34.

Tunc exspuerunt in faciem ejus — dicentes : Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit? *Ibid.* 26. 67. 68. *Item Marc.* 14. 65.

PROSPERITAS *a Deo est.*

Fuitque Dominus cum eo (Joseph), et erat vir in cunctis prospere agens. *Gen.* 39. 2.

In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. 1. *Reg.* 18. 14. *V.* 2. *Reg.* 5. 10. *Item* 2. *Paral.* 10. 9. (Et de Ezechia), 4. *Reg.* 18. 7.

Hæc dicit Dominus exercituum : Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel. Et fui tecum quocumque perrexisti : et interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra, etc. 1. *Paral.* 17. 7. 8. Domine Deus, quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum? Domine, propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti

omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia. *v.* 18. 19. *Item* 2. *Reg.* 7. *v.* 8. 9. *et* 21.

Sit Dominus tecum (ait David Salomoni), et prosperare. *Ibid.* 22. 11.

Confortatus est ergo Salomon — in regno suo, et Dominus Deus ejus erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum. 2. *Par.* 1. 1. *V. c.* 7. 11. *Item c.* 14. 6. *et c.* 15. 9. (de Asa. Sic et de Josaphat) *c.* 17. *v.* 3. 5. *et c.* 18. 1.

Egestas a Domino in domo impii : habitacula autem justorum benedicentur. *Prov.* 3. 33.

Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. *Eccles.* 3. 13.

PROSPERITAS *impiorum, et eorumdem repentinus interitus.*

V. Job. per totum Caput. 21.

Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat: et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus, etc. Injusti autem disperibunt simul : reliquiæ impiorum interibunt. *Psal.* 36. 35. *et seq.*

Ego Deus tuus : confortavi te, et auxiliatus sum tibi — Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, et non invenies, etc. *Isa.* 41. 10. *et seq.*

PROSPERITAS *timentibus Deum promissa.*

Tunc enim proficere (scil. prosperare) poteris (ait David Salomoni), si custodieris mandata et judicia, quæ præcepit Dominus, etc. 1. *Par.* 22. 13.

Confortamini, et agite diligenter (ait Josaphat Levitis, etc.), et erit Dominus vobiscum in bonis. 2. *Paral.* 10. 11.

Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis (ait Josaphat viris Juda) : credite Prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. *Ibid.* 20. 20.

Cumque requireret (Ozias) Dominum, direxit eum in omnibus. *Ibid.* 26. 5.

Corroboratusque est Joatham, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo. *Ibid.* 27. 6.

(Ezechias requirens Deum suum toto corde, prosperatus est valde). *Ibid.* 31. 21. *V. et c.* 32. 30. *Item Psal.* 24. 13. *Isa.* 1. 19.

Utinam attendisses (Israel) mandata mea : facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus, etc. *Isa.* 48. 18. 19. *V. c.* 58. 8.

Audite vocem meam (dicit Dominus), et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus : et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. *Jerem.* 7. 23. *V. c.* 22. 4. *et c.* 32. 39. *et seq. Item Oseæ* 2 19. *et seq.*

PROSPERITAS *mundana seu temporalis ejusque abusus, plerumque ad peccatum incitat et præcipitat.*

(Abundantia rerum temporalium sæpe est multorum occasio peccatorum ; sicut in illa regione, quæ irrigabatur sicut paradisus, in qua habitabant Sodomitæ pessimi). *Gen.* 13. 10.

(Refert Moyses beneficia Dei, et e contra populi ingratitudinem). *Deut. c.* 32.

(Gedeon cum parvus esset, et in area frumentum excuteret, bonus fuit, Angelusque Domini visitavit eum. Post obtentam autem victoriam male se habuit). *Judic.* 6. 11. 12. *et c.* 8. 13. *usque ad finem.*

(Saul, antequam rex esset, bonus fuit; at postquam regni gubernacula suscepit, intumuit, et mandata Domini præterivit). 1. *Reg.* 15. 11.

(Post multa bella et victorias de inimicis obtentas, David remanens quietus in Jerusalem, commisit adulterium, et exinde secutum est homicidium). 2. *Reg.* 11. 4. 15.

(Occasione multitudinis suorum subditorum, David in superbiam elatus est, et fecit populum numerari). *Ibid.* 24. 1. *Item* 1. *Paral.* 21. 1.

(Non erat argentum alicujus pretii in diebus Salomonis, quia tanta erat in Jerusalem argenti abundantia, quanta et lapidum. Sed nota quam mirabile et quam terribile fuit, quod plus nocuit ei rerum copia, quam profuit ejus sapientia). 3. *Reg.* 10. 27. *V. c.* 11. 1. *et seq. Item* 2. *Paral.* 1. 15.

(Jeroboam antequam consequeretur dominium super decem tribus, non legitur fuisse malus, sed potius adolescens bonæ indolis et industrius : statim vero ut regnum adeptus est, fecit vitulos aureos, et avertit populum a Deo, ne populus averteretur ab eo). *Ibid.* 11. 28. *et c.* 12. 28. *et seq.*

(Amasias postquam debellavit Edom, elevatum est cor ejus, et voluit contra Joas regem Israel præliari ; sed male successit ei). 4. *Reg.* 14 10. *et seq. Item* 2. *Paral.* 25. 19.

Cumque roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo. 2. *Par.* 12. 13.

Cum roboratus esset (Ozias rex Juda), elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum ; ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum. *Ibid.* 26. 16.

(Manasses rex Jerusalem fuit pessimus; postea in Babylonem vinctus ductus est, ubi) postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum : et egit pœnitentiam valde coram Deo. *Ibid.* 33. 12.

Et comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt (Israelitæ), et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te (Deus) ad iracundiam, etc. 2. *Esdr.* 9. 25. 26.

(Aman prosperrimus, incidit in superbiam ; et hinc in patibulo brevem suam finivit prosperitatem). *Esth.* 5. 9. *et seq. et c.* 7. 10.

Mendicitatem (Deus) et divitias (orat Salomon) ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria : ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. *Prov.* 30. 8. 9.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, etc. *Ezech.* 16. 49. *V. et versus sequentes.*

(Statua, quam vidit Nabuchodonosor, quæ percussa a lapide abscisso de monte, redacta est in favillam, satis indicat, prosperitatem hujus mundi nihil esse). *Dan.* 2. 31. *et seq.*

(Denuntiat Daniel superbo Nabuchodonosor) : Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cæli infunderis. *Ibid.* 4. 22. *V. c.* 5. *v.* 20. 21. 23.

Juxta pascua sua adimpleti sunt (filii Israel), et saturati sunt : et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei, (inquit Dominus). *Oseæ.* 13. 6.

(Filii Jambri faciebant nuptias magnas, et surrexerunt Judæi ex insidiis, Jonatha duce, et occiderunt multos; et ita) conversæ sunt nuptiæ in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum. 1. *Mach.* 9. *v.* 37. 40. *et* 41. *V. Jacob.* 4. 9.

(Adolescens, qui quæsivit a Christo, quomodo habere posset vitam æternam, multas habebat possessiones et divitias ; idcirco audiens a Christo consilium perfectionis, ut venderet quæ possidebat), abiit tristis. *Matth.* 19. 22. *Item Marc.* 10. 22. *Luc.* 18. 23.

(Ad contemnendam rerum temporalium nimiam abundantiam, multum confert exemplum, quod ponit Salvator noster in illo divite stolido, cujus ager uberes afferebat fructus. Cum autem sollicitus cogitaret destruere horrea sua, et facere majora, ait) illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? *Luc.* 12. *v.* 16. 18. 20. (*V.* et historiam, quam narravit Christus de epulone divite, et paupere Lazaro), *Luc.* 16. 19. (Et concludit tandem Christus) *c.* 12. 21 : Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

(Emptores villæ, et boum, et qui uxorem duxerat, vocati ad cœnam magnam, excusaverunt se tanquam aliis curis occupati : pauperes vero et debiles fuerunt introducti). *Ibid.* 14. 18. *et seq.*

(Cum populus Herodi magno regi, vestito regali veste, et sedenti pro tribunali, acclamaret) : Dei voces, et non hominis : confestim — percussit eum Angelus Domini — et consumptus a vermibus, expiravit. *Act.* 12. 21. *et seq.*

Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, etc. 1. *Tim.* 6 17.

PROVIDENTIA. *V.* **Deus omnia regit,** etc. *sub Tit.* **Deus.**

PROVIDENTIA *Dei adstruitur.*

Ne dederis, etc., neque dicas coram Angelo : Non est Providentia, ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. *Eccles.* 5. 5.

Dixit enim (Deus) : In fortitudine manus meæ (cuncta) feci, et in sapientia mea intellexi : et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum : et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganni-

ret. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, etc. *Isa.* 10. 13 *et seq. V. Job.* 22. 14. *per totum.*

Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? — Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. *Matth.* 6. 30. *et seq. V. Psal.* 54. 23. *Luc.* 12. 28 *et seq. Philipp.* 4. 6. 1. *Tim.* 6. 8. 1. *Petr.* 5. 7.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, etc. *Ibid.* 10. 19. *V. Luc.* 12. 11. 12.

PROVIDENTIA *Dei universalis et generalis.*

(Deus præcepit et providit Noe, ut non solum filios, etc. secum in arcam duceret, sed et ex cunctis animantibus universæ carnis induci mandavit bina, masculini sexus et fœminini, etc.) *Gen.* 6. 19. *et seq.*

Dominus regit me, et nihil mihi deerit. *Psal.* 22. 1.

Homines et jumenta salvabis, Domine. *Psal.* 33. 7.

Lætentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis. *Psal.* 66. 5.

Omnia a te (Deus) expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur, etc. *Psal.* 103. 27. *V. totum Psal.*

Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. *Psal.* 144. 15. 16. *V. totum Psal. Item Psal.* 145. *et* 146.

(Deus) operit cœlum nubibus : et parat terræ pluviam, etc. *Psal.* 146. 8. *et seq.*

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. *Prov.* 15. 3.

Pusillum et magnum ipse fecit (Deus), et æqualiter cura est illi de omnibus. *Sap.* 6. 8.

In manu enim illius (Dei) et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia. *Ibid.* 7. 16.

Attingit ergo (Deus) a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. *Ibid.* 8. 1.

Diligis enim (Deus) omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti. *Ibid.* 11. 25. *V. et v.* 26.

Tua autem, Pater, providentia (ab initio cuncta) gubernat. *Ibid.* 14. 3.

Ego Dominus, et non est amplius : extra me non est Deus — Ut sciant hi, qui ab ortu solis et qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans malum : ego Dominus, faciens omnia hæc. *Isa.* 45. 5. *et seq. V. et c.* 42. 5. *Item Amos* 4. 13.

Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus? *Jerem.* 23. 24.

Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. *Matth.* 10. 20. 30. *V. Luc.* 12. 6. 7. *Item Act.* 27. 34.

Jesus autem respondit eis (Judæis) : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. *Joan.* 5. 17.

In ipso enim (Deo) vivimus, et movemur, et sumus. *Act.* 17. 28. *V. et. v.* 25.

Qui (Deus) operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. *Ephes.* 1. 11.

Omnia (hujus universi) in ipso (Deo) constant. *Coloss.* 1. 17. *V. et v.* 16.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (Deum), quoniam ipsi cura est de vobis. 1. *Petr.* 5. 7.

PROVIDENTIA *Dei specialis, seu particularis.*

Apud Dominum gressus hominis dirigentur : et viam ejus volet. Cum ceciderit, non collidetur quia Dominus supponit manum suam. *Psal.* 36. 23. 24.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi. *Psal.* 103. 21.

Qui (Deus) numerat multitudinem stellarum : et omnibus eis nomina vocat. *Psal.* 146. 4. Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. *v.* 8. *et* 9.

A Domino diriguntur gressus viri : quis autem hominum intelligere potest viam suam? *Prov.* 20. 25.

Omnia opera illorum (hominum) velut sol in conspectu Dei : et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum. *Eccli.* 17. 16.

Scio, Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. *Jerem.* 10. 23.

Et plui (ait Dominus) super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui : pars una compluta est; et pars, super quam non plui, aruit. *Amos* 4. 7.

Et paravit Deus vermen accensu diluculi in crastinum : et percussit hederam, et exaruit. *Jonæ* 4. 7.

Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro! *Matth.* 10. 29. *V.* 2. *Reg.* 14. 11. *Item Luc.* 12. 6.

Deus autem dat illi corpus sicut vult : et unicuique seminum proprium corpus. 1. *Cor.* 15. 38.

PROVIDENTIA *Dei peculiaris, seu singularis, qua Ecclesiæ suæ providet.*

Quando dividebat Altissimus gentes : quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, etc. Pars autem Domini populus ejus, etc. circumduxit eum, et docuit : et custodivit quasi pupillam oculi sui, etc. *Deut.* 32. 8. *et seq.*

(Dixit Dominus ad Eliam prophetam, qui repræsentabat totam Ecclesiam) : Vade contra Orientem — et ibi de torrente bibes : corvisque præcepi, ut pascant te ibi, etc. 3. *Reg.* 17. 3. 4. *V. et versus sequentes.*

Dominus regit me, et nihil deerit in loco pascuæ ubi me collocavit. *Psal.* 22. 1.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos. *Psal.* 33. 8.

Et nunc hæc dicit Dominus, creans te, Jacob, et formans te, Israel : Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, etc. *Isa.* 43. 1. 1. *V. versus sequentes. Item c.* 42. 6. *et.* 44. 1. *et seq.*

Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. *Matth.* 6. 33. *Item Luc.* 12. 31.

Et super hanc Petram (inquit Salvator Petro) ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Ibid.* 16. 18.

Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matth.* 18. 20.

PROVIDENTIA. — *Omnia secundum consilium Dei ejusque Providentiæ definitum, voluntatem, ac decretum fiunt, et fieri dicuntur.*

(Dixit Joseph ad fratres suos) : Præmisitque me Deus, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. *Gen.* 45. 7. *V. et v.* 5.

Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? *Ibid.* 50. 19. *V. v.* 20. *et* 21.

(Dixit Dominus ad Moysen) : Vide, ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone : ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. *Exod.* 4. 21.

Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus : constituam tibi locum, in quem fugere debeat. *Ibid.* 21. 12. 13.

Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit : ut impleret pactum suum, etc. *Deut.* 8. 18.

Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quæ possunt audire, usque in præsentem diem. *Ibid.* 29. 4.

Et non audierunt (filii Heli) vocem patris sui : quia voluit Dominus occidere eos. 1. *Reg.* 2. 25.

Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. *Prov.* 16. 9.

Multæ cogitationes in corde viri : voluntas autem Domini permanebit. *Ibid.* 19. 21. *V. et c.* 20. 24. *Item Jerem.* 10. 23.

Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti. Cum ergo sis justus, juste omnia disponis, etc. *Sap.* 12. 13. *et seq.*

Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc. *Isa.* 45. 6. 7. *V. et c.* 42. 5. *Item Amos* 4. 13.

Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? Indurasti cor nostrum, ne time-

meremus te? Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ. *Ibid.* 63. 17.

Ego (Deus Israel) feci terram, et homines, et jumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea, et in brachio meo extento : et dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. *Jerem.* 27. 5.

Sapientia et fortitudo ejus (Dei) sunt : et ipse mutat tempora et ætates : transfert regna atque constituit : dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam : ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta : et lux cum eo est. *Dan.* 2. 20. 21. *et* 22.

O rex (inquit Daniel ad Baltassar), Deus altissimus regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. *Ibid.* 5. 18.

Nolite ergo solliciti esse (de temporalibus) — Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. *Matth.* 6. 31. 32. *Item Luc.* 12. 29. 30.

Propterea non poterant credere, quia — excæcavit (Deus) oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant, etc. *Joan.* 12. 39. *uti dicitur Isa.* 6. 9. *V. et Matth.* 13. 15. *Marc.* 4. 12. *Luc.* 8. 10. *Act.* 28. 27. *Rom.* 11. 8. *et seq.*

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. *Cor.* 3. 5.

Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate (sua). *Philipp.* 2. 3.

PROVIDENTIA *Dei reverenter expetenda.*

Dixit autem Abraham (ad filium suum Isaac sollicitum de victima) : Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. *Gen.* 22. 8.

Multo tempore pugnavit Josue — non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel — omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent : et non mererentur ullam clementiam ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. *Josue* 11. 18. *et seq.*

Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. 2. *Paral.* 16. 9. *V. Job* 28. 24.

Oculi enim ejus (Dei) super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. *Job.* 34. 21.

Ego autem in te speravi, Domine : dixi : Deus meus es tu ; in manibus tuis sortes meæ. *Psal.* 30. 15. 16.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hæreditatem sibi. De cælo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum — Qui intelligit omnia opera eorum. *Psal.* 32. 12. *et seq.*

Oculi Domini super justos : et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala ; ut perdat de terra memoriam eorum. *Psal.* 33. 16. 17. *V. totum Psal. Item Hebr.* 4. 13.

Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam, et spera in eo : et ipse faciet. *Psal.* 36 3. *et seq. V. totum Psal.*

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo, etc. *Psal.* 54. 23. *V. Psal.* 106. 6.

Deus judex est. Hunc humiliat, et hunc exaltat. *Psal.* 74. 8.

Intelligite, insipientes in populo : et stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat ? Qui corripit gentes, non arguet; qui docet hominem scientiam? *Psal.* 93. 8. *et seq.*

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. *Psal.* 102. 13. 14.

Omnia a te (Deus) expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur, etc. Emittes spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ. *Psal.* 103. 27. *et seq. V. Psal.* 135. 25.

(Deus suscitat) a terra inopem, et de stercore (erigit) pauperem. *Psal.* 112. 7. *V. et Psal.* 137. 6. *Item* 1. *Reg.* 2. 8.

Allevat Dominus omnes, qui corruunt ; et erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. *Psal.* 144. 14. *et seq.* Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet : et salvos fa-

ciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se : et omnes peccatores disperdet. *v.* 18. *et seq. V. et Psal.* 145. *et* 146. *per tot.*

Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. *Prov.* 5. 21. *V. c.* 20. 24. *Item Job.* 14. 15. *c.* 31. 4. *c.* 34. 21.

Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. *Ibid.* 16. 33.

Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. *Eccli.* 15. 20.

Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui, etc. *Isa.* 49. 15. *V. c.* 54. 16.

Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? *Thren.* 3. 37.

(Non est) malum in civitate, quod Dominus non fecerit. *Amos* 3. 6,

Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. *Matth.* 10. 29. *et seq. V. Luc.* 12. 6. 7. *Act.* 27. 34.

In ipso enim (Deo) vivimus, et movemur, et sumus. *Act.* 17. 28. *V. et v.* 25.

Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ? 1. *Petr.* 3. 12. 13.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (Deum), quoniam ipsi cura est de vobis. *Ibid.* 5. 7. V. *Matth.* 6. 25. *et seq. Luc.* 12. 22. *et seq.*

PROVIDENTIA *Dei etiam ad res minimas extenditur.*

Domine, in cœlo misericordia tua : et veritas tua usque ad nubes. *Psal.* 35. 6. Homines et jumenta salvabis, Domine : quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus, etc. *v.* 7. 8.

Nonne duo passeres asse veneunt; et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? *Matth.* 10. 29. V. *Luc.* 12. 6.

PROVIDENTIA. — *Providentiæ Dei æquitas in remuneratione bonorum.*

Nihil in terra sine causa fit. *Job.* 5. 6. Sed omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti (Domine). *Sap.* 11. 21.

Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? *Matth.* 20. 14. 15.

PROVIDENTIA. — ... *in punitione malorum.*

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. *Job.* 36. 22.

Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. *Sap.* 12. 13. *V. et v.* 12. Cum ergo sis justus, juste omnia disponis — Virtus enim tua justitiæ initium est. *v.* 15. *et* 16. *V. et versus sequentes.*

Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est? *Isa.* 10. 15.

PROVIDENTIA. — ... *imperscrutabilitas ob tribulationem bonorum.*

Unum est, quod locutus sum, et innocentem, et impium ipse consumit. *Job.* 9. 22.

Mei autem pene moti sunt pedes : pene effusi sunt gressus mei. Qui zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, etc. *Psal.* 72. 2. 3. *V. totum Psal. præclare ad rem nostram faciens.*

Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole; et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat : etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. *Eccles.* 8. 17.

Sunt justi atque sapientes : et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti; sicut bonus, sic et peccator : ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. *Ibid.* 9. 1. *et seq.*

Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? *Habac.* 1. 2. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis

super iniqua agentes : et taces devorante impio justiorem se? *v.* 13.

PROVIDENTIA. — ... *et ob prosperitatem malorum.*

Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me. *Job.* 21. 16. *totum. caput, et præcipue v.* 7. *et seq.*

Quid gloriaris in malitia? *Psal.* 51. 1. Et erue me de manu filiorum alienorum. — Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua. Filiæ eorum compositæ. — Promptuaria eorum plena.— Oves eorum fœtosæ. — Non est ruina maceriæ.— Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. *Psal.* 143. 11. *et seq. V. totum Psal.* 36. *et præcipue v.* 35.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus : impium quoque ad diem malum. *Prov.* 16. 4.

Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ : Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua. *Eccles.* 7. 16.

Altiora te ne quæsieris.— Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. *Eccli.* 3. 22. 23.

Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt? Plantasti eos, radicem miserunt, proficiunt, et faciunt fructum : prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum — Congrega eos quasi gregem ad victimam, etc. *Jerem.* 12. 1. *et seq.*

Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis : In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe, ubi est Deus judicii? *Malach.* 2. 17.

PROVIDENTIA. — *Providentiæ divinæ exempla.*

(Eluxit hæc miro modo, dum Noe cum tota sua familia, et omnibus animantibus Deus conservavit in Arca ab universali diluvio, quam super aquas direxit, et demum requiescere fecit super montes Armeniæ). *Genes. c.* 7. 18. *et c.* 8. 4.

Abraham se totum commisit divinæ Providentiæ, dum jussus fuit exire de terra sua, et deinde cum Deus illi præcepit immolare filium suum unigenitum, in quo tamen illi fuit promissa innumerabilis posteritas). *Ibid.* 12. 1. *et c.* 22. 2.

(Permisit Deus, Joseph Patriarcham vendi a fratribus, et in Ægyptum perduci, ob illum finem, quem Joseph ipse indicat his verbis, alloquens fratres) : Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum, etc. *Ibid.* 45. 5. *Item c.* 50. 20. (ait): Vos cogitastis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me — et salvos faceret multos populos.

(Moyses parvulus flumini in fiscella expositus, Deo dirigente, invenitur a filia Pharaonis, et ignotæ fœminæ, quæ ipsa Moysis erat mater, ad nutriendum traditur). *Exod.* 2. 3. 8. *V. Act.* 7. 21. *Item Hebr.* 11. 23.

(Filiis Israel per quadraginta annos in deserto pluit manna et coturnix ad manducandum ; et aquam de petra abundantem ad bibendum Moyses eduxit). *Ibid.* 16. 13. *et c.* 17. 6. *V. Num.* 11. 31. *Item Psal.* 77. 24. 27. *et Psal.* 104. 40. 41.

(Moyses ait populo Israel) : Novit (Deus) iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, et nihil tibi defuit. *Deut.* 2. 7. *V. et c.* 8. *per totum.*

(Filiorum Israel vestimenta toto illo tempore) non sunt attrita — nec calceamenta pedum — vetustate consumpta sunt. *Ibid.* 29. 5. *V. et c.* 8. 4. *Item* 2. *Esdr.* 9. 21. (Præterea nullus eorum per totum iter unquam ægrotavit). *Psal.* 104. 37.

(Saul, dum asinas patris sui perditas quærit, ungitur in regem Israel). 1. *Reg.* 9. 3. *et c.* 10. 1.

(Passim legitur, quomodo David inter omnes persecutiones, quas passus est a Saul et a proprio filio Absalom, mire semper a divina Providentia fuit protectus). *Ibid. c.* 18. *et seq. et* 2. *Reg. c.* 15. *et seq.*

(Elias cœlum triennio claudit, primumque pascitur a corvis, deinde a muliere Sarephtana, cujus hydria farinæ, et lecythus olei non minuuntur). 3. *Reg. c.* 17.

(Eidem Eliæ, cum fugeret furorem insidiantis Jezabel, et in deserto nihil haberet, quod manducaret et biberet, Angelus Domini attulit panem et aquam). *Ibid.* 19. 1. *et seq.*

Propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei : Hæc dicit Dominus : Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam ? ecce ego tradam eam in manu tua hodie : ut scias, quia ego sum Dominus, etc. *Ibid.* 20. 13.

(Eliseus viduæ debitis oppressæ oleum impetrat, quo solvat creditoribus). 4. *Reg.* 4. 1. *et seq.*

(Eliseus idem centum homines viginti panibus hordeaceis pavit, et multum superfuit). *Ibid. v.* 42. *et seq. V. simile de Christo, Matth.* 15. 32. *et seq. Item Marc.* 8. 1. *et seq. Luc.* 9. 13. *et seq. Joan.* 6. 5. *et seq.*

Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium propter deos Edom. 2. *Par.* 25. 20. *V. et simile de Ochozia c.* 22. 7. *Item de Josia c.* 35. 21. 22.

(Tota historia Job et Tobiæ est argumentum miræ Dei providentiæ : uti et Esther, quæ singulari Dei dispositione fit regina, ut populus Judaicus liberaretur ab exitio sibi parato). *Item tota historia de Jona* (quas legas et intelliges).

(Salomon longum texit panegyricum Providentiæ divinæ, ejusque multa affert exempla). *Sap. c.* 10. *et* 11.

(Christus monet discipulos suos, ne sint solliciti de cibo et vestimento, sed se committant divinæ Providentiæ, cujus multa adducit argumenta). *Matth* 6. 25. *et seq. Item Luc.* 12. 22. *et seq.*

(Idem Salvator interrogat discipulos suos) : Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil. *Luc.* 22. 35.

PROVIDENTIA *humana.*

Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent! *Deut.* 32. 28. 29.

Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum. *Prov.* 1. 17.

Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. *Ibid.* 19. 20.

Callidus vidit malum, et abscondit se : innocens pertransiit, et afflictus est damno. *Ibid.* 22. 3.

Astutus videns malum, absconditus est : parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia. *Ibid.* 27. 12.

In die bona fruere bonis, et malam diem præcave. *Eccles.* 7. 15.

Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. *Sap.* 9. 14.

PROXIMUS. — *Proximi dilectio. V.* **Dilectio et Caritas proximi.**

PROXIMUS. — *Proximo damnum non inferendum. V.* **Damnum.**

PRUDENTIA *omnibus necessaria a Deo est.*

Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum (inquit David rex ad Salomonem), ut regere possis Israel, et custodire legem Domini Dei tui. 1. *Paral.* 22. 12.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* 3. 5. *V. et v.* 7.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est : et pretiosi spiritus vir eruditus. *Ibid.* 17. 27.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. *Isa.* 5. 21.

Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum, etc. *Ibid.* 30. 1.

Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10. 16.

Et ipse (Joannes Baptista) præcedet ante illum (Dominum) in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, etc. *Luc.* 1. 17.

Nam prudentia carnis mors est : prudentia autem spiritus, vita et pax. *Rom.*

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. *Ibid.* 12. 16.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse — prudentem, etc. 1. *Tim.* 3. 2.

Senes — sobrii sint — prudentes, etc. *Tit.* 2. 2. Anus similiter — prudentiam doceant adolescentulas — prudentes (sint), etc. *v.* 3. *et seq.*

Si quis autem vestrum indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. *Jacob.* 1. 5.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

PRUDENTIA. — *Prudentiæ et discretionis exempla.*

(Prudenter separavit se Abraham a Lot, ne pastores ad invicem litigarent). *Gen.* 13. 9. *V. et v.* 9.

(Sapienter divisit Abraham filiis suis, dum viveret, portiones, ne post mortem ad invicem concertarent). *Ibid.* 25. 6.

(Rebecca sagaciter instruxit filium suum Jacob, ut benedictionem patris sui consequeretur, et eum fecit recedere a partibus illis, donec requiesceret furor fratris Esau). *Ibid. c.* 27. *per totum.*

(Artem delusit Jacob pulchre, quando nolebat ei dare Laban mercedem, pro servitio competentem). *Ibid.* 30. 32.

(Sagaciter egit Jacob, quando debuit obviare irato fratri, quoniam munera ei misit, res suas divisit, ne uno furoris impetu totum perderet, et res nimis dilectas majori periculo exponeret). *Ibid.* 32. 7. 8. *et* 13. *Item c.* 33. *per totum.*

(Prudenter locutus est Joseph coram Pharaone, ei exponendo somnium, et contra futuram famem dando consilium). *Ibid.* 41. 26. *et v.* 33. 34. 35. 36.

(Joseph fratres suos caute reprehendit, et eis timorem incussit). *Ibid. c.* 44. *per totum.*

(Bonum consilium dedit Jethro Moysi, dicens) : Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, etc. *Exod.* 18. 21. *et seq.*

(Antequam Moyses invaderet terram promissionis, misit exploratores illuc, ad considerandum qualitates ejus). *Num.* 13. 18. *et seq.*

(Exploratores, quos misit Josue, prudenter latuerunt, donec illi, qui quærebant eos, ad propria redirent). *Josue.* 2. 4.

(Magna sagacitate usus est Josue, insidias ponendo juxta civitatem Hai, et fugam postea simulando. *Ibid.* 8. 4. 15.

(Callide cogitantes Gabaonitæ, voluerunt decipere Josue; sed ille eos discrete in servitutem redegit. *Ibid.* 9. 9. 23.

(Phinees, et alii nuntii, ad filios Ruben et Gad missi, discrete locuti sunt, et isti verbis prudentissimis eos placaverunt). *Ibid.* 22. 16. 22. *et seq. usque ad finem.*

(Aod portans munera, Eglon regem astute decepit, simulque interfecit). *Judic.* 3. 17. 21. *et seq.* (Caute deprehendit Jephte qui essent Ephratæi, et qui Galaaditæ, dicendo Scibboleth, dum illi responderent Sibboleth, etc.) *Ibid.* 12. 6.

(Filii Israel pugnantes contra filios Benjamin, fugam arte simulaverunt, et sic eos e civitate abstractos, penitus debellaverunt). *Ibid.* 20. 32. *et seq. usque ad finem.*

(Dicentibus quibusdam de Saul) : Num salvare nos poterit iste? (et despicientibus eum); ille vero dissimulabat se audire. 1. *Reg.* 10 27.

Egrediebatur — David ad omnia quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat. *Ibid.* 18. 5. *V. et v.* 14. *ubi David prudentia commendatur.*

(David coram Achis simulavit se esse fatuum, et quasi furentem, ut posset fugere ab eo) *Ibid.* 21. 13.

(Abigail prudenter placavit David iratum contra Nabal virum suum; item prudenter virum suum reprehendit). *Ibid.* 25. 18. 37.

(Prudenti cautela usus est Joab ad hoc, ut per sapientem mulierem faceret Absalom revocari). 2. *Reg.* 14. 1. *et seq. ad v.* 25.

(Sapiens mulier de Abela fecit recedere Joab ab obsidione civitatis). *Ibid.* 20. 16. 22.

(Audiens Bethsabee, quod Adonias volebat regnare pro patre, sapienter locuta est ad David pro se et filio suo Salomone). 3. *Reg.* 1. 5. 15. *et seq.*

(Discretionem et sapientiam postulavit a Deo Salomon, quod multum placuit Deo; et cum sapientia alia multa concessit ei). *Ibid.* 3. 9. *et seq. V. c.* 4. 29. *et seq. Item* 2. *Par.* 1. 10. *et seq. Sap.* 7. 7. 11.

(Item Salomon prudenter judicavit inter duas mulieres, de unico filio contendentes). *Ibid. v.* 25.

(Studiose fecit Jehu, prophetas Baal honorare se velle fingens, et postea illos occidit, et altare Baal destruxit). 4. *Reg.* 10. 19. *et seq. usq. ad v.* 29.

(Studiose et discrete Ezechias rex Juda prohibuit, ne populus nuntiis regis Assyriorum dicentibus blasphemias responderet; non enim expedit populum fidelem contra litigantes infideles disputationes habere). *Ibid.* 18. 36. *V. Isa.* 36. 21.

(Joiada Pontifex, volens constituere regem Jerusalem Joas filium Ochoziæ, valdè caute se gessit et prudenter). 2. *Paral. c.* 23. *per totum. Item* 4. *Reg. c.* 11. *per totum.*

(Ezechias intelligens regem Assyriorum contra Jerusalem adventurum, obturavit capita fontium extra urbem, reparavit muros urbis, extruxit turres, bellatores suos optimis sermonibus confortavit, et deinde ad precandum Dominum se convertit). *Ibid.* 32. 3. *et seq.*

(Cum magna discretione, diligentia et sollicitudine ædificavit Nehemias murum

in circuitu Jerusalem). 2. *Esdr. c.* 2. 3. *et* 4.

(Cum remansisset in Jerusalem duodennis puer Jesus in medio Doctorum, audiens et interrogans illos, sequitur) : Stupebant autem omnes — super prudentia et responsis ejus, etc. *Luc.* 2. 47.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. *Ibid.* 16. 8.

PSEUDOPROPHETA. — *Pseudoprophetæ non sunt audiendi.*

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, etc. *Deut.* 13. 1. *et seq. usq. ad v.* 6.

Propheta autem, qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ non præcepi illi aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. *Ibid.* 18. 20. *V. et. v.* 22.

Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel : et verba, quæ locutus fuerat ad regem narraverunt patri suo, etc. 3. *Reg.* 13. 11. *V. totum caput. Item* 4. *Reg.* 10. 19. *et seq.*

Dixitque Elias ad eos (scil. ad populum) : Apprehendite prophetas Baal et ne unus quidem effugiat ex eis (erant enim 850.). Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. *Ibid.* 18. 40. *V. c.* 22. *v.* 6. 10. 12, 22. *et* 23.

Qui decipit in via mala, in interitu suo corruet : et simplices possidebunt bona ejus. *Prov.* 28. 10.

Væ impio in malum; retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 11. *V. c.* 28. 7.

Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. *Ibid.* 56. 10. *V. et v.* 11. Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes : Gladius et fames non erit in terra hac : in gladio et fame consumentur prophetæ illi. *Jerem.* 14. 15. *V. et V.* 14.

(Vaticinatur Dominus æternum opprobrium prophetis, qui populum decipiunt, volentes ut obliviscatur nomen Domini, et prophetant absque Dei voluntate, sermonem Domini onus appellantes). *Ibid. c.* 23. *per totum caput* 28.

Vos ergo nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis : Non servietis regi Babylonis : quia mendacium prophetant vobis : ut longe vos faciant de terra vestra, et ejiciant vos, et pereatis. *Ibid.* 27. 10. *V. et v.* 14. *et seq.*

Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, et divini vestri : et ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis : quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo : et non misi eos, dicit Dominus. *Ibid.* 29. 8. 9. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliæ, et ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter; ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis : et percutiet eos in oculis vestris, etc. *v.* 21. *et seq.*

(Minatur Dominus pseudoprophetis ex suo cerebro divinantibus, populumque seducentibus, falsam promittendo pacem, et parietem luto absque paleis liniendo; similiter et filiabus Israel de corde suo prophetantibus, et pulvillos sub omni cubito consuentibus). *Ezech. c.* 13. *per totum.*

Et propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum : Ego Dominus decepi prophetam illum ; et extendam manum meam super illum et delebo eum de medio populi mei. *Ibid.* 14. 9. *V. Amos* 7. 10.

Conjuratio prophetarum in medio ejus (terræ Israel) sicut leo rugiens, rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius, etc. *Ibid.* 22. 25. *V. et v.* 28.

Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos : nonne greges a pastoribus pascuntur? *Ibid.* 34. 2. *per totum caput.*

Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium, etc. *Michææ* 3. 5. *et seq.*

Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra : et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. *Zach.* 13. 2. *V. et versus sequentes.*

Attendite (dixit Jesus discipulis suis) a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth.* 7. 15. 16. 20. *V. et c.* 24. 11.

Attendite (dixit Jesus discipulis suis) a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *Luc.* 12. 1. *Item Matth.* 16. *v.* 6. 11. *et* 12. *Marc.* 8. 15.

Ego scio (aiebat Paulus), quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, etc. *Act.* 20. 29. *V. et v.* 30.

Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. *Philipp.* 3. 2.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. *Coloss.* 2. 8.

Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium, etc. 1. *Tim.* 4. 1. 2. *V.* 2. *Tim.* 2. 17. 18. *Item Tit.* 1. 10. 11.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, etc. 2. *Tim.* 3. 1. *et seq. V. c.* 4. 3. 4. *Item* 2. *Petr.* 3. 3.

Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem, etc. 2. *Petr.* 2. 1. *per totum caput.*

Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1. *Joan.* 4. 1. *V. et v.* 3. *Item* 2. *Joan. v.* 7. *Judæ v.* 18.

PSEUDOPROPHETA. — *Pseudoprophetæ habentur, qui currunt antequam per ordinariam potestatem mittantur.*

Et dixit Dominus ad me : Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo : non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos : visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis, etc. *Jerem.* 14. 14. *V. et v.* 15. *Item c.* 29. 9.

Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt : Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis : cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus, etc. *Ibid.* 23. 31. *et seq. V. v.* 21. *imò totum caput.*

Quia non misi eos, ait Dominus : et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter : ut ejiciant vos, et pereatis tam vos, quam prophetæ, qui vaticinantur vobis, etc. *Ibid.* 27. 15.

Vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus : cum Dominus non miserit eos : et perseverant confirmare sermonem, etc. *Ezech. totum caput.*

PSEUDOPROPHETA. — ... *se ipsos intrudunt.*

Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, etc. 3. *Reg.* 22. 22. *V. v.* 23. *Item* 2. *Paral.* 18. 21. *et* 22.

Et dixi : A, a, a, Domine Deus. Prophetæ dicunt eis : Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus ad me — Non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos : visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis, etc. *Jerem.* 14. 13. *V. et v.* 14.

Non mittebam prophetas, et ipsi currebant : non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. *Ibid.* 23. 21. *V. c.* 27. 15. *c.* 29. 9.

Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui, Israel, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos : et perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis : Ait Dominus : cum ego non sim locutus. *Ezech.* 13. 3. *et seq. V. c.* 14. 9. *c.* 34. 2. *et seq.*

Ex nobis prodierunt (Antichristi) sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, etc. 1. *Joan.* 2. 19.

PSEUDOPROPHETA. — ... *simplices seducunt.*

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra. *Deut.* 13. 1. *et seq.* *V. et v.* 5.

Stupor, et mirabilia facta sunt in terra : prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, etc. *Jerem.* 5. 20. 31.

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax : et non erat pax. *Ibid.* 6. 14. *Item c.* 8. 11.

Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii, et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua, etc. *Jerem.* 23. 14. Hæc dicit Dominus exercituum : Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini, etc. *v.* 16. Si stetissent in consilio meo — avertissem utique eos a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis. *v.* 22. Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes : Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui ? *v.* 25. *V. totum caput.*

Prophetæ tui (Jerusalem) viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent, etc. *Thren.* 2. 14.

Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, etc. *Ezech.* 22. 28. *V. et v.* 25.

Scitote, Israel, stultum prophetam, insanum virum spiritualem — Speculator Ephraim cum Deo meo : propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus. *Oseæ* 9. 7. 8.

Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ : et dabunt signa magna, et prodigia — Nolite credere. *Matth.* 24. 24. *Item Marc.* 15. 22. *Luc.* 21. 8.

Nam ejusmodi pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. 2. *Cor.* 11. *V. et v.* 15.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. *Coloss.* 2. 8.

Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, Dominum negant, etc. 2. *Petr.* 2. 1.

Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, etc. *Ibid.* 3. 3. *V.* 1. *Tim.* 4. 1. *Item* 2. *Tim.* 3. 1. *et seq.* *Judæ v.* 18.

PSEUDOPROPHETA. — ... *factis se produnt.*

Propheta autem, qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret — interficietur. *Deut.* 18. 20. *V. et v.* 22.

Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. *Isa* 28. 7.

Prophetæ ejus vesani, viri infideles. *Sophon.* 3. 4.

Attendite a falsis prophetis — Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus ? etc. *Matth.* 7. 15. *V. Luc.* 6. 44.

PSEUDOPROPHETA. — . . *Pœnam super se inducunt.*

Propheta autem ille, aut fictor somniorum, interficietur : quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, etc. *Deut.* 13. 5.

Propheta docens mendacium, ipse est cauda. *Isa.* 9. 15.

Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes, etc In gladio et fame consumentur prophetæ illi. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jerusalem, præ fame et gladio, etc. *Jerem.* 14. 15. 16.

Propheta namque et sacerdos polluti sunt : et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus. Idcirco via eorum erit

quasi lubricum in tenebris : impellentur enim, et corruent in ea, afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. *Ibid.* 23. 11. 12. *V. et versus sequentes.* Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo, etc. *v.* 30. *et seq.*

Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam : Audi, Hanania : non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego mittam te a facie terræ : hoc anno morieris : adversus enim Dominum locutus es, etc. *Ibid.* 28. 15.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium : in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur — Eo quod deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax, etc. *Ezech.* 13. 8. *et seq. V. totum caput.*

Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione, etc. *Mich.* 3. 5. 6.

PUER. *V.* **Filius.**

PULCHRITUDO. *V.* **Forma corporis.**

PUNITIO *divina fit per Angelos.*

Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait Angelo percutienti populum : Sufficit : nunc contine manum tuam, etc. 2. *Reg.* 24. 16. *V.* I. *Paral.* 21. 15. 16.

Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. 4. *Reg.* 19. 35. *V.* 2. *Paral.* 32. 21. *Item Eccli.* 48. 24. *Isa.* 37. 36. 1. *Mach.* 7. 41. 2. *Mach.* 15. 22.

Semper jurgia quærit malus : Angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Prov.* 17. 11.

A voce Angeli fugerunt populi, etc. *Isa.* 33. 3.

(Dixit Daniel ad senem petulantem, accusatorem Susannæ) : Ecce enim Angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium. *Dan.* 13. 55. *V. et v.* 59.

Angeli Dei severissime puniunt Heliodorum). 2. *Mach.* 3. 25. 26.

Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem : et mittent eos in caminum ignis, etc. *Matth.* 13. 41. 42. *V. et v.* 39. *et* 49.

Confestim autem percussit eum (Herodem) Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus, expiravit. *Act.* 12. 23. *V. Apoc.* 14. 15. *et seq. Item c.* 16. *per totum.*

PUNITIO..... *per homines.*

Væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est; in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor ejus, etc. *Isa.* 10. 5. *et seq.* Et erit : cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, et in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, etc. *v.* 12.

Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum — et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti : et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus : et erit merces exercitui illius, etc. *Ezech.* 29. 18. 19. *V. Jer. c.* 46. *per totum.*

PUNITIO *malorum necessaria.*

Maleficos non patieris vivere. *Exod.* 22. 18.

Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. *Num.* 25. 4. *V. et v.* 5. *Item* 32. 27. *Deut.* 13 9. *et c.* 17. 7.

Impiis et peccatoribus (Deus) reddet vindictam. *Eccli.* 12. 4.

Novi opera tua, et fidem, et caritatem

tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua, novissima plura prioribus. Sed habeo adversus te pauca : quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. *Apoc.* 2. 19. *et seq.*

PUNITIO..... *ordinata.*

Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur. *Deut.* 24. 16. *V.* 4. *Reg.* 14. 6. *Item* 2. *Paral.* 25. 4. *Ezech.* 18. 20.

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. *Ibid.* 27. 25.

Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. *Sap.* 11. 17.

Verum sine judicio nihil facias grave. *Eccli.* 33. 30.

Qui sine peccato est vestrum, primus in illam (mulierem) lapidem mittat. *Joan.* 8. 7.

Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper (ait Jesus Pilato). *Ibid.* 19. 11.

Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis Angelis, ut hæc custodias, etc. 1. *Tim.* 5. 2.

PUNITIO... *fructifera.*

Pestilente flagellato, stultus sapientior erit : si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. *Prov.* 19. 25.

Livor vulneris absterget mala : et plagæ in secretioribus ventris. *Ibid.* 20. 30.

Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus, etc. *Ibid.* 21. 11.

Peccantes coram omnibus argue : ut et cæteri timorem habeant. 1. *Tim.* 5. 20.

PUPILLUS. — *Pupilli commendantur.*

Viduæ, et pupillo non nocebitis. *Exod.* 22. 22.

(Deus amat et) facit judicium pupillo et viduæ. *Deut.* 10. 18.

Non pervertes judicium advenæ, et pupilli. *Ibid.* 24. 17. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ pupilli, ac viduæ. *v.* 21. *V. et v.* 19. *et* 20. *Item c.* 14. 29.

Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ, et dicet omnis populus : Amen. *Ibid.* 27. 19.

Judicate egeno et pupillo : humilem et pauperem justificate. *Psal.* 81. 3.

Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus ? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea ? *Jer.* 5. 28. *Item Isa.* 1. 23.

Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari, etc. *Zach.* 7. 10.

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo *Jac.* 1. 27.

PURGATORIUM, *id est locum, ubi sunt animæ, quæ vivorum precibus et operibus juvari possunt, et purgantur, esse, confirmatur*

Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos et reducit. 1. *Reg.* 2. 6. *V. Tob.* 13. 2. *Item Sap.* 16. 13.

Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. *Tob.* 4. 18.

Mortuo non prohibeas gratiam. *Eccli.* 7. 37.

Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi : consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum : educet me in lucem, videbo justitiam ejus. *Mich.* 7. 8. 9.

Tu quoque (Deus Salvator) in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, etc. *Zach.* 9. 11.

Et sedebit (Deus) conflans, et emundans argentum, etc. *Malach.* 3. 3. *V. totum versum.*

Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit (Judas Machabæus) Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans, etc, 2. *Mach.* 12. 43. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. *v.* 46.

Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via (in hac vita) cum eo : ne forte — in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem, *Matth.* 5, 25, 26. *V. Luc.* 12. 58.

Et quicumque dixerit verbum contra

Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Ibid.* 12. 32. *V. Marc.* 3. 28. *Luc.* 12. 10.

Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur ; et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. *Cor.* 3. 13 *et seq.*

(Fideles inveniuntur, qui se baptizant pro mortuis). *Ibid.* 15. 29. (Per baptismum autem hic intelligitur jejunium, lacrymæ, afflictiones, vigiliæ, et alia opera pœnalia, per quæ succurrunt defunctis in Christo iidem fideles). *V. Marc.* 10. 38 *Luc.* 12. 50).

Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. *Philipp.* 2. 10. 11.

Det illi (Onesiphoro) Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti. 2. *Tim.* 1. 18.

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem ; non pro illo dico ut roget quis. 1. *Joan.* 5. 16.

Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. *Apoc.* 5. 3. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, etc. *v.* 13.

PUSILLANIMITAS. *V.* **Formido.**

Q

QUADRAGESIMA. — *Quadragesimalis jejunii exempla.*

Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem : et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. *Exod.* 24. 18.

Fuit ergo (Moyses) ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes : panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. *Ibid.* 34. 28. *Idem repetitur Deut.* 9. 9.

Et procidi (ait Moyses) ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis. *Deut.* 9. 18.

Qui (Elias) cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. 3. *Reg.* 19. 8.

Et cum jejunasset (Christus) quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. *Matth.* 4. 2. *V. Marc.* 1. 12. *Luc.* 4. 1. 2.

QUÆSTIO. — *Quæstiones contentiosæ, vanæ, ac inutiles sunt vitandæ.*

Qui dixit ad mulierem (scil. serpens) : Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? *Gen.* 3. 1. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. *v.* 6.

Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum : sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. *Prov.* 25. 27.

Ne dicas : Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio. *Eccles.* 7. 11.

Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fuerit : sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. *Eccli.* 3. 22.

Sedente autem eo (Christo) super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes : Dic nobis, quando hæc erunt? (scilicet eversio templi, bella, et persecutiones) et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi? *Matth.* 24. 3. *Item Marc.* 13. 4. *Luc.* 21. 7.

Litigabant ego Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? *Joan.* 6. 53. *V. et c.* 21. 20. 21.

Igitur qui convenerant, interrogabant

eum (Jesum), dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Act.* 1. 6. 7. *V. Dan.* 12. 6.

Nolite seduci : corrumpunt mores bonos colloquia mala. 1. *Cor.* 15. 33.

(Non intendatis) fabulis et genealogiis interminatis, etc. 1. *Tim.* 1. 4. *V. totum versum.*

Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ : superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, etc. *Ibid.* 6. 3. *et seq. V. et c.* 4. 7.

Profana autem et vaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem : et sermo eorum ut cancer serpit : ex quibus est Hymenæus et Philetus. 2. *Tim.* 2. 16. *et seq.* Stultas autem et sine disciplina quæstiones, devita : sciens quia generant lites. *v.* 23. *V. et v.* 14.

Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis, devita : sunt enim inutiles, et vanæ. *Tit.* 3. 9.

QUIES. — *Quiescendum a peccatis.*

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. *Rom.* 6. 6. *per totum caput.*

Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico : prævaricatorem me constituo. Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam. *Gal.* 2. 18. 19.

QUIES *contingit populo Dei.*

Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. *Hebr.* 4. 9. 10.

QUIES. — *Quietem et pacem certam consequentur justi.*

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis — illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. *Sap.* 3. 1. *et seq.*

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius : quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. *Ibid.* 4. 1.

Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua. *Isa.* 57. 2. *V. et c.* 32. 17. 18.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. *Luc.* 16. 22.

Et audivi (ait Joannes) vocem de cœlo, dicentem mihi : Scribe : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. *Apoc.* 14. 13.

QUIES. — *Quietem invenire animæ suæ.*

Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea : et invenietis refrigerium animabus vestris. *Jer.* 6. 16.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11. 29.

R

RAPINA *damnatur.*

Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium. *Prov.* 21. 7.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Ibid.* 22. 16.

Væ qui prædaris : nonne et ipse prædaberis? etc. *Isa.* 33. 1. *V. et Ezech.* 22. 25.

RAPINA. — *Rapinæ et spoliationis exempla.*

Et depopulati sunt urbem (filii Jacob) in ultionem stupri. Oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus et in agris erant : parvulos quoque eorum et uxores duxerunt captivas. *Gen.* 34. 27. *et seq.*

Feceruntque filii Israel, sicut præceperat Moyses : et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis : et spoliaverunt Ægyptios. *Exod.* 12. 35. 36.

Egressusque est (rex) Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis — cunctasque urbes in tempore illo cepimus — non reliquimus in eis quidquam, etc. *Deut.* 2. 32. *et seq. V. et c.* 3. 7.

(Amalecitæ Siceleg, absente David, incenderant, ablata præda, quos David persequens occidit, recepta præda). 1. *Reg.* 30. 16. *et seq.* Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum tam de filiis, quam de filiabus, et de spoliis, et quæcumque rapuerant, omnia reduxit David, etc. *v.* 19. *V. et v.* 20. *Item* 2. *Reg.* 23. 10. 3. *Reg.* 21. 15. 1. *Par.* 10. 8. 2. *Par.* 14. 13. *et seq. c.* 20. 25. *c.* 28. 8.

Et protulit inde (Nabuchodonosor ex Jerusalem) omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ : et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini. 4. *Reg.* 24. 13. 1. *Mach.* 1. *v.* 3. 20. *et c.* 6. 12.

Igitur Achaz, spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit. 2. *Par.* 28. 21.

Per dies — triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israel. *Judith* 15. 13.

RATIO. — *Rationem Deo quisque pro se redditurus est.*

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matth.* 12. 36.

Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. *Ibid.* 18. 23.

Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis; et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris, etc. *Ibid.* 25. 31. *per totum caput.*

Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. *Rom.* 14. 12.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5. 10.

RATIO. — *Rationem spei nostræ cuilibet reddere parati esse debemus.*

Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe. 1. *Petr.* 3. 15.

REBELLIO. *V. et* **Seditio.**

REBELLIO. — *Rebellionis exempla.*

Dixitque Moyses ad eos (Israelitas) : Nullus relinquat ex eo (Manna) in mane. Qui non audierunt eum — et iratus est contra eos Moyses. *Exod.* 16. 19. 20. *V. et Num.* 14. 4. *et c.* 26. 9.

(Seditio Core, Dathan, et Abiron). *Num. c.* 16. *per totum. V. et exemplum,* 3. *Reg.* 11. 26. *et* 2. *Paral.* 13. 6. (de Jeroboam) *c.* 16. 9. (de Zambri). *c.* 20. 12. (de servis Benadad). 4. *Reg.* 17. 4. (de Osee). *c.* 18. 7. (de Ezechia). *c.* 24. 1. (de Joakim). . . .

RECIDIVATIO *socorditer committitur.*

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. *Prov.* 26. 11.

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! *Jer.* 2. 36.

Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico : prævaricatorem me constituo. *Gal.* 2. 18.

Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam domum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, etc. *Hebr.* 6. 4. *et seq. V. etiam c.* 10. 26.

Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus : melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum; et : Sus lota in volutabro luti. 2. *Petr.* 2. 20. *et seq. V. Matth.* 12. 45. *Luc.* 11. 26.

RECIDIVATIO. — *Graviter punitur.*

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam; et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *Eccli.* 2. 16.

Sed et si conversus justus a justitia sua

fuerit, et fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo — in peccato suo morietur, etc. *Ezech.* 3. 20.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem et non invenit. Tunc dicit : Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens, invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius prejora prioribus. *Matth.* 12. 43. *et seq.* *Item Luc.* 11. 24. *et seq.*

RECIDIVATIO. — *Salubriter relinquitur.*

Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, (ait Jesus ægroto ad piscinam sanato). *Joan.* 5. 14.

Vade, et jam amplius noli peccare (ait Jesus adulteræ). *Ibid.* 8. 11.

Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? *Rom.* 6. 2.

Evigilate, justi, et nolite peccare. 1. *Cor.* 15. 34.

RECONCILIATIO *cum Deo per Christum.*

Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem : sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. *Rom.* 5. 10. 11.

Omnia autem (sunt) ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum : et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 2. *Cor.* 5. 18. *et seq.*

(Placuit Deo per Christum) reconciliare omnia in ipsum, etc. *Coloss.* 1. 20. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, etc. *v.* 22.

RECONCILIATIO *cum fratre præcipitur.*

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro : et in carcerem mittaris. *Matth.* 5. 23. *et seq.*

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum : scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, etc. *Jac.* 5. 19. 20.

RECTA INTENTIO. *V.* **Intentio.**

REDEMPTIO *per Christum facta.*

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis. *Matth.* 20. 28. *V. Marc.* 10. 45.

Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu : quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. *Rom.* 3. 24. 25.

Qui (Christus) traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. *Ibid.* 4. 25.

Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est? *Ibid.* 5. 6. (Si cum adhuc essemus peccatores) Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis nunc justificati, in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. *v.* 9.

(Christus factus est nobis sapientia a Deo, et justificatio, et redemptio. 1. *Cor.* 1. 30.

In quo (Christo) habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Ephes.* 1. 7. *V. Coloss.* 1. 14.

Conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et exspectare Filium ejus de cœlis, quem suscitavit ex mortuis, Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura. 1. *Thess.* 1. 9. 10.

Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

(Christus) per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. *Hebr.* 9. 12. *V. et v.* 15. *et* 28.

Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis — sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, etc. 1. *Petr.* 1. 18. 19. *V. etc.* 3. 18.

REDEMPTIO. — *Redemptionis nostræ finis.*

Ut sine timore de manu inimicorum

nostrorum liberati, serviamus illi; in sanctitate, et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. *Luc.* 1. 74. 75.

(Deus) elegit nos in ipso (Christo) — ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, etc. *Ephes.* 1. 4.

(Christus) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? *Hebr.* 9. 13. 14.

REDEMPTIO. — *Redimere novit Deus suos multis modis ex angustia.*

(Lot Angelis hospitio susceptis, a Sodomitis vim patiens, cum uxore et utraque filia a Sodomitico ereptus incendio, uxorem in via amisit). *Gen. c.* 19. *per totum.*

(Pharao Israelem persequens, et mare per siccum post illum ingrediens, cum universo equitatu et curribus submergitur). *Exod. c.* 14.

Cumque intrasset (Jethro socer Moysis) tabernaculum, narravit Moyses cognato suo cuncta, quæ fecerat Dominus Pharaoni, et Ægyptiis propter Israel, universumque laborem, qui accidisset eis in itinere, et quod liberaverat eos Dominus. *Ibid.* 18. 7. 8.

(Vide quam multipliciter et varie et mirabiliter Deus liberaverit David ab ira Saul). 1. *Reg. c.* 16. 17. 18. *usque ad* 31. *et* 2. *Reg. c.* 22. *Item liberationem populi Israelitici in Libro Esther per totum. Item Psal.* 3. *et* 9. *et* 17.

Itaque cum vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt : Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes : at ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei; atque avertit eos ab illo. 2. *Par.* 18. 31.

Erubui enim (ait Esdras) petere a rege auxilium, et equites, qui defenderent nos ab inimico in via : quia dixeramus Regi : Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate : et imperium ejus, et fortitudo ejus, et furor super omnes, qui derelinquunt eum. 1. *Esdr.* 8. 22.

Quoniam tu es, Domine (inquit David), spes mea; altissimum posuisti refugium tuum. *Psal.* 90. 9. *V. totum Psalmum.*

Ne timeas, quia ego tecum sum : ne declines, quia ego Deus tuus : confortavi te, et auxiliatus sum tibi : et suscepit te dextera justi mei. *Isa.* 41. 10. *V. et versus sequentes.*

Noli timere (Israel), quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, etc. *Ibid.* 43. 1. 2. *per totum caput.*

Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit propere, et ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? etc. *Dan.* 3. 91.

Et Daniel regi respondens ait : Rex in æternum vive : Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me : sed et coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, et Danielem præcepit educi de lacu — et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. *Ibid.* 6. 21. *et seq.*

Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

REDEMPTIO. — *Redemptionis a peccatis ortus.*

Domine, adjutor meus, et redemptor meus. *Psal.* 18. 15.

Redemptionem misit (Dominus) populo suo. *Psal.* 110. 9.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. *Psal.* 129. 7. 8.

Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir : vocavi, et non erat qui audiret : numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possit redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? *Isa.* 50. 1. *V. et c.* 59. 1.

REDEMPTIO. — ... *modus.*

Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc dicit Dominus : Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. *Isa.* 52. 2.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, etc. *Apoc.* 5. 9.

REDEMPTIO. — ... *fructus.*

Gaudete, et laudate simul, deserta Jerusalem : quià consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem. *Isa.* 52. 9.

Qui (Christus) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, etc. *Tit.* 2. 14.

REGENERATIO *Dei opus est.*

Hæc dicit Dominus, faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus, etc. *Isa.* 44. 2. *V. et v.* 21. *et seq.*

(Qui credunt in nomine Dei), non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Joan.* 1. 13. *V. Ephes.* 1. 19.

Ipsius enim (Dei) sumus factura, creati in Christo Jesu, etc. *Ephes.* 2. 10.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, etc. 1. *Petr.* 1. 3. *V. et v.* 23.

REGENERATIO *interdum tamen ad commendationem ministerii hominibus tribuitur.*

Nam in Christo Jesu, per Evangelium ego vos genui, (inquit Paulus). 1. *Cor.* 4. 15.

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo. *Philem. v.* 10.

REGENERATIO *necessaria est.*

Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. *Joan.* 3. 5. *V. et v.* 3.

In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. *Galat.* 6. 15.

Ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. *Petr.* 2. 24.

REGENERATIO *est mutatio carnis in spiritum.*

Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi (Nicodeme), nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. *Joan.* 3. 5.

REGENERATIO..... *carnalium affectionum in spiritualem affectum.*

Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sapiunt. *Rom.* 8. 3. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *v.* 13.

REGENERATIO *infidelitatis in fidem.*

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Joan.* 1. 12.

Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. *Gal.* 3. 26.

Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. *Joan.* 5. 1.

REGENERATIO. — *Innovatio mentis per Spiritum Sanctum.*

Quoniam autem est filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater. *Gal.* 4. 6.

Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, etc. *Tit.* 3. 4. *et seq.*

REGENERATIO. — ... *atque adeo carnalis naturæ in divinam naturam.*

In quo (Christo) et circumcisi estis, circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, etc. *Coloss.* 2. 11. *V. et v.* 13.

Per quem (Jesum) maxima et pretiosa nobis promissa donavit (Deus) : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ : fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2. *Petr.* 1. 4.

REGENERATIO. — *Ut qui mali sumus, sanctificemur.*

Et hæc quidam fuistis (scilicet fornicarii, idolis servientes, etc.) : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 1. *Cor.* 6. 11. *V. Ephes.* 5. 8.

REGENERATIO. — *Regenerati interius, etiam exterius in novitate vitæ ambulemus.*

(In Christo baptizati sumus, ut mortui peccato, deinceps) in novitate vitæ ambulemus, (sicut Christus semel mortuus, ac

sepultus, ad novam vitam, non amplius moriturus, resurrexit, etc.) *Rom.* 6. 4. *per totum caput.*

Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. *Ibid.* 7. 6.

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. 1. *Cor.* 5. 7.

(Christiani) qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. 2. *Cor* 5. 15. *V.* 2. *Petr.* 4. 1. 2.

(Deponite) vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, etc. *Ephes.* 4. 22. *V. et versus sequentes. Item Hebr.* 12. 1. 1. *Petr.* 2. 12.

Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum. *Coloss.* 3. 9. 10.

REGNUM ET REGES. — *Vide et* **Superiores, et Principes, et Prælati.**

REGNUM. — *Rex justus, a Deo est, et regni stabilimentum.*

Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud. *Prov.* 21. 1.

Rex justus erigit terram. *Ibid.* 29. 4. *V. et v.* 14.

REGNUM. — *Reges quid facere, quidve fugere debeant.*

Postquam autem sederit (rex) in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt, etc. *Deut.* 17. 18. 19. *V. et v.* 20.

(Filiis Samuelis ad avaritiam declinantibus, petit populus sibi regem, cui Samuel jubente Domino, durum jus regis prædicit, sed non auditur). *Reg. c.* 8.

Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam. 3. *Reg.* 10. 9. *V.* 2. *Par.* 9. 8.

Constituitque (Josaphat) judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca, et præcipiens judicibus : Videte, ait, quid faciatis : non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit, etc. 2. *Par.* 19. 5. 6. *V. et versus sequentes.*

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job* 34. 30. *V. et v.* 18.

Et nunc, reges, intelligite : erudimini, qui judicatis terram. *Psal.* 2. 10. *V. Psal.* 100. *per totum.*

In multitudine populi dignitas regis : et in paucitate plebis ignominia principis. *Prov.* 14. 28.

Sicut fremitus leonis, ita et regis ira : et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus. *Ibid.* 19. 12.

Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. *Ibid.* 20. 8. Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem. *v.* 26. *V. et v.* 28.

Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. *Ibid.* 28. 15.

Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam. *Ibid.* 29. 4. Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. *v.* 14. *V. et v.* 12. *Item Isa.* 33. 8.

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas : et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis, etc. *Ibid.* 31. 4. 5.

(Reges et Judices ad sapientiam et justitiam sectandam exhortatur Sapiens, ostendens quam grave maneat injustis rectoribus supplicium, etc.) *Sap. c.* 6. *per totum. Item c.* 9. *per totum. V. et c.* 1. 1. *Item Eccli.* 10. 1. *et seq.*

Audi verbum Domini, rex Juda, qui sedes super solium David : tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per portas istas. Hæc dicit Dominus : Facite judicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris, etc. *Jer.* 22 2. 3. *V. et versus sequentes.*

REGNUM. — *Reges ac principes religionis curam suscipere debent.*

Surrexitque David, et abiit, et universus populus — ut adducerent arcam

Dei, etc. 2. *Reg.* 6. 2. *V. et* 1. *Paral.* 13. 5. *et seq.*

(David proponit ædificare domum Domino; sed a Domino prohibetur, et filius ei promittitur illam ædificaturus). *Ibid.* *c.* 7. *V. et* 1. *Paral. c.* 17.

(Pius rex Josaphat mittit Doctores legis Dei per universum Judam). 2. *Par.* *c.* 17.

Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem : rursumque egressus est ad populum — et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum. *Ibid.* 19. 4. *V. et versus sequentes.*

(Ezechias abolitum Dei cultum, aperto templo, restitutisque Sacerdotibus, Levitis, et cantoribus, instaurat; oblatis plurimis holocaustis et sacrificiis cum ingenti lætitia). *Ibid. c.* 29. *V. et c* 30. *et* 31.

REGNUM. — *Regum ac Principum vitia non sunt dissimulanda.*

(Dixit Elias ad regem Achab) : Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. 3. *Reg.* 18. 18. *Simile vide* 4. *Reg.* 13. 14. (de Eliseo).

Dicebat enim illi Joannes (regi Herodi) : Non licet tibi habere eam (scil. uxorem fratris tui) : *Matth.* 14. 4. *Item Marc.* 6. 18. *Luc.* 3. 19.

REGNUM *Christi dicitur gloria illa, quæ in Christo post resurrectionem eluxit.*

Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. *Matth.* 16. 28. *Item Marc.* 8. 39. *Luc.* 9. 27.

REGNUM *Dei potentiæ.*

Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria : et tibi laus : cuncta enim, quæ in cœlo sunt, et in terra, tua sunt; tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. Tuæ divitiæ, et tua est gloria : tu dominaris omnium : in manu tua virtus et potentia : in manu tua magnitudo, et imperium omnium, etc. 1. *Par.* 29. 11. 12.

Quoniam Domini est regnum : et ipse dominabitur Gentium. *Psal.* 21. 29. *per totum.*

Dominus in cœlo paravit sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur. *Psal.* 102. 19.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua — Gloriam regni tui dicent : et potentiam tuam loquentur : ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam : et gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem. *Psal.* 144. 10. *et seq.*

Potestas ejus (Dei) potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt : juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti? *Dan.* 4. 31. *V. similia c.* 3. 100. *c.* 6. 26. *c.* 7. 14.

REGNUM *gratiæ.*

Et circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. *Matth.* 9. 35.

Quia vobis (inquit Christus ad discipulos) datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. *Ibid.* 13. 11. *Item Marc.* 4. 11. *Luc.* 8. 10.

Non est enim regnum Dei esca et potus : sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. *Rom.* 14. 17.

Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 1. *Cor.* 4. 20.

Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. *Coloss.* 4. 11.

REGNUM *gloriæ.*

Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5. 3. *Item Luc.* 6. 20.

Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. *Ibid.* 13. 43.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *Ibid.* 25. 34.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Act.* 14. 21.

An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? etc. 1. *Cor.* *V. et v.* 10.

Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit. *Ibid.* 15. 50.

Liberavit me Dominus ab omni opere malo : et salvum faciet in regnum suum cœleste. 2. *Tim.* 4. 18.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis — Sic enim abundanter ministrabitur

vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, etc. 2. *Petr.* 1. 10.

Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus : quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos — Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. *Apoc.* 12. 10. *et seq.*

REGNUM CŒLORUM. — *Ecclesia Dei post Christi plenam manifestationem sub Evangelio.*

Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5. 19.

Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. *Ibid.* 18. 4. *V. et c.* 19. 14.

REGNUM CŒLORUM. — *Pro publica Evangelii prædicatione.*

Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, etc. *Matth.* 13. 24. *V. et v.* 31. 33. 44. 45. 47. *et* 52. *Item Marc.* 1. 14. *et c.* 4. 26.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Ibid.* 20. 1. *V. Luc.* 9. 2.

REGNUM CŒLORUM. — *Pro Ecclesiæ renovatione.*

Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. *Matth.* 3. 2. *Item c.* 4. 17. *Marc.* 1. 15.

Euntes autem prædicare, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date, etc. *Ibid.* 10. 7. 8. *V. c.* 22. 2. *et c.* 25. 1. *Item Luc.* 10. 9. 11.

REGNUM DEI *vim patitur.*

A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Matth.* 11. 12.

Lex et prophetæ, usque ad Joannem; ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. *Luc.* 16. 16.

Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. *Apoc.* 21. 7. *V. c.* 2. *et c.* 3.

REGNUM DEI *spirituale internum et externum.*

Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. *Gen.* 49. 10. *V. Mich.* 5. 2. *Item Matth.* 2. 6.

Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope : orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel : et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* 24. 17.

Dominum formidabunt adversarii ejus : et super ipsos in cœlis tonabit : Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. 1. *Reg.* 2. 10.

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus. *Psal.* 2. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. *v.* 6.

Dominus in æternum permanet. Paravit in judicio thronum suum, etc. *Psal.* 9. 8.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. *Psal.* 21. 28. 29. *V. Psal.* 71. *per totum*, *et Psal.* 109. *item per totum.*

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ; virga directionis virga regni tui. *Psal.* 44. 7.

Gloriam regni tui (Domine, Sancti tui) dicent : et potentiam tuam loquentur. *Psal.* 144. 11. *V. et v.* 12. 13.

Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. *Isa.* 9. 6. *V. et v.* 7. *Item c.* 32. 1.

(Vaticinatur Christi nativitas, judicium, exaltatio, conversio populorum, et gentium ad Christum, et gloria sepulcri ejus : item conversio reliquiarum Israel ad Deum, ac fides gentium). *Ibid. c.* 11.

Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeru-

salem : exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester, etc. *Ibid.* 40. 9. *V. et v.* 10. *Item c.* 42. 1. *et seq. Jerem.* 33. 15. 16.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter : et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus noster. *Jerem.* 23. 5. *Item c.* 33. 14. *et seq. V. Dan.* 9. 24. *Oseæ* 3. 5.

Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David : ipse pascet eas, et ipse erit in pastorem. *Ezech.* 34. 23. *V. c.* 37. 24.

In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem, et consumet universa regna hæc : et ipsum stabit in æternum. *Dan.* 2. 44.

Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur. *Ibid.* 7. 14. Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi : cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. *v.* 27. *V.* 3. 100. *c.* 4. 31. *Luc.* 1. 32.

Et erit : in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles : et fluent ad eum populi, etc. *Micheæ* 4. 1. *V. et c.* 5. 2. *Item Isa.* 2. 2. *et seq.*

Exulta satis, filia Sion, jubila, filia, Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. *Zach.* 9. 9. *V. et v.* 10. *Item Matth.* 21. 5. *Joan.* 12. 15.

Adveniat regnum tuum. *Matth.* 6. 10. *Item Luc.* 6. 2.

Et ingressus Angelus ad eam (Mariam), dixit : Ave, gratia plena : Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28.

Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. *Ibid.* 12. 31 32. *V. et c.* 22. 29 *Item Matth.* 6. 33.

Ecce enim regnum Dei intra vos est. *Ibid.* 17. 21. *V. Joan.* 6. 15.

Respondit Jesus (Pilato) : Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. *Joan.* 18. 36. *V. et v.* 37.

Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 1. *Cor.* 4. 20.

Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. 1. *Tim.* 1. 17.

Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. *Hebr.* 1. 8. *V. c.* 2. 9.

REGNUM DEI *percipitur.*

Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, etc. *Matth.* 6. 33. *Item Luc.* 12. 31.

A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Ibid.* 11. 12. *Item Luc.* 16. 16.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias — Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. *Ibid.* 20. 1. 2.

Calicem quidem meum bibetis (ait Jesus filiis Zebedæi) : sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. *Ibid. v.* 23. *Item Marc.* 10. 39. 40.

Qui (Deus) eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ : in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Coloss.* 1. 15. 14.

Nam si commortui sumus, et convivemus : si sustinebimus, et conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

REGNUM DEI *negligitur.*

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii autem ejicientur in tenebras exteriores. *Matth.* 8. 11. 12.

Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem, et meretrices crediderunt ei. etc. *Ibid.* 21. 31. 32.

Simile factum est regnum cœlorum ho-

mini regi, qui fecit nuptias filio suo. *Ibid.* 22. 2. Intravit autem rex, etc. *v.* 11.

Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, etc. *Ibid.* 25. 1.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare, etc. *Luc.* 14. 16. *et seq.*

An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. 10.

REGNUM DEI *stabilitur.*

In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, etc. *Dan.* 2. 44. *V. totum versum.*

Et dabit illi (Christo) Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni non erit finis. *Luc.* 1. 32. 33.

REGNUM TERRENUM *consilio firmatur.*

Ab uno sensato inhabitabitur patria; tribus impiorum deseretur. *Eccli.* 16. 5.

Et ipse (Deus) mutat tempora, et ætates : transfert regna, atque constituit. *Dan.* 2. 21.

REGNUM... *peccato dissipatur.*

Rex insipiens perdet populum suum : et civitates inhabitabuntur per sensum potentium (scil. prudentium). *Eccli.* 10. 3. Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. *v.* 8. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra, etc. *v.* 16. *et seq.*

Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt, confidentes suæ virtuti : et non pepercit peregrinationi Lot (sed percussit eos), et execratus est eos præ superbia verbi illorum. Non misertus est illis, gentem totam perdens, et extollentem se in peccatis suis. *Ibid.* 16. 8. *et seq.*

Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, etc. *Isa.* 24. 1. Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur. *v.* 3. Quia (habitatores ejus) transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, etc. *v.* 5. 6. *et seq.* Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur, quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. *v.* 19. 20. *V. totum caput.*

Et erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis. Et cessabit Moab esse populus : quoniam contra Dominum gloriatus est. *Jerem.* 48. 41. 42. *V. totum caput. Item c.* 49. *per totum.*

Illaqueavi te, et capta es, Babylon, et nesciebas : inventa es et apprehensa : quoniam Dominum provocasti. *Ibid.* 50. 24. Consistite adversus eam per gyrum, et nullus evadat : reddite ei secundum opus suum : juxta omnia quæ fecit, facite illi : quia contra Dominum erecta est, adversum Sanctum Israel. *v.* 29. *V. totum Caput, totumque c.* 51.

Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ. *Amos.* 9. 8.

REGNUM. — *Regna et imperia omnia in manu Dei sunt.*

(Reprobato a Deo Saul, David inter fratres minimus in regem ungitur). 1. *Reg.* *c.* 16.

(Dixit Ahias propheta ad Jeroboam) : Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus, etc. 3. *Reg.* 11. 31. *V. et v.* 35.

(Deus) interfecit (Saul), et transtulit regnum ejus ad David filium Isai. I. *Par.* 10. 14.

(Deus) balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum. *Job* 12. 18. *V. et versus sequentes. Item c.* 34. 18. *et* 30.

(Regnum Juda transfertur in Nabuchodonosor, uti dicit Deus), *Jerem.* 27. 6. Ego dedi omnes terras istas in manu

Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei, etc.

(Deus) mutat tempora et ætates : transfert regna, atque constituit. *Dan.* 2. 21.

Cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum ; et cuicumque voluerit, dabit illud, et humillimum hominum constituet super eum. *Ibid.* 4. 14. *V. et v.* 22. *et* 29. *Item c.* 5. 21.

Vox de cœlo ruit : Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : Regnum tuum transibit a te. *Ibid.* 4. 28.

(Regnum Balthassaris transfert Deus ad Darium Medum). *Ibid.* 5. 31.

(De quatuor regnis mundi). *Ibid. c.* 7. *per totum. V. et c.* 8. *de aliis regibus.*

RELAPSUS. *in peccatum. V.* **Peccatum, et Recidivatio.**

RELIGIO *Christiana. V.* **Fides.**

RELINQUERE. — *Relinquentes omnia propter Christum, centuplum accipient.*

Dicit illi (Jesu) adolescens : Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. *Matth.* 19. 20. *Item Marc.* 10. 21. *Luc.* 18. 22.

Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis. Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam. *Marc.* 10. 29. 30. *Item Matth.* 19. 29. *Luc.* 18. 29. 30.

RELIQUIÆ *Sanctorum, et aliæ res sanctæ sunt venerandæ.*

Solve calceamentum (ait Deus ad Moysen) de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Exod.* 3. 5. Idem injungitur Josue) *cap.* 5. 16.

(Moyses discessurus ex Ægypto, honorifice transtulit ossa Patriarchæ Joseph). *Ibid.* 13. 19.

(Sic Deus ipse sepelivit corpus Moysi). *Deut.* 34. 6.

Adorate scabellum pedum ejus (Dei) : quoniam sanctum est. *Psal.* 98. 5.

RELIQUIÆ *et vestes Sanctorum quam vim a Deo habeant, quidque per eas operetur Deus. Ut per Arcam.*

(Siccatum Dei miraculo Jordanem, præeunte arca, populus transit). *Josue* 3. 16. 17.

(Post varios septem dierum circuitus cum arca, Jericho omnes muri corruunt, et urbs hæc miraculo capta deletur). *Ibid.* 6. 12. *et seq. V. et* 1. *Reg.* 5. 9.

Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus : et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum ejus. Nuntiatumque est regi David, quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus, propter arcam Dei (in ipsius domo commorantem). 2. *Reg.* 6. 11. 12. *et c.* 6. 19.

(E contra Oza a Domino occisus est, quia arcam temere tetigerat). *Ibid. v.* 6, 7. *Item* 1. *Paral.* 13. 9. 10.

RELIQUIÆ. — ... *per pallium Eliæ.*

(Eliseus individuus Eliæ comes, Jordanem, aqua Eliæ pallio divisa, cum illo transit. Elia autem in cœlum igneo curru rapto, duplicem illius spiritum accipit : ac pallio Eliæ rursum Jordanis aquas dividit, etc). 4. *Reg. c.* 2. Percussitque aquas (Eliseus pallio Eliæ), et divisæ sunt huc atque illuc (aquæ) et transiit Eliseus. *v.* 14.

RELIQUIÆ. — ... *per ossa Elisæi.*

Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcrum Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. 4. *Reg.* 13. 21.

Et mortuum prophetavit corpus ejus (Elisei). In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. *Eccli.* 48. 14. 15.

RELIQUIÆ. — ... *per fimbriam Christi.*

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus (Jesu). Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. *Matth.* 9. 20. 21. *Item Marc.* 5. 25. *et seq.*

Et rogabant eum (Jesum infirmi), ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. *Ibid.* 14. 36. *V. Marc.* 6. 56.

Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam,

nec ab ullo potuit curari : (hæc) accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus (Jesu) : et confestim stetit fluxus sanguinis ejus, (et sanata fuit). *Luc.* 8. 43. 44.

RELIQUIÆ. — *... per umbram Petri.*

Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe — ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur (omnes) ab infirmitatibus suis. *Act.* 5. 12. 15.

RELIQUIÆ. — *... per sudaria Pauli.*

Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Act.* 19. 11. 12.

REMISSIO *peccatorum, de qua certi esse non possumus. V.* **Peccatum.** *Item :* **Certi non sumus, etc.**

REMISSIO. — *Remittendum proximo in nos peccanti.*

Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo (tuo). *Eccli.* 28. 8.

Ego autem dico vobis quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis, etc. *Matth.* 5. 22.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Ibid.* 6. 12. *V. Luc.* 11. 4.

Dicit illi Jesus (Petro petenti quoties condonandum esset fratri suo in illum peccanti) : Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies. *Ibid.* 18. 22. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. *v.* 35.

Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me : dimitte illi. *Luc.* 17. 3. 4. *V. Matth.* 18. 15.

Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Ephes.* 4. 32.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera isericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, et ita et vos. *Coloss.* 3. 12. 13.

REPUDIUM. — *Repudii libellus.*

Si acceperit homo uxorem : et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem : scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua, etc. *Deut.* 24. 1. *V. Matth.* 5. 31. *et c.* 19. 7. *Item Marc.* 10. 4.

Hæc dicit Dominus : Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. *Isa.* 50. 1. *V. Jerem.* 3. 8.

Cum odio habueris (scilicet uxorem tuam), dimitte, dicit Dominus Deus Israel : operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 2. 16.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Matth.* 5. 29. *V. et v.* 30. *et c.* 18. 8. 9. *Item Marc.* 9. 42. 44. 46.

RESIGNATIO *in divinam voluntatem.*

(Fratres Joseph ob illatam fratri injuriam sibi timentes, deprecabantur eum, ut hanc illis condonaret). Quibus ille respondit : Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum, etc. *Gen.* 50. 19. 20. *V. c.* 45. 5. 8.

(Cum Samuel Heli sacerdoti statutam Dei pœnam ob malam educationem filiorum indicasset, respondit (Heli) : Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. *Reg.* 3. 18.

(David, cum in persecutione filii sui Absalonis de Jerusalem fugere coactus fuisset, dixit ad Sadoc sacerdotem) : Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me — Sin autem dixerit mihi : Non places : præsto sum, faciat quod bonum est coram se. 2. *Reg.* 15. 25.

(Tobias, cum) parentes et cognati ejus irridebant viam ejus, dicentes : Ubi est spes tua? etc. increpabat eos, dicens :

Nolite ita loqui : quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2. 15. *et seq.*

(Idem Tobias, in omnibus sibi illatis injuriis, convertit se ad Deum, dicens) : Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum. *Ibid.* 3. 6. *V. et versus præcedentes.*

(Job ad omnia mala sibi illata nihil aliud respondit, quam hoc) : Dominus abstulit : sicut, Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. *Job* 1. 21.

(Judas Machabæus suos adhortatus vel ad victoriam, vel ad gloriosam mortem in bello contra hostes suscipiendam, adjunxit) : Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. *Mach.* 3. 60.

(Judæi in Jerosolymis scribunt Judæis in Ægypto) : Et det vobis (Deus) cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem, corde magno, et animo volenti. 2. *Mach.* 1. 3.

(Christus ad aspectum amari calicis suæ passionis, ita orabat ad Patrem) : Pater, si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. *Luc.* 22. 42. *Item Matth.* 26. 39. *Marc.* 14. 36.

(Idem Christus Dominus per totam vitam suam opere ipso comprobavit testimonium, quod de se ipso dedit) : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. *Joan.* 4. 34.

(Deus hoc testimonium perhibuit David regi) : Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. *Act.* 13. 12. *V.* 1. *Reg.* 13. 14.

(Paulus de Christo Domino affirmat) : Ideo ingrediens mundum dicit — Ecce venio : in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. *Hebr.* 10. 5. 7. *et* 9. *V. Psal.* 39. 8. 9.

RESPECTUS *humanus.*

(Aaron, summus sacerdos, cum ab eo populus postulasset, ut Deum illis faceret, ex mero respectu humano ejus iniquissimis postulatis annuit, et formavit vitulum aureum, quem Israelitæ adoraverunt). *Exod.* 32. 1. *et seq.*

(David non cessavit saltare coram arca, etiamsi irrideretur a Michol conjuge sua). 2. *Reg.* 6. 16. *Item* 1. *Paral.* 15. 29.

(Salomon, ut placeret uxoribus et concubinis suis idolatris, errexit templa et statuas idolorum, eisque ipsemet thus adolevit, et sacrificia obtulit). 3. *Reg.* 11. 4. *et seq.*

(Tobias), cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium (seposito omni humano respectu), sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Israel, etc. *Tob.* 1. 5. 6.

(Daniel non curat edictum regis, quo cultus veri Dei prohibebatur, sed pergit, etiam fenestris apertis, ut ab omnibus conspici posset, adorare Dominum Deum suum, sicut antea). *Dan.* 6. 10. 13.

(Herodes jussit amputari caput Joannis, ut non contristaret filiam suam saltatricem). *Marc.* 6. 26. *Item Matth.* 14. 9.

Nemo tamen palam loquebatur de illo (Christo) propter metum Judæorum, (licet multi eum agnoverint pro magno Propheta, et vero Messia). *Joan.* 7. 13.

(Cæcus natus a Christo sanatus palam confitetur Christum, et miraculum ab eo patratum, licet jam conspirassent) Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret, (et licet ipsum excommunicaverint. Non vero sic faciebant parentes ejus, qui) timebant Judæos. *Ibid c.* 9. *per totum.*

(Pontifices et Pharisæi conspirant in necem Christi, dicentes) : Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. *Ibid.* 11. 48.

(Pilatus, licet agnoverit innocentiam Christi, consensit tamen in ejus mortem, statim ac audivit) : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. *Ibid.* 19. 12.

(Apostoli libere prædicant Christum et ejus doctrinam; advocati autem in concilium, et propterea objurgati, respondent) : Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. *Act.* 5. 29. *V. et c.* 4. 19. 20.

(Herodes, postquam) occidit — Jacobum fratrem Joannis gladio : videns — quia placeret Judæis, opposuit, ut apprehenderet et Petrum. *Ibid.* 12. 2. 3.

Volens autem gratiam præstare Judæis Felix (præses Judææ), reliquit Paulum vinctum ; (licet agnoverit eum esse innocentem). *Ibid.* 24. 27.

RESURRECTIO *generalis prædicitur, et certissima est.*

Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius : reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Job.* 19. 25. *et seq.*

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, etc. *Isa.* 26. 19.

Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt. *Ibid.* 66. 14.

(Vidit Propheta campum plenum ossibus). *Ezech.* 57. 1. *et seq.* Et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper. *v.* 7. Et ingressus est in ea spiritus et vixerunt : steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. *v.* 10.

Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. *Dan.* 12. 2.

In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. *Matth.* 22. 30. *et seq. V. Marc.* 12. 25. 26. *Luc.* 20. 35. *et seq.*

Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. *Luc.* 14. 14.

Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28. 29.

Hæc est autem (ait Jesus) voluntas Patris mei, qui misit me : ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. *Ibid.* 6. 40. *V. et v.* 44. *et* 55.

(Dicit Jesus ad Martham) : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. *Ibid.* 11. 23. 24. *V. et v.* 25.

(Inquit Paulus) : Spem habens in Deum, quam et hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum et iniquorum. *Act.* 24. 15. *V. et v.* 21. *Item c.* 17. 32.

Si autem Christus prædicatur, quod ressurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? 1. *Cor.* 15. 12. *V. totum caput de hæc materia egregie tractans.*

Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. *Philipp.* 3. 11.

Hoc autem vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. 1. *Thess.* 4. 14. *et seq.*

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, etc. *Apoc.* 20. 12. *V. et v.* 6.

RESURRECTIO *specialis, sive resuscitatorum exempla.*

(Raptus Henoch in paradisum, est certissimum et infallibile resurrectionis argumentum). *Gen.* 5. 24. *V. Eccli.* 44. 16. *Hebr.* 11. 5.

(Item raptus Eliæ curru igneo per turbinem). 4. *Reg.* 2. 11. *V. Eccli.* 48 13. *Item* 1. *Mach.* 2. 58.

(Filius viduæ Sarephtanæ oratione Eliæ resuscitatur). 3. *Reg.* 17. 22.

(Item filius Sunamitidis oratione Elisei). 4. *Reg.* 4. 33 *et seq.*

(Injectus quidam mortuus in sepulcrum Elisei, ad contactum ossium ejus resuscitatur). *Ibid.* 13. 21.

(Exercitus grandis nimis et campus plenus ossium resuscitantur). *Ezech.* 37. 1. *et* 10.

(Filia Jairi mortua a Christo resuscitata). *Matth.* 9. 25. *Item Marc.* 5. 41. 42. *Luc.* 8. 54 55.

(Passionis Christi tempore multi resuscitati). *Ibid.* 27. 52.

(Item filius viduæ in Naim). *Luc.* 7. 14. 15.

(Item Lazarus quatriduanus in sepulcro ressuscitatus). *Joan.* 11. 43. 44.

(Tabitha Joppensis mortua a Petro excitata). *Act.* 9. 40.

(Item Eutychus a Paulo excitatus) *Ibid.* 20. 10.

RESURRECTIO *Christi. V.* **Christus.**

RESURRECTIO *mortuorum, et carnis ad gloriam facta mutatio.*

Ego sum Deus patris tui (ait Deus ad Moysen), Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum. *Exod.* 3. 6.

Et resuscitabo mortuos de locis suis, et de monumentis educam illos, quoniam cognovi nomen meum in Israel. 4. *Esdr.* 2. 16. *V. et v.* 23. 35. *et* 45.

Judicium enim post mortem veniet, quando iterum reviviscemus : et tunc justorum nomina parebunt, et impiorum facta ostendentur. *Ibid.* 14. 35.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei? *Job* 14. 13.

Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, etc. *Ibid.* 19. 26.

Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. *Ibid.* 21. 30.

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere : quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. *Isa.* 26. 19. *V. c.* 66. 14. *Dan.* 12. 3. 12.

Et dixit (Dominus) ad me : Vaticinare ad spiritum, vaticinare, fili hominis, et dices ad spiritum : Hæc dicit Dominus Deus : A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. *Ezech.* 37. 9.

Et dixit Dominus pisci : et evomuit Jonam in aridam. *Jonæ* 2. 11. *V. Sophon.* 3. 8.

Et in ultimo spiritu constitutus (secundus ex septem fratribus Machabæis), sic ait : Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis : sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 2. *Mach.* 7. 9. Et cum jam esset ad mortem (quartus), sic ait : Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos : tibi enim resurrectio ad vitam non erit. *v.* 14. (Deus) spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam (ait invicta eorum mater). *v.* 23.

In illo die accesserunt ad eum (Jesum) Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem : et interrogaverunt eum, dicentes, etc. *Matth.* 22. 23. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo, dicente vobis (*Exod.* 3. 6.) : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. *v.* 31. 32. *Item Marc.* 12. 18. 26. *et* 27. *Luc.* 20. 27. 37. *et* 30. *Act.* 23. 8.

Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivificat. *Joan.* 5. 21. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent, etc. *v.* 28. 29. *V. v.* 25.

Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris : ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Ibid.* 6. 39. *V. et v.* 40. 44. 44. *Item Act.* 24. 15.

Scio, quia resurget (frater meus, ait Martha ad Jesum) in resurrectione in novissimo die. *Ibid.* 11. 24. *V. et v.* 25.

(Christum docet Paulus a mortuis resurrexisse, et nostram astruit resurrectionem secundum animam et corpus). 1. *Cor. c.* 15. *per totum.*

Qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit. 2. *Cor.* 4. 14.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. *Ibid.* 5. 1.

Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. *Coloss.* 3. 4.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. 1. *Thess.* 4. 12. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. *v.* 15. *V. Philipp.* 3. 31. *Coloss.* 3. 4. *et* 2. *Tim.* 2. 11.

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. *Apoc.* 20. 12.

RESURRECTIO *divina potentia consummatur.*

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, etc. *Isa.* 26. 19.

Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus: et inducam vos in terram Israel, etc. *Ezech.* 37. 12. *V. et v.* 13. *et* 14.

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. *Joan.* 5. 28. 29. *V. Dan.* 12. 2. *Item Matth.* 25. 46.

Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me Patris : ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Ibid.* 6. 39. *V. v.* 40. 44. 55.

Ego sum (ait Jesus) resurrectio, et vita, etc. *Ibid.* 11. 25.

Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis : qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Rom.* 8. 11.

Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium : quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. 1. *Cor.* 15. 20. *et seq. V. totum Caput.*

Scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum. 2. *Cor.* 4. 14.

Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit : ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo, etc. 1. *Thess.* 4. 13. *V. et versus sequentes.*

RESURRECTIO *pro meritorum conditione variatur.*

Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan.* 12. 2. 3. *V. Matth.* 25. 46. *Item Joan.* 5. 29.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus : simul et resurrectionis erimus. *Rom.* 6. 5.

Sed dicet aliquis : Quomodo resurgent mortui? qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur, etc. 1. *Cor.* 15. 35. 36. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. *v.* 41. 42. *V. et versus seq.*

Nostra autem conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia. *Philipp.* 3. 20. 21.

Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. *Coloss.* 3. 4.

Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei (Deo) erimus : quoniam videbimus eum sicuti est. 1. *Joan.* 3. 2.

REVELATIONES. *V. et* **Apparitiones.**

Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum : et ait : Noster es, an adversariorum? etc. *Josue* 5. 13. *V. Exod.* 3. 2. *et seq. et Act.* 7. 30. *et seq.*

Contingit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis quasi cohortes armatos, etc. 2. *Mach.* 5. 2. *V. et v.* 3. *Item c.* 3. 25. 26. 33. *et* 34.

Sed cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes. etc. *Ibid.* 10. 29 *V. et v.* 30.

Cumque pariter prompto animo procederent (Judas Machabæus cum sociis), Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. *Ibid.* 11. 8. *V. c.* 15. 12. *et seq.*

REVERENTIA. *V.* **Honor.**

REX. *V.* **Regnum.**

RIXÆ. *V.* **Discordia.**

ROBUSTORUM *exempla.*

(Nemrod) cœpit esse potens in terra. Et erat robustus venator coram Domino. Ob hoc, etc. *Gen.* 10. 8.

Sed percusserunt (Israelitæ) Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros : nullus eorum evadere potuit. *Judic.* 3. 29.

(V. de fortitudinem Samsonis). *Ibid. c.* 14. 15. *et* 16.

Et sic factum est, ut omnes, qui ceci-

derant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. *Ibid.* 20. 46.

(Cis pater Saulis erat) fortis robore. 1. *Reg.* 9. 1.

Et respondens unus de pueris, ait (Saul) : Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum — et Dominus est cum eo. *Ibid.* 16. 18.

Dixitque David ad Saul : Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis : et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum : et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus, (cur non et Goliath in fortitudine Dei)? *Ibid.* 17. 34. *et seq. V. Eccli.* 47. 3. *et seq.*

(Sic et David robustum Goliath devicit). *Ibid. v.* 49. *et seq.*

(Vide illustrem catalogum et notabilem virorum valde fortium et eximie robustorum). 2. *Reg.* 23. 8. *et seq. Item* 1. *Paral.* 11. 10. *et seq.* 2. *Mach.* 12. 27.

Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum. 1. *Par.* 8. 40. *V. et c.* 9. 13.

Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam : facies eorum quasi leonis, et veloces quasi capreæ in montibus. *Ibid.* 12. 8. *V. v.* 21. 25. *et* 30.

S

SABBATUM. *V.* **Festum Sabbati.**

SACERDOS. — *Sacerdotum officia.*

Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 29. 44. *V. totum Caput. V. et Lev. c.* 8. *per tot.*

Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane, etc. *Ibid.* 30. 7. *V. totum Caput.*

Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum : quod eis præceptum non erat. *Lev.* 10. 1. Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus : Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. *v.* 6. Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini : quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. *v.* 9. *V. et v.* 12. *et seq.*

Dixit quoque Dominus ad Moysen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos : Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, etc. *Ibid.* 21. 1. Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt, etc *v.* 6. Sint ergo sancti (Sacerdotes), quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos, etc. *v.* 8. *per totum caput V. et totum caput* 22.

Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, et lucidum ad concinnandas lucernas jugiter, extra velum testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespere usque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris. *Ibid.* 24 2. *et seq.*

Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. *Num.* 3. 10. *V. c.* 4. *per tot.*

Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis : eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. *Ibid.* 10. 8.

Dixitque Dominus ad Aaron : Tu et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarii : et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri, etc. *Ibid.* 18. 1. *et seq.* Tu autem et filii tui custodite sacerdotium vestrum: et omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur, si quis externus accesserit, occidatur. *v.* 7. *V. totum Caput.*

Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum, omne negotium, et quidquid mundum vel immundum est, judicetur. *Deut.* 21. 5. *V. et c.* 20. 2.

Et elegi eum (patrem Heli) ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, adoleret mihi incensum, et portaret Ephod coram me : et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. 1. *Reg.* 2. 28. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, et animam meam faciet : et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. *v.* 35.

Aaron vero et filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum : et ut precarentur pro Israel; juxta omnia, quæ præceperat Moyses servus Dei. 1. *Par.* 6. 49.

Statimque ingressus post eum (Oziam) Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt : Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium : egredere de sanctuario, ne contempseris : quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque Ozias, tenens in manum thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. Cumque respexisset eum Azarias pontifex et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. 2. *Par.* 26. 17. *et seq. V. c.* 31. 2.

Sacerdotes autem et Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi ; et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, et custodiant cæremonias meas. *Ezech.* 44. 15. 16. *V. reliquum Capitis.*

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

(Christus) in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, clamore valido et lacrymis offerens. exauditus est pro sua reverentia, etc. *Hebr.* 5. 7. *V. et v.* 1. *et seq.*

Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata : hic autem (Christus) unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. *Ibid.* 10. 11. 12. *V. c.* 8. 3.

SACERDOS. — *Sacerdotum debita sustentatio.*

Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, et cedet in partem tuam. *Exod.* 29. 26. *V. et versus sequentes.*

Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. *Lev.* 2. 3. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron, et filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. *v.* 10. *V. c.* 5. 13. *Item Eccli.* 7. 34.

Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum Sanctorum est. *Ibid.* 7. 6. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis, cedet in primitias sacerdotis. *v.* 32. *V. totum Caput. Item c.* 10. 15. *et c.* 24. 9.

Dabisque pecuniam Aaron et filiis ejus, pretium eorum, qui supra sunt. *Num.* 3. 48. *V. c.* 18. *per tot. Item* 1. *Reg.* 2. 28.

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent : et quidquid in Sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. *Ibid.* 5. 9. 10.

Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent, et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum : Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. *Deut.* 18. 1. 2. *et seq. V. et c.* 12. 19.

Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat. 4. *Reg.* 12. 16.

Præcepit etiam (Ezechias) populo habitantium Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus, et Levitis, ut possent vacare legi Domini. 2. *Par.* 31. 4. *V. et v.* 19. *Item* 1. *Par.* 6. 64. 1. *Mach.* 10. 42.

Et primitiva filiorum nostrorum, et pecorum nostrorum, sicut scriptum est

in lege, et primitiva boum nostrorum, et ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, (afferemus) sacerdotibus, qui ministrant in domo Dei nostri, etc. 2. *Esdr*. 10. 36. *V. et v*. 37.

Et addidit (Deus) Aaron gloriam, et dedit illi hæreditatem, et primitias frugum terræ divisit illi. Panem ipsis in primis paravit in satietatem : nam et sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, et semini ejus. *Eccli*. 45. 25. 26. *V*. 1. *Cor*. 9. 13.

SACERDOS. — *Sacerdotes et ministri domus Dei nullum vectigal et tributum dare debent.*

Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et janitoribus, Nathinæis, et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos. 1. *Esdr*. 7. 24.

In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit : et ministros ejus ne derelinquas. *Eccli*. 7. 32. *V. et versus sequentes*.

SACERDOS. — *Sacerdotum legis indumenta, ornamenta et ordinatio.*

(Describuntur pontificalia indumenta Aaronis, et filiorum ejus). *Exod*. *c*. 28. *Item c*. 39.

Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur (Aaron et filii ejus). Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos, panesque azymos, et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, etc. *Ibid*. 29. 1. *et seq*. Et oleum unctionis fundes super caput ejus (Aaronis) : atque hoc ritu consecrabitur. *v*. 7. *V. totum caput*.

Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. *Ibid*. 40. 12.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, et unctionis oleum, etc. *Levit*. 8. 1. 2. Vestivit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, et induens eum tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo, aptavit rationali, in quo erat Doctrina et Veritas, etc. *v*. 7. 8. *V. totum caput*.

SACERDOS. — *Sacedotibus dabantur Decimæ et Primitiæ. V.* **Decimæ et Primitiæ.**

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent : et quidquid in sanctarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. *Num*. 5. 9. 10.

Locutusque est Dominus ad Aaron : Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna, etc. *Ibid*. 18. 8. Primitias autem, quas voverint et obtulerint filii Israel, tibi dedi, et filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo : qui mundus est in domo tua, vescetur eis, etc. *v*. 11. *totum caput. Item Ezech*. 44. 30.

Hoc erit judicium sacerdotum a populo, et ab his qui offerunt victimas : sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum : primitias frumenti, vini, et olei, etc. *Deut*. 18. 3. 4.

SACERDOS. — *Ut liberi sollicitudine comparandi victum, possint vacare legi Dei*

Præcepit etiam (Ezechias) populo habitantium Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus, et Levitis, ut possent vacare legi Domini. 2. *Par*. 31. 4. *V. et v*. 5.

SACERDOS. — *Sacerdotum auctoritas.*

Veniesque ad sacerdotes, etc. qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint (tibi), etc. *Deut*. 17. 9. 10. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio — morietur homo ille, etc. *v*. 12. *V. et v*. 11. *Item* 2. *Paral*. 19. 8. *et seq*.

Et ad verbum eorum (sacerdotum), omne negotium — judicetur. *Ibid*. 21. 5.

Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, etc. *Judith* 8. 21.

Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes — Da illis partem — primitiarum et purgationis. *Eccli*. 7. 33. 34. *V. et v*. 31. 32.

Et cum fuerit controversia, stabunt (sacerdotes) in judiciis meis, et judicabunt. *Ezech*. 44. 24. *V. et v*. 23.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est. *Malach*. 2. 7.

SACERDOS. — *Sacerdotum in populum benedictio.*

At vero Melchisedech — sacerdos Dei altissimi, benedixit ei (Abraham), etc. *Gen*. 14. 18 19.

(Dixit Dominus ad Moysen) : Loquere Aaron et filiis ejus : Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis, etc. *Num.* 6. 23. *V. et versus sequentes.*

Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, (et benedicet populo). *Deut.* 20. 2.

Accedentque sacerdotes — et benedicant in nomine Dei. *Ibid.* 21. 5.

Et benedixit Heli Elcanæ, et uxori ejus, etc. 1. *Reg.* 2. 20.

Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, etc. Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo : et exaudita est vox eorum, pervenitque oratio in habitaculum sanctum cœli. 2. *Par.* 30. 26. 27.

SACERDOS *bonus Deum pie honorat.*

Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. *Exod.* 19. 22.

Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, et sanctificaverunt filii Israel, in cunctis muneribus et donariis suis. *Ibid.* 28. 38.

Facies et labrum æneum cum basi sua ad lavandum — Et missa aqua, lavabunt in eo Aaron, et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii — ne forte moriantur. *Ibid.* 38. 18. *et seq. V. et v.* 10.

Accede ad altare (ait Moyses ad Aaron), et immola pro peccato tuo : offer holocaustum, et deprecare pro populo, etc. *Levit.* 9. 7.

Sanctificabor (ait Dominus) in his, qui appropinquant mihi. *Ibid.* 10. 3.

Sancti erunt Deo suo (sacerdotes), et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. *Ibid.* 21. 6.

Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. *Ibid.* 22. 3.

Et suscitabo mihi (ait Dominus) sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet, etc. 1. *Reg.* 2. 35.

Pactum meum fuit cum eo (Levi) vitæ et pacis : et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. *Malach.* 2. 5. *V. et v.* 6. *et* 7.

Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. *Hebr.* 5. 1. *V. et versus sequentes. Item. c.* 8. 3.

SACERDOS... *honeste se gerit in victu.*

Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. *Levit.* 10. 9.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse — sobrium — non vinolentum, etc. 1. *Tim.* 3. 2. 3.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, etc. *Tit.* 1. 7. *V. v.* 8.

SACERDOS... *gestu.*

Sacerdotes tui (Domine) induantur justitiam. *Psal.* 131. 9.

Mundamini, qui fertis vasa Domini. *Isa.* 52. 11.

Et viduam, et repudiatam (sacerdotes) non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel, etc. *Ezech.* 44. 22. *V. et v.* 21. *Item Levit.* 21. 13. *et* 14.

Te ipsum castum custodi. 1. *Tim.* 5. 22. *V. et v.* 11. *Item c.* 4. 12. *et c.* 6. 11. *et seq.*

Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. 2. *Tim.* 2. 22. *V. Tit.* 2. 7.

SACERDOS... *proximum ædificat verbo.*

Et nunc, fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda illorum erigite. *Judith* 8. 21.

Et populum meum docebunt (sacerdotes) quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent ei. Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, et judicabunt, etc. *Ezech.* 44. 23. 24.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, (et fide). Sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam : ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. 1. *Petr.* 3. 15. *V. c.* 2. 12.

SACERDOS..... *exemplo.*

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. 1. *Cor.* 4. 1.

Nemini dantes ullam offensionem; ut non vituperetur ministerium nostrum : sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, etc. 2. *Cor.* 6. 3. 4. *et seq.*

Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium, etc. 1. *Tim.* 4. 12.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, etc. *Tit.* 2. 7.

SACERDOS *bonus ad officium vocatur et consecratur.*

Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi. *Exod.* 28. 1.

Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. *Ibid.* 30. 30.

Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua, indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. *Ibid.* 40. 12. *V. c.* 29. 35.

Cumque sanctificans aspersisset (Moyses) altare septem vicibus, unxit illud, et omnia vasa ejus, labrumque basi sua sanctificavit oleo. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum : et consecravit. *Lev.* 8. 11. 12. Quem (arietem) cum immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, et pollicem manus ejus dextræ, similiter et pedis. *v.* 25. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus — septem enim diebus finitur consecratio. *v.* 33. *V. totum Caput. Item Eccli.* 45. 18.

Homo de semine tuo, per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Nec accedet ad ministerium ejus : si cæcus fuerit, si claudus — si gibbus, si lippus, etc. — Ego Dominus, qui sanctifico eos. *Ibid.* 21. 17. *et seq. usq. ad fin.*

Et elegit (Judas Machabæus) sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei : et mundaverunt Sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 1. *Mach.* 4. 42. 43.

Et cum (Paulus et Barnabas) constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros — commendaverunt eos Domino. *Act.* 14. 22.

Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros ; sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. *V. et versus sequentes.*

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. *Hebr.* 5. 4.

SACERDOS... *a bonis honoratur.*

Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni, et cunctos populos ejus — præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis : quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. *Gen.* 47. 20. *et seq.*

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio — morietur homo ille. *Deut.* 17. 12.

Presbytero humilia animam tuam. *Eccli.* 4. 7.

In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit : et ministros ejus ne derelinquas. *Ibid.* 7. 31. 32. Honorifica sacerdotes — Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis. *v.* 33. 34.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. 1. *Tim.* 5. 17.

SACERDOS... *a Deo remuneratur.*

Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent : et quidquid in sanctuarium offertur a singulis, et traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. *Num.* 5. 9. 10.

Ecce dedi tibi (ait Dominus ad Aaron) custodiam primitiarum mearum. Omnia, quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali, legitima sempiterna. *Ibid.* 18. 8. In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel. *v.* 20. *totum Cap.*

Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis : quia ipse Dominus possessio ejus est. *Deut.* 10. 9. *V. c.* 18. 1. *et seq.*

Non erit autem eis (sacerdotibus) hæreditas; ego hæreditas eorum, etc. — Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent; et omne votum in Israel ipsorum erit. Et primitiva omnium primoge-

nitorum, et omnia libamenta ex omnibus, quæ offeruntur, sacerdotum erunt, etc. *Ezech.* 44. 28. *et seq.*

Si in viis meis ambulaveris, et custodieris : tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, etc. *Zach.* 3. 7.

SACERDOS *malus ambitiose se ingerit.*

Arreptis Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum : quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. *Lev.* 10. 1. *Item Num.* 3. 4. *et c.* 26. 61.

Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem aut ovem, sive capram, in castris vel extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit — ideo sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, etc. *Ibid.* 17. 3. *et seq.*

(Core ambitiosus cum suis interiit *Num.* 16. 31. *et seq. Item Deut.* 11. 6. *Eccli.* 45. 22. *et seq.*

Refer virgam Aaron (ait Dominus ad Moysen) in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. *Ibid.* 17. 10. *V. et v.* 13.

Si quis externus accesserit, occidetur. *Ibid.* 18. 7.

(Jeroboam thus super altare jaciens, per Prophetam a Deo missum, increpatus est). 3. *Reg.* 13. 1.

(Ozias Rex lepra percussus fuit, eo quod officium sibi usurpare voluit sacerdotis). 2. *Par.* 26. 19. *et seq.*

Quia contra illum (Aaronem) steterunt alieni — Vidit Dominus Deus, et non placuit illi, et consumpti sunt in impetu iracundiæ. *Eccli.* 45. 22. 23.

Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus? et tenentes legem, nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me. *Jerem.* 2. 8.

SACERDOS. . *proximum scandalose inficit.*

Sacerdotes ejus (Jerusalem) contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea : inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam : et inter pollutum et mundum non intellexerunt, etc. *Ezech.* 22. 26

SACERDOS... *semetipsum opprobriosum reddit.*

Coronas certe aureas habent super capita sua dii illorum (Babyloniorum) : unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum, et erogant illud in semetipsos. Dant autem et ex ipso prostitutis, et meretrices ornant : et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos. *Baruch* 6. 9. *V. et v.* 27. *et seq. imo totum Caput.*

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Oseæ* 4. 6. Et erit sicut populus, sic sacerdos. *v.* 9.

Audite hoc, sacerdotes, et attendite, domus Israel, et domus regis, auscultate ; quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. Et victimas declinastis in profundum. *Ibid.* 5 1. 2.

Accingite vos, et plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris : ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei : quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio, etc. *Joel.* 1. 13.

Sacerdotes ejus (Jerusalem) in mercede docebant, etc. *Mich.* 3. 11.

Sacerdotes ejus (Jerusalem) polluerunt sanctum : injuste egerunt contra legem. *Soph.* 3. 4.

Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, etc. *Malach.* 1. 6. 7. *et seq.* Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. *v.* 10. *V. et v.* 12. 13.

Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege : irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. *Ibid.* 2. 8. 9.

SACERDOS. — *Sacerdotum cupiditas.*

Tollant mihi (filii Israel) primitias : ab omni homine, qui offert ultroneus (non coactus), accipietis eas. *Exod.* 25. 2. *V. c.* 35. 5.

Nihil aliud possidebunt (filii Levi), decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi. *Num.* 18. 23. 24.

Oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres, etc. *Deut* 16. 10.

Sacrificia Domini et oblationes ejus comedent (Sacerdotes); et nihil aliud acci-

pient de possessione fratrum suorum. *Ibid.* 18. 1.

(Filii Heli sacrificia defraudabant, et sibi attribuebant malitiose). 1. *Reg.* 2. 12. *et seq.*

(Dixit rex Joas ad Joiadam pontificem) : Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam, juxta ordinem vestrum. 4. *Reg.* 12. 7.

Fortitudinem Gentium comedetis, et in gloria earum superbietis. *Isa.* 61. 6. Ego Dominus — odio habens rapinam in holocausto. *v.* 8.

Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista? etc. *Jerem.* 7. 11. *Item Matth.* 21. 13. *Marc.* 11. 17. *Luc.* 19. 46.

Et eduxit (leæna) unum de leunculis suis, et leo factus est : et didicit capere prædam, hominemque comedere. *Ezech.* 19. 3.

Principes ejus (Jerusalem) in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avari ad sectanda lucra. *Ibid.* 22. 27. *V. Mich.* 3. 5. 11. *Soph.* 3. 3. 4.

Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. *Oseæ.* 4. 8.

Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum : factæ sunt ei aræ in delictum. *Ibid.* 8. 11.

Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. *Amos.* 2. 8.

Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, etc. *Ibid.* 6. 1.

Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? *Malach.* 1. 10. *V. v.* 13.

Et ejiciebat (Jesus) omnes vendentes, et ementes in templo, etc. *Matth.* 21. 12. *Item Marc.* 11. 15. *Luc.* 19. 45. *Joan.* 2. 14. *et seq.*

Ego scio (ait Paulus), quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. *Act.* 20. 29. Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis : quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. *v.* 33. 34.

Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 2. *Cor.* 12. 14.

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. *Philipp.* 2. 21.

Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. *Ibid.* 4. 17.

Nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, (prædicavimus in vobis Evangelium Dei). 1. *Thess.* 2. 9. *V. eadem verba.* 2. *Thess.* 3. 8.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse — non cupidum, etc. 1. *Tim.* 3. 2. 3.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem — non turpis lucri cupidum. *Tit.* 1. 7.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. 1. *Petr* 5. 2. *V.* 1. *Mach.* 4. 8. 14.

SACERDOS. — *Sacerdotes mali, et eorum punitio.*

(Core, Dathan, et Abiron seditionem movent, et ambiunt sacerdotium, hosque vivos terra absorbet ; ignis vero devorat 250 viros incensum offerentes : sed et alios 14 700 murmurantes consumpsit incendium). *Num. c.* 16.

(Ob peccata filiorum Heli, et nimiam patris indulgentiam, fit illi et domui ejus comminatio, ac mors filiorum prædicitur). 1. *Reg. c.* 2. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia, quæ faciebant filii sui universo Israeli ; et quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi, etc. *v.* 22. *V. et versus sequentes.*

Prædixi enim ei (Heli, ait Dominus), quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. *Ibid.* 3. 13.

Abiathar quoque sacerdoti dixit rex (Salomon) : Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es : sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. 3. *Reg.* 2. 26. *V. et v.* 27.

Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. *Isa.* 3. 11.

(Graviter expostulat Dominus cum filiis Israel, et Juda, ac potissimum cum pastoribus et Prophetis, quod non respicientes accepta a Deo varia beneficia, adoraverint idola, a quibus nihil boni expectare

poterant, ac propterea devastandos prædicit). *Jerem. c.* 5. *V. Oseæ* 5. 1.

Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini. *Ibid.* 8. 7.

Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam : quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi : et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. *Oseæ* 4. 6. Et erit sicut populus, sic sacerdos : et visitationes ejus reddam ei. *v.* 9. *V. Isa.* 24. 2.

(Propheta conqueritur, Dominum ab Israel non honorari, neque timeri, quodque sacerdotes despiciant nomen Domini, quorum rejicit sacrificia, gratam habens oblationem, quæ in omni loco ei munda offertur). *Malach. c.* 1. *V. Soph.* 3. 4.

O Sacerdotes, si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniam non posuistis super cor, etc. *Malach.* 2. 1. *et seq.* Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege ; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. *v.* 8. *V. v.* 9.

Et sedit Demetrius super sedem regni sui : et venerunt ad eum viri iniqui et impii ex Israel : et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. 1. *Mach.* 7. 4. 5. Sed et Alcimum impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israel. *v.* 9. Et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui. *v.* 21. *V. et c.* 9. 55. *et* 56. *de ejus subita morte.*

SACERDOS. — *Sacerdotium spirituale.*

Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. *Exod.* 19. 5. 6.

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis, etc. *Isa.* 61. 6.

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. *Petr.* 2. 9.

Qui (Christus) dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo. *Apoc.* 1. 5. 6.

Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes : et regnabimus super terram. *Ibid.* 5. 10.

SACERDOS, *non lex aut Scriptura sola, est judex.*

Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram : et judicum intra portas tuas videris verba variari : surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. *Deut.* 17. 8. 9. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis; morietur homo ille, et auferes malum de Israel : cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. *v.* 12. 13. *V. et v.* 10. 11. *Item c.* 21. 5. *V. et* 2. *Paral.* 19. 8. *et seq.*

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

SACRAMENTA *novæ legis vere causant gratiam tanquam causæ instrumentales.*

Qni manducat meam carnem, etc. in me manet, et ego in illo, etc. *Joan.* 65. 7. *V. totum contextum.*

Baptizetur unusquisque vestrum — in remissionem peccatorum, etc. *Act.* 2. 38. *V. c.* 19. 5.

Tunc imponebant (Apostoli) manus super illos (Samaritanos), et accipiebant Spiritum Sanctum. *Ibid.* 8. 17.

Salvos (nos) facit Baptisma. 1. *Petr.* 3. 21. *V. Tit.* 3. 4.

SACRAMENTA. — *Sacramentum Confirmationis.*

Tunc imponebant (Apostoli) manus super illos (Samaritanos), et accipiebant Spiritum Sanctum. *Act.* 8. 17. *V. et v.* 18. 19.

Et cum imposuisset illis (Ephesiis) manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, etc. *Ibid.* 19. 6.

Qui autem confirmat nos nobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in

cordibus nostris. 2. *Cor.* 1. 21. 22. *V. et Hebr.* 6. 2. *de doctrina impositionis manuum.*

In quo (Christo) et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo (Christo) et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, etc. *Ephes.* 1. 13.

SACRAMENTA. — *Sacramentum Pœnitentiæ.*

Et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo, etc. *Matth.* 18. 18. *V. et c.* 16. 19.

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. *Joan.* 20. 22. 23.

Pro Christo ergo legatione fungimur. 2. *Cor.* 5. 20. *V. et v.* 18. 19.

SACRAMENTA. — *Sacramentum Extremæ Unctionis.*

Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. *Jac.* 5. 14. 15.

SACRAMENTA. — *Sacramentum Ordinis.*

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, etc. *Joan.* 22. 23.

Segregate mihi Saulum et Barnabam (inquit Spiritus Sanctus) in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. *Act.* 13. 2. 3. *V. c.* 6. 6.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. *Ibid.* 20. 28.

Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14.

Manus cito nemini imposueris. *Ibid.* 5. 22.

Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 2. *Tim.* 1. 6.

Et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* 1. 5.

SACRAMENTA. — *Sacramentum Matrimonii.*

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. *Ephes.* 5. 31. 32. *V. Matth.* 19. 5. *et Marc.* 10. 7. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, etc. *supr. v.* 25.

Salvabitur autem (mulier) per filiorum generationem ; si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate. 1. *Tim.* 2. 15.

SACRAMENTALIA, *scilicet aqua lustralis, agnus Dei, etc. etc. recte adhibentur.*

Quia omnis creatura Dei bona est, etc. sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem. 1. *Tim.* 4. 4.

SACRIFICIUM *Novi Testamenti. Vide* **Missa.**

SALTATRIX. *V.* **Choreæ.**

Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. *Eccli.* 9. 4. 5. *V. versus sequentes. Item Judic.* 21. 21. 23. *Ezech.* 25. 6 *Matth.* 14. 6. *Marc.* 6. 22.

SALUS. *V.* **Beatitudo.**

SALUS *spiritualis quomodo acquiratur.*

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. *Psal.* 29. 3. *V. et v.* 4.

Sana (Domine) animam meam, quia peccavi tibi. *Psal.* 40. 5.

Qui (Deus) sanat contritos corde : et alligat contritiones eorum. *Psal.* 146. 3.

Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro, etc. *Eccli.* 30. 15.

Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos. *Isa.* 25. 9.

Israel salvatus est in Domino salute æterna. *Ibid.* 45. 17. Deus justus, et salvans non est præter me. *v.* 21. *V. et v.* 20 *et* 22.

Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es. *Jerem.* 17. 14.

Et salvabo eos in Domino Deo suo. *Oseæ* 1. 7.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Matth.* 16. 25. *V. Marc.* 8. 35. *Luc.* 9. 24. *et c.* 17. 33.

SALUS *a solo Deo est.*

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? *Psal.* 26. 1. *V. et Psal.* 3. 9. *et* 17. 3. *et* 27. 9. *et* 32. 16. *et*

34. 3. *et* 105 47. *et* 117. 25. *et* 118. 94. 117. 173.

Tu es ipse rex meus, et Deus meus : qui mandas salutes Jacob. *Psal.* 43. 5. *V. et v.* 8.

Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, Salvator tuus, etc. *Isa.* 43. 3. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me Salvator. *v.* 11. *V. c.* 51. 8.

Vere in Domino Deo nostro salus Israel. *Jerem.* 3. 23. *V. Dan.* 13. 60.

Ego autem Dominus Deus tuus, (qui te eduxi) ex terra Ægypti : et Deum absque me nescies, et Salvator non est præter me. *Oseæ* 13. 4.

Unus est legislator, et judex, qui potest perdere, et liberare. *Jacob.* 4. 12.

SALUS *ex Dei gratia et misericordia per Christum confertur.*

(Christus) est lapis, etc. Et non est in alio aliquo salus, etc. *Act.* 4. 11. 12. *V. Ephes.* 2. 5. 8.

Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri, etc. *Tit.* 2. 11.

Unde et salvare in perpetuum potest (Christus) accedentes per semetipsum ad Deum. *Hebr.* 7. 25. *V. et Christus.*

SALUS *corporalis mirabiliter commendatur.*

Melior est......, et corpus validum, quam census immensus. Non est census super censum salutis corporis. *Eccli.* 30. 15. 16.

SALUS... *salubriter conservatur.*

Insuper et universos languores et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat. *Deut.* 28. 61.

Jucunditas cordis, hæc est vita hominis — et tristitiam longe repelle a te : multos enim occidit tristitia, et non utilitas in illa. Zelus et iracundia minuunt dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. *Eccli.* 30. 23. *et seq. V. totum contextum.*

In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. *Ibid.* 31. 27. *V. v.* 24. *et* 37. *totumque contextum.*

Ecce sanus factus es : jam noli peccare, etc. *Joan.* 5. 14.

SALUTATIO. — *Salutationis exempla.*

(Moyses) egressus in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum : salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. *Exod.* 18. 7.

Apparuit ei (Gedeoni) Angelus Domini, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime. *Judic.* 6. 12.

Ingressi sunt domum adolescentis Levitæ — salutaveruntque eum verbis pacificis. *Ibid.* 18. 15.

Et egressus est Saul obviam ei (Samueli), ut salutaret eum. 1. *Reg.* 13. 10. *V. c.* 10. 4.

Misit (David) decem juvenes, et dixit eis : Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice, etc. *Ibid.* 25. 5. *V.* 2. *Reg.* 8. 10.

Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice. *Ibid.* 30. 21.

Et ignorans (Tobias), quod Angelus Dei esset, salutavit eum, et dixit : Unde te habemus, bone juvenis? *Tob.* 5. 6.

Et venit (Nicanor) ad Judam, et salutaverunt se invicem pacifice. 1. *Mach.* 7. 29. Ascendit Nicanor in montem Sion : et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace. *v.* 33.

Et occurrit Jonathas regi in Joppen cum gloria, et invicem se salutaverunt, et dormierunt illic. *Ibid.* 11. 6.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. *Matth.* 10. 12. *V. Luc.* 10. 5.

Et ecce Jesus occurrit illis (mulieribus), dicens : Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. *Ibid.* 28. 9.

Et ingressus Angelus ad eam (Mariam), dixit : Ave, gratia plena : Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. *Luc.* 1. 28. Et intravit (Maria) in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. *v.* 40.

Stetit Jesus in medio eorum (discipulorum), et dixit eis : Pax vobis. *Ibid.* 24. 36. *Item Joan.* 20. 19. 21. *et* 26.

Salutate Priscam, et Aquilam, adjutores meos. *Rom.* 16. 3. 2. *V. totum caput, et* 2. *Tim.* 4. 19.

Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila et Priscilla, cum domestica sua Ecclesia. 1. *Cor.* 16. 19. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. *v.* 20. *V. et* 2. *Cor.* 13. 12. *Item Philipp.* 4. 21. 22. *Colloss.* 4. 12. 14. 15. 1. *Thess* 5. 26. *Tit.* 3. 15. *Philem. v.* 23. 24. *Hebr.* 13. 24. 1. *Petr.* 5. 13. 14. 2. *Joan. v.* 13. 3. *Joan. v.* 14.

SANCTUS *est Deus.*

Et clamabant alter (Seraphim) ad alterum, et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. *Isa.* 6. 3.

Et quatuor animalia — requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. *Apoc.* 4. 8.

SANCTUS. — *Sancti et mundi esse debemus.*

Viri sancti eritis mihi. *Exod.* 22. 41.

Ego enim sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum. *Levit.* 11. 44.

(Ait Dominus ad Moysen) : Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Ibid.* 19. 2.

Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. *Ibid.* 20. 7. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. *v.* 26.

Sancti erunt Deo suo (Sacerdotes), et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. *Ibid.* 21. 6. Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos. *v.* 8.

Memores (filii Israel) præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* 15. 40.

Populus sanctus es Domino Deo tuo. *Deut.* 7. 6. *Item c.* 14. 2.

Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius : et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam : ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. *Ibid.* 26. 18. 19.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. *Luc.* 1. 74. 75.

Ut quomodo Christus surrexit a mortuis — ita et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* 6. 4. *V. v.* 13. *et* 19.

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, etc. *Ibid.* 12. 1. *V. Philipp.* 4. 18.

(Deus) elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* 1. 4. *V. c.* 5. 3. 4.

Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam suam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans (eam) lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata. *Ibid.* 5. 25. *et seq.*

Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi. *Philipp.* 1. 10. *V. c.* 2. 15. *Item* 1. *Thess.* 3. 13. *et c.* 5. 23.

Et cum vos essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus, malis : nunc autem (Deus) reconciliavit in corpore carnis ejus (Christus) per mortem, exibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. *Coloss.* 1. 21. 22.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione, etc. 1. *Thess.* 4. 3. *V. v.* 7. *Item Rom.* 6. 12. 13 *c.* 8. 12. 18. 2. *Coloss.* 3. 12.

Et ipsi in omni conversatione sancti sitis : quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. 1. *Petr.* 1. 15. 16. *V. c.* 2. 11. 12. *Item Rom.* 13. 14 *Gal.* 5. 16.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo (Deo), sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan.* 3. 3.

Et qui justus est, justificetur adhuc : et sanctus, sanctificetur adhuc. *Apoc.* 22. 11.

SANCTUS. — *Sanctitas a Deo datur.*

Ne polluatis nomen meum sanctum — Ego Dominus, qui sanctifico vos. *Levit.* 22. 32.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. 1. *Thess.* 5. 23.

In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. *Hebr.* 10. 10.

Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. *Ibid.* 13. 12.

Et omnis, qui habet hanc spem in eo (Deo), sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan.* 3. 3.

SANCTUS. — ... *studiose in bono ordinatur.*

Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium, etc. *Exod.* 19. 10. 11. Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua, ait ad eos : Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. *v.* 14.

Homo sanctus in sapientia manet sicut sol. *Eccli* 27. 12.

Sanctifica eos (o Pater) in veritate. *Joan.* 17. 17. Et pro eis ego sanctifico meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. *v.* 19.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ — sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam. 1. *Petr.* 1. 13. Et ipsi in omni conversatione sancti sitis, etc. *v.* 15.

SANCTUS. — ... — *fructuose in nobis conservatur.*

Sancti eritis, quia ego sanctus sum. *Levit.* 11. 45. *Item v.* 44.

Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Ibid.* 19. 2.

Sanctificamini, et estote sancti, etc. *Ibid.* 20. 7. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei (scil. sancti). *v.* 26.

Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, etc. *Deut.* 26. 18. *V. v.* 19.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, etc. 1. *Thess.* 4. 3. *V. v.* 7.

Sanctus, sanctificetur adhuc. *Apoc.* 22. 11.

SANCTUS. — *Sanctum Domini.*

Septimus dies erit vobis sanctus, Sabbatum, et requies Domini : qui fecerit opus in eo, occidetur. *Exod.* 35. 2.

(Declaratur, quando, et quomodo sacerdos ingredi debeat sanctuarium, ipsumque expiare una cum tabernaculo, et altari). *Levit. c.* 16. *V. et c.* 23. *per totum.*

Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus. *Psal.* 113. 2.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. *Matth.* 7. 6.

SANCTUS. — *Sancti in cœlo sunt, et cum Deo regnant.*

(Dixit Jesus latroni) : Hodie mecum eris in paradiso. *Luc.* 23. 43.

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi. *Ibid.* 17. 24.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis, etc. 2. *Cor.* 5. 1. (Per fidem enim ambulamus, et non per speciem) audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. *v.* 7. *V. et v.* 2.

(Cupio) dissolvi (inquit Paulus), et esse cum Christo. *Philipp.* 1. 23.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3. 21. *V. c.* 2. 7. *et c.* 21. 7.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis : stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, etc. *Ibid.* 7. 9. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, etc. *v.* 14. 15.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. *Ibid.* 14. 13.

SANCTUS. — *Sancti tanquam amici Dei, licite et recte coluntur cultu religioso.*

(Abraham, Lot, Josue, adorarunt proni in terram Angelos). *Gen.* 18. 2. *et c.* 19. 1. *et Josue* 5. 15.

Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum (inquit Deus). 1. *Reg.* 2. 30.

(Abdias, potens aulicus, adoravit pronus Eliam Prophetam adhuc viventem, quia erat Propheta a Deo dilectus). 3. *Reg.* 18. 7.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus. *Psal.* 138. 17.

(Sic ait Christus) : Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus *Joan.* 12. 26.

SANCTUS. — *Invocatio Sanctorum præcipitur.*

Protegamque urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum. 4. *Reg.* 19. 34. *et c.* 20. 6. *V. Isa.* 37. 35.

Ite ad servum meum Job — Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, etc. *Job* 42. 8.

SANCTUS. — *Sancti pro nobis orant.*

Et dixit Dominus ad me : Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum : ejice illos a facie mea, et egrediantur. *Jerem.* 15. 1.

Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. 2. *Mach.* 15. 14.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. *Apoc.* 5. 8.

Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei, etc. *Ibid.* 8. 3. *V. v.* 4.

SANCTUS. — *Propter sanctorum preces et merita, multa nobis largitur Deus, quamvis illi vita functi sint.*

Ego sum Deus Abraham patris tui (dixit Dominus ad Isaac) : noli timere, quia ego tecum sum : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. *Gen.* 26. 24. *V. et v.* 4. 5. *Item c.* 48. 16.

(Dixit Moyses ad Deum) : Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli : et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum. *Exod.* 32. 13. 14.

Verumtamen in diebus tuis (Salomon) non faciam, propter David patrem tuum : de manu filii tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, et Jerusalem, quam elegi. 3. *Reg.* 11. 12. Porro una tribus remanebit ei (Salomoni), propter servum meum David, et Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel. *v.* 32.

Sed propter David dedit ei (Abiæ) Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, et statueret Jerusalem : eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ. *Ibid.* 15. 4. 5.

Protegamque urbem hanc, et salvabo eam (ait Dominus) propter me, et propter David servum meum. 4. *Reg.* 19. 34. *V. c.* 20. 6. *Idemque verbatim habetur Isa.*

Et in Isaac eodem modo fecit, propter Abraham patrem ejus. *Eccli.* 44. 24.

SANCTUS. — *Sanctos oramus sine injuria Mediatoris, ut pro nobis orent, sicut et petimus ab aliis hominibus preces.*

Dixeruntque (filii Israel) ad Samuelem : Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. 1. *Reg.* 7. 8.

Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis. *Rom.* 15. 30. 31.

Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi. *Coloss.* 4. 3. *Item Eph.* 6. 18. 19.

Fratres, orate pro nobis. 1. *Thess.* 5. 25.

De cætero, fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos, etc. 2. *Thess.* 3. 1.

Orate pro nobis; confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus, bene volentes conversari. *Hebr.* 13. 18.

SANCTUS. — *Nec mirum Sanctos preces nostras cognoscere, quia sunt sicut Angeli Dei.*

In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22. 30. *V. Marc.* 12. 25. *Luc.* 20. 36.

Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* 15. 10.

SANCTUS... *et offerunt Deo nostras preces.*

Quando orabas cum lacrymis, et sepe-

liebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob.* 12. 12.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Apoc.* 5. 8.

Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. *Ibid.* 8. 3.

SANCTUS. — *Nec huic contrarium est, quod Deus solus est inspector cordis, quia et homines cognoscunt secreta cordium, Deo revelante.*

(Cognovit Samuel secreta cordis Saulis). 1. *Reg.* 9. 19.

At ille (Eliseus) ait (Giezi) : Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas. 4. *Reg.* 5. 26.

Dixitque unus servorum ejus (regis Syriæ) : Nequaquam, Domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. *Ibid.* 6. 12.

Tu, Rex, cogitare cœpisti in statu tuo, quid esset futurum post hæc : et qui revelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt. *Dan.* 2. 29. *V. v.* 30.

SANCTUS. — *Sanctorum ministerio aliquando tribuitur quod soli Deo præcipue convenit. V. Tit.* **Deo soli attributa, etc.**

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *Matth.* 18. 15. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *v.* 18. *Item c.* 16. 19. *Joan.* 20. 23.

Dicunt ei illi (duo Angeli Mariæ Magdalenæ) : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum; et nescio ubi posuerunt eum. *Joan.* 20. 13.

Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. *Rom.* 11. 14.

Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrar. Iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege), ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem : iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem : sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. 1. *Cor.* 9. 20. 21. *V. v.* 22.

Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 1. *Tim.* 4. 14.

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum : scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte. *Jacob.* 5. 19. 20.

SANCTUS. — *In Sanctorum memoriam Deum orare, docent nos majorum exempla.*

Dixitque Jacob : Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac : Domine, qui dixisti mihi : Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi. *Gen.* 32. 9.

Angelus, qui eruit me (dicit Jacob benedicens filiis suis moriturus) de cunctis malis, benedicat pueris istis : et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham, et Isaac, et crescant in multitudinem super terram. *Ibid.* 48. 16.

(Dixit Moyses ad Deum) : Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens : Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli : et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. *Exod.* 32. 13.

(Iterum dixit Moyses) : Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac, et Jacob : ne aspicias duritiam populi hujus, et impietatem atque peccatum. *Deut.* 9. 27.

Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait : Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc, etc. 3. *Reg.* 18. 36.

Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et

semper in veneratione tui mens ista permaneat. 1. *Par.* 29. 18. *V.* 2. *Paral.* 6. 42. *Item Psal.* 131. 1. 10.

(Eliphaz amicum suum Job admonuit, dicens) : Ad aliquem Sanctorum convertere. *Job* 5. 1.

Et apprehendens (Raguel) dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens : Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. *Tob.* 7. 15. *V. Esther* 13. 15. *et c.* 14. 18.

Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis : indurasti cor nostrum ne timeremus te? Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ. *Isa.* 63. 17.

Ne quæsumus, tradas eos in perpetuum propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum : neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum : quibus locutus es, pollicens, quod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris. *Dan.* 3. 34.

SANCTUS. — *Sancti vita defuncti, recte a nobis laudantur.*

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo, etc. *Eccli.* 44. 1. 2. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus, etc. *v.* 7. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem, etc. *v.* 14. Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. Noe inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, etc. *v.* 16. Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi, etc. *v.* 20. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus. Benedictionem omnium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob, etc. *v.* 24. 25. *V. totum caput.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

SANCTUS. — *In sanctis suis Deus laudatur.*

Laudate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus. *Psal.* 150. 1.

SANCTUS. — *Sancti judicabunt. V.* **Judicium.**

SANCTUS. — *Sancti faciunt miracula.*

(Moyses et Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in serpentem, et aquam virga percussam in sanguinem, quæ etiam faciunt Magi suis incantationibus : quam ob causam Pharao magis induratur). *Exod.* 7. 1. *Item c.* 8. 9. 10. *et* 11. (varias immittit Deus Ægyptiis plagas, etc.)

(Elias cœlum triennio claudit, primumque pascitur a corvis, deinde a muliere Sarephtana, cujus hydria farinæ et lecythus olei non minuitur : filius autem ipsius oratione Eliæ resuscitatur). 3. *Reg. c.* 17. *Item Luc.* 4. 26. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. *v.* 22.

(Claudit cœlum ne pluat). *Ibid. v.* 1. Elias homo erat similis nobis, passibilis : et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. *Jacob.* 5. 17. *Item Luc.* 4. 25.

(Aperit clausum) : Et ait Elias ad Achab : Ascende, comede et bibe : quia sonus multæ pluviæ est. *Ibid.* 18. 41. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis, etc. *v.* 45. Et rursum oravit (Elias), et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. *Jacob.* 5. 18.

(Elias pallio dividit aquas) : Tulitque Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas; quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo (scilicet Elias et Eliseus, individuus ejus comes) per siccum. 4. *Reg.* 2. 8. (Idem fecit post raptum Eliæ discipulus ejus Eliseus). *v.* 14.

(Eliseus sanat aquas, misso in eas sale) : Egressus (Eliseus) ad fontem aquarum, misit in illum sal, et ait : Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei, quod locutus est. *Ibid. v.* 21.

(Oleum multiplicat Eliseus viduæ pauperculæ, quo solvat creditoribus, etc.) *Ibid.* 4. 7.

(Eliseus excitat puerum mortuum vi-

duæ Sunamitidis) : At ille reversus (Eliseus), deambulavit in domo, semel huc atque illuc : et ascendit, et incubuit super eum : et oscitavit per septies, aperuitque ocu'os. *Ibid. v.* 35.

(Mittit farinam in ollam, et aufert amaritudiem ejus) : Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, et ait : Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. *Ibid. v.* 41.

(Item viginti tantum panibus satiat centum viros), qui comederunt, et superfuit. *Ibid. v.* 44.

Naaman Syrum sanat Eliseus. Scidit Rex Israel vestimenta sua, quod jussisset Rex Syriæ, ut Naaman leprosum curaret, quem Eliseus septena in Jordane lotione mundat a lepre, quæ Giezi propter munera mendacio extorta, et ab Eliseo spreta, perpetuo adhæsit). *Ibid c.* 5. *per totum. Item Luc.* 4. 27.

(Facit ferrum natare) : Dixit autem homo Dei : Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illuc : natavitque ferrum, et ait : Tolle. Qui extendit manum, et tulit illud. *Ibid.* 6. 6. 7.

(Percutit cæcitate milites regis Syriæ; quos cum duxisset in Samariam, lumen oculorum eis restituit). *Ibid. v.* 18. 20.

(Eliseus mortuus per contactum ossium suorum operatur miraculum) : Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. *Ibid.* 13. 21. *V. Eccli.* 48. 14. 15.

(Apostoli ejiciunt dæmonia) : Et dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, etc. *Ibid.* 16. 17. *V. et v.* 18. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. *Luc.* 10. 17. *V. Act.* 16. 18.

(Joannes et Petrus sanant claudum) : Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi : quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. *Act.* 3. 6. *V. et versus sequentes.*

(Etiam sola umbra Petri sanat) : Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur (omnes) ab infirmitatibus suis. *Ibid.* 5. 14. 15. *V. et v.* 16.

(Petrus excitat Tabitham) : Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, oravit; et conversus ad corpus, dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, et viduas, assignavit eam vivam *Ibid.* 9. 40. 41.

(Paulus restituit claudum) : Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magna voce : Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. *Ibid.* 14. 7. 8. 9.

(Etiam per sudaria sua curat infirmos) : Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia : et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Ibid.* 19. 11.

(Reddit vitæ puerum ex lapsu mortuum) : Ad quem (scilicet puerum mortuum) cum descendisset Paulus, incubuit super eum : et complexus dixit : Nolite turbari ; anima enim ipsius in ipso est. *Act.* 20. 10.

(Sancti quoque plura fecere miracula, quæ longum esset numerare) : Et quid adhuc dicam ? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et Prophetis : qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, etc. *Hebr.* 11. 32. 53. *V. versus sequentes.*

SANGUIS. — *Sanguinis conspersio.*

(Dixit Moyses ad seniores Israel) : Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem. *Exod.* 12. 22.

Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras : partem autem residuam fudit super altare. *Ibid.* 24. 6.

Quem (arietem) cum immolaveris, su-

mes de sanguine ejus, et pones super extremum auriculæ dexteræ Aaron et filiorum ejus, et super pollices manus eorum, ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. *Ibid.* 29. 20. *V. v.* 21. *Item Lev.* 1. 5. *et* 11. *et c.* 3. 2. 8 *et* 13.

Cumque intinxerit (sacerdos) digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino, contra velum sanctuarii. *Levit.* 4. 6. Inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus (vituli) in tabernaculum testimonii. *v.* 17. *et* 18. *imo totum caput.*

Idcirco ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto : sanguis ejus per gyrum altaris fundetur. *Ibid.* 7. 2.

Tollet quoque (Aaron) de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem. *Ibid.* 16. 14. *V. v.* 15. *et* 18. 19. *Item c.* 9. 9. 18.

Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii, et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino. *Ibid.* 17. 6.

Steteruntque (sacerdotes et Levitæ) in ordine suo, juxta dispositionem et legem Moysi hominis Dei : Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum. 2. *Par.* 30. 16.

Et assumens de sanguine ejus, pones super quatuor cornua ejus, et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu, et mundabis illud, et expiabis. *Ezech.* 43. 20.

Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, etc. *Hebr.* 9. 13. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. *v.* 19. 20. *V. v.* 21. 22. *Item c.* 11. 28.

SANGUIS. — *Sanguinis Christi conspersio.*

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? *Hebr.* 9. 13. 14.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, etc. *Ibid.* 10. 19.

Accessistis ad — testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel. *Hebr.* 12. 24.

Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 2. *V.* 1. *Joan.* 1. 7. *et Apoc.* 1. 5. *et c.* 5. 9.

SANGUIS. — *Sanguinis esus prohibitus.*

Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis. *Genes.* 9. 4.

Nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis. *Levit.* 3. 17.

Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus, quam de pecoribus. *Ibid.* 7. 26.

Homo quilibet de domo Israel, et de advenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo. *Ibid.* 17. 10. Anima enim omnis carnis in sanguine est : unde dixi filiis Israel : Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est : et quicumque comederit illum, interibit. *v.* 14.

Non comedetis cum sanguine. *Ibid* 19. 26.

Sin autem comedere volueris, et te esus carnium delectaverit, occide, et comede — absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram, quasi aquam, effundes. *Deut.* 12. 15. Hoc solum cave, ne sanguinem comedas : sanguis enim eorum (armentorum, et pecorum) pro anima est : et idcirco non debes animam comedere cum carnibus. *v.* 23.

Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum (armentorum et ovium) non comedas; sed effundes in terram quasi aquam. *Ibid.* 15. 23.

Nuntiaverunt autem Sauli, dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait : Prævaricati estis; volvite ad me jam nunc saxum grande. Et dixit Saul : Dispergimini in vulgus, et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum, et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino, comedentes cum sanguine. I. *Reg.* 14. 33. 34. *V. v.* 32.

Abstineant se (conversi ex gentibus) — a sanguine. *Act.* 15. 20. *V. v.* 29.

De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, judicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. *Ibid.* 21. 25.

SANGUIS. — *Sanguinis innocentis effusio, clamat vindictam coram Deo. V. et* **Homicidium.**

Dixitque ad eum (Dominus ad Cain) : Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Gen.* 4. 10. *V. Hebr.* 12. 24.

Jam non silebo de impietatibus eorum, quæ religiose agunt, nec sustinebo in his, quæ inique exercent : ecce sanguis innoxius et justus clamat ad me, et animæ justorum clamant perseveranter. 4. *Esdr.* 15. 8. *V. v.* 9. *Item Apoc.* 6. 10.

SANGUIS. — *Sanguinis innocentis effusio.*

Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias : aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit : percussor homicidii reus erit. *Num.* 35. 20. 21.

Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, et accipient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est; et morietur. *Deut.* 19. 11. 12. *V. v.* 10.

Maledictus qui clam percusserit proximum suum : et dicet omnis populus, Amen. *Ibid.* 27. 24.

Dixit itaque Joab ad Amasam : Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, etc. 2. *Reg.* 20. 9. 10. *V. c.* 4. 7. 11. *de occisione Isboseth.*

At illi (falsi testes), scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum (Naboth ob negatam regi Achab vineam) testimonium coram multitudine : benedixit Naboth Deum et regem : quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. (Scilicet jussu Jezabel accusatus lapidatur). 3. *Reg.* 3. 21. 13.

Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os. 4. *Reg.* 21. 16. *Item c.* 24. 4.

Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus. Qui cum moreretur, ait : Videat Dominus, et requirat. 2. *Par.* 24. 22.

Ego misi pueros meos prophetas ad vos, quos acceptos interfecistis, et laniastis corpora eorum, quorum sanguinem exquiram, dicit Dominus. 4. *Esdr.* 1. 32.

Manus effundentes inoxium sanguinem, (odit Deus). *Prov.* 6. 17.

Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet. *Ibid.* 28. 17.

Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum : et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos. *Isa.* 26. 21.

Advenæ, et pupillo, et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem efluderitis in loco hoc. *Jerem.* 7. 6. *Idem repetitur c.* 22. 3.

In sanguine tuo (Jerusalem) qui a te effusus est, deliquisti : et in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es : et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum : propterea dedi te opprobrium Gentibus, et irrisionem universis terris. *Ezech.* 22. 4. *V. v.* 12.

Et salvatus est sanguis innoxius in die illa. *Dan.* 13. 62. *V. v.* 53. *Item Exod.* 23. 7.

Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem : ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare, etc. *Matth.* 23. 34. 35. 37. *V. Gen.* 4. 8. *Idem habetur verbatim Luc.* 11. 50. 51. *et c.* 13. 34. *Item Apoc.* 6. 10.

Et in ea (Babylone) sanguis prophetarum, et sanctorum inventus est, et omnium, qui interfecti sunt in terra. *Apoc.* 18. 24.

SANGUIS. — *Sanguine Christi empti sumus.*

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos

regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Act.* 20. 28.

Empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro. 1. *Cor.* 6. 20.

Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. *Ibid.* 7. 23.

Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis — sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati. 1. *Petr.* 1. 18. *V. Hebr.* 9. 14. *Item* 1. *Joan*, 1, 7.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, etc. *Apoc.* 5. 9. *V. c.* 1. 5.

SAPIENTIA *vera, quæ.*

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere a malo, intelligentia. *Job.* 28. 28.

Quis sapiens, et custodit hæc? et intelliget misericordias Domini? *Psal.* 106. 43.

Initium sapientiæ timor Domini. *Psal.* 110. 10. *Item Prov.* 1. 7. *et c.* 9. 10. *Item Eccli.* 1. 16. *et c.* 19. 18.

Qui custodit legem, filius sapiens est. *Prov.* 28. 7.

Cor sapientis intelligitur in sapientia, et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit. *Eccli.* 3. 31. 32.

Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, etc. *Jacob.* 3. 17. *V. et v.* 13. 15.

SAPIENTIA — *Sapientiæ divinæ origo, proprietas, laus, et utilitas.*

Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna, etc. *Deut.* 4. 6.

Custodite ergo verba pacti hujus, et implete ea : ut intelligatis universa, quæ facitis. *Ibid.* 29. 9.

Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet, etc. *Job.* 28. 20. Et dixit homini : Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, et recedere a malo, intelligentia. *v.* 28. *V. v.* 12. *imo ab hoc versu usque ad finem.*

Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. *Ibid.* 32. 7. *V. versus sequentes.*

Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia : hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. *Eccles.* 7. 12. *V. v.* 20. *et* 26. *Item c.* 8. 1.

Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam : Civitas parva, et pauci in ea viri : venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis : et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine, etc. *Ibid.* 9. 13. *V. reliqua verba hujus capitis.*

Clara est : et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his, qui diligunt eam, etc. *Sap.* 6. 13. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus : et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit. *Sap.* 6. 13. *V. totum caput. Item c.* 1. 6.

(Cum unus sit omnibus introitus ad vitam, et similis exitus, præ omnibus eligenda est sapientia, afferens secum cuncta bona, habens spiritum intelligentiæ multiplicem ; et quæ hic mirum in modum extollitur, quamque abunde auctor fuerat consecutus). *Ibid. c.* 7. *per totum caput.*

(Cum sapientiam comitentur omnia desiderabilia, summe ambienda est, et a Deo petenda, a quo solo datur continentia). *Ibid. c.* 8. *per tot V. et c.* 9 *per totum.*

(Commendatur sapientia quod servaverit, et a malis liberaverit Adam, Noe, Abraham, Lot, Jacob, Joseph, Moysen, per quem filios Israel de Ægypto duxit per mare Rubrum, demersis in eo Ægyptiis). *Ibid. c.* 10. *per totum.*

(Sapientia incomprehensibilis, et in creaturis relucens, ab æterno originem a solo Deo trahit, quam dat diligentibus ac timentibus ipsum. Nam timor Domini, qui hoc capite multipliciter commendatur, non solum sapientiam, sed et reliquas secum affert virtutes : simplici autem corde

ad Deum accedendum est). *Eccli. c.* 1. *per totum. V. c* 4 *v.* 12. 28.

Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. *Ibid.* 1. 1. Initium sapientiæ, timor Domini, etc. *v.* 16. *Et c.* 24. *toto capite enumerantur sapientiæ laudes, et origo describitur.*

Sapientia filiis suis vitam inspirat, etc. Et qui illam diligit, diligit vitam, etc. *Ibid.* 4. 12. *V. versus sequentes, et v.* 28. 29. *Item c.* 11. 1. 15.

Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. *Ibid.* 21. 12. 13. *V. v.* 15. 16.

Sapientiam ejus (viri sapientis) enarrabunt Gentes, et laudem ejus enuntiabit. *Ibid.* 39. 14. *V. v.* 1. *et* 12.

Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt : verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. *Jerem.* 8. 9.

Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. *Luc.* 21. 15.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! *Rom.* 11. 33.

Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. 1. *Cor.* 1. 17. *V. v.* 19. *et seq.*

Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, etc. *Ibid.* 2. 6. 7. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. *v.* 10. *V. et v.* 1. 4. 5.

Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum. *Ibid.* 3. 19. *V. v.* 20.

In quo (Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. *Coloss.* 2. 3.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. *Jac.* 1. 3. *V. c.* 3. 13. *et seq. usque ad finem capitis.*

SAPIENTIA. — *vera a Deo acquiritur.*

Et qui appropinquant pedibus ejus (Dei), accipient de doctrina illius. *Deut.* 33. 3.

Quia postulasti verbum hoc (ait Deus Salomoni), et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum : sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium : ecce feci tibi secundum sermones tuos, etc. 3. *Reg.* 3. 11. 12. *V. c.* 4. 29. 31. *Item* 2. *Par.* 1. *v.* 10. 11. 12.

Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. *Job* 28. 12. 13. Trahitur autem sapientia de occultis. *v.* 18. *V. totum caput.*

Quoniam non cognovi litteraturam — Deus, docuisti me a juventute mea. *Psal.* 70. 15. 17.

Super inimicos meos prudentem me fecisti. *Psal.* 118. 98.

Timor Domini, principium sapientiæ. *Prov.* 1. 7. *Item Psal.* 110. 10. *Eccli.* 1. 16. *et c.* 19. 18.

Fili mi : si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua : inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam : tunc intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies : quia Dominus dat sapientiam : et ex ore ejus prudentia, et scientia. *Ibid.* 2. 1. *et seq. V. v.* 10. *et c.* 7. 4.

Principium sapientiæ, timor Domini. *Ibid.* 9. 10. *V. totum caput. Item c.* 8. *per totum.*

Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur et post industriam sequetur sapientia. *Eccles.* 10. 10. *V. v.* 1. *Item c.* 7. 20. *c.* 8. 1. *c.* 9. 18.

Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap.* 1. 4. *V. v.* 6.

Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat, etc. *Ibid.* 6. 13. 14. *V. totum caput.*

Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus : et invocavi, et venit in me spi-

ritus sapientiæ, etc. *Ibid.* 7. 7. Et cum sit una, omnia potest : et in se permanens, omnia innovat : et per nationes in animas sanctas se transfert, etc. *v.* 27. *V. totum caput. Item capita* 8. 9. 10. 11.

Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. *Eccli.* 1. 1. Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit illam diligentibus se. *v.* 10. Fili, concupiscens sapientiam, et Deus præbebit illam tibi etc. *v.* 33. *V. totum caput.*

Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam : et si dilexeris audire, sapiens eris. *Ibid.* 6. 34. *V. v.* 35.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. *Ibid.* 21. 14. *V. v.* 15.

Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu, sapientiam percipiet : qua sapientia replebitur, etc. *Ibid.* 38. 25.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit. *Ibid.* 39. 1. 2. *V. v.* 12. *et* 14.

Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam. *Ibid.* 43. 37.

Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, etc. *Isa.* 48. 17.

Quis ascendit in cœlum, et accepit eam (sapientiam), et eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, et invenit illam? — Non est qui possit scire vias ejus, etc. *Baruch* 3. 29. *V. v.* 23. 28.

Sit nomen Domini benedictum a sæculo et usque in sæculum : quia sapientia et fortitudo ejus sunt, etc. *Dan.* 2. 20. Ipse revelat profunda, et novit in tenebris constituta : et lux cum eo est. *v.* 22. *V. v.* 21. 23.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11. 25. *Item Luc.* 10. 21.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo — et dabitur ei. *Jac.* 1. 5. *V. c.* 3. 13. *usque ad finem capitis.*

SAPIENTIA *a stulto despicitur.*

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prov.* 1. 7.

Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est, etc. *Sap.* 3. 11.

Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus ! et non permanebit in illa excors. *Eccli.* 6. 21. *V. v.* 23. *et seq.*

Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum, etc. *Isa.* 27. 11.

Et populus non intelligens, vapulabit. *Oseæ* 4. 14.

SAPIENTIA *a bono exquiritur, quia ordinatur ad Deum.*

Hæc est enim vestra sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna. *Deut.* 4. 6.

Et dixit (Deus) homini : Ecce timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere a malo, intelligentia. *Job* 28. 28.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ suæ. *Prov.* 3. 5.

Sapiens timet, et declinat a malo. *Ibid.* 14. 16.

Qui de luce vigilaverit ad illam (sapientiam), non laborabit : assidentem enim illam foribus suis inveniet, etc. *Sap.* 6. 15. *V. totum caput.*

Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc splendidior sole, etc. *Ibid.* 7. 28. 29.

Initium sapientiæ, timor Domini. *Eccli.* 1. 16. (*Item Psal.* 110. 10. *Prov.* 1. 7. *et c.* 9. 10.) Radix sapientiæ est timere Deum, et rami illius longævi. *v.* 34. *V. totum Caput.*

Beatus vir, qui in sapientia morabitur, etc. *Ibid.* 14. 22. *V. versus sequentes.*

Et non est sapientia, nequitiæ disciplina : et non est cogitatus peccatorum, prudentia. *Ibid.* 19. 19.

Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. *Ibid.* 21. 13. *V. v.* 14. *et seq.*

Sapiens non odit mandata et justitias. *Ibid.* 33. 2.

Cor suum tradet (sapiens) ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. — Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum ; et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino. *Ibid.* 39. 6. 8. *V. versus sequentes.*

Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniam

dies mali sunt. *Ephes*. 5. 15. 16. *V. Coloss*. 4. 5.

Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr*. 4. 7.

SAPIENTIA *erga se ipsum.*

Ne sis sapiens apud temetipsum. *Prov*. 3. 7.

Sapientia callidi, est intelligere viam suam : et imprudentia stultorum errans. *Ibid*. 14. 8.

In facie prudentis lucet sapientia. *Ibid*. 17. 24.

Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, etc. *Eccli*. 21. 16. *V. c*. 27. 12.

Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, etc. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. *Rom*. 12. 3. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. *v*. 16.

Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. *Ibid*. 16. 19.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. 1. *Cor*. 3. 18. *V. v*. 19. 20.

SAPIENTIA *erga proximum verbo.*

Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem. *Prov*. 27. 11.

Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. *Eccles*. 8. 5.

Verba oris sapientis, gratia. *Ibid*. 10. 12.

In lingua enim sapientia dignoscitur : et sensus, et scientia et doctrina in verbo sensati. *Eccli*. 4. 29.

Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit. *Ibid*. 20. 13. Sapiens in verbis producet se ipsum, et homo prudens placebit magnatis. *v*. 29. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus : quæ utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam. *v*. 32. 33.

Os prudentis quæritur in ecclesia, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. *Eccli*. 21. 20. *V. v*. 16.

Vir sapiens plebem suam erudit, et fructus sensus illius fideles sunt. Vir sapiens implebitur benedictionibus, et videntes illum, laudabunt. *Ibid*. 37. 26. 27. *V. v*. 29.

Gratias ago Deo meo — quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia. 1. *Cor*. 1. 4. 5.

SAPIENTIA..... *opere.*

Sapiens corde præcepta suscipit. *Prov*. 10. 8.

Via stulti recta in oculis ejus ; qui autem sapiens est, audit consilia. *Ibid*. 12. 15.

Sapientia hominis lucet in vultu ejus. *Eccles*. 8. 1. *V. c*. 2. 14. *Item Prov*. 17. 24.

Homo sapiens in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertia. Omnis astutus agnoscit sapientiam, et invenienti eam dabit confessionem. *Eccli* 18. 27. 28.

Disciplinam in pace conservate, filii, etc. *Ibid*. 41. 17. *V. tot. versum et v*. 18. *Item c*. 20. 32. 33.

Quis sapiens, et disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Jac*. 3. 13. *V. et versus sequentes usque ad finem capitis.*

SAPIENTIA *decora in bonis.*

Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia : melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri ; primi et purissimi fructus ejus : pretiosior est cunctis opibus : et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Prov*. 3. 13. 14. 15. *V. et versus sequentes.*

Si sapiens fueris, tibimetipsi eris. *Ibid*. 9. 12. *V. totum caput.*

Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. *Eccles*. 7. 13. *V. totum caput.*

Super salutem et speciem dilexi illam (sapientiam), et proposui pro luce habere illam : quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, etc. *Sap*. 7. 10. 11. *V. totum caput.*

Mitte illam (sapientiam, Domine) de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, et sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia, etc. *Ibid*. 9. 10. 11. *V. v*. 19.

Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. *Eccli*. 21. 24.

Est sapiens, animæ suæ sapiens : et fructus sensus illius laudabilis. *Ibid*. 37. 25. Sapiens in populo hæreditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum. *v*. 29. *V. v*. 26. *et* 27.

SAPIENTIA *in bonis naturæ.*

Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato. *Prov.* 1. 33.

Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit : consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur. *Ibid.* 2. 10. *et seq.*

Gloriam sapientes possidebunt. *Ibid.* 3. 35.

Melior est enim sapientia cunctis (opibus) pretiosissimis : et omne desiderabile ei non potest comparari. *Ibid.* 8. 11. *V. c.* 3. 15.

Vir sapiens, fortis est : et vir doctus, robustus et validus. *Ibid.* 24. 5.

Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. *Eccles.* 7. 12. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis. *v.* 20. *V. v.* 13.

Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? *Sap.* 8. 5. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis. *v.* 10. *V. totum caput.*

SAPIENTIA *mundi hujus vana, et stultitia mera, ideoque fugienda.*

(Deus), qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. *Job* 5. 13.

Ne sis sapiens apud temetipsum : time Deum, et recede a malo. *Prov.* 3. 7.

Ego sum Dominus — irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens : convertens sapientes retrorsum : et scientiam eorum stultam faciens. *Isa.* 44. 24. 25.

Quia stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt, et vecordes : sapientes sunt ut faciant mala : bene autem facere nescierunt. *Jer.* 4. 22.

Fratres — non sitis vobis ipsis sapientes, (sed Deo). *Rom.* 11. 25.

Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. *Ibid.* 12. 3. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, etc. *v.* 16.

Et sermo meus (inquit Paulus), et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principatus hujus sæculi, qui destruuntur, etc. 1. *Cor.* 2. 4. *et seq. V. et v.* 7.

Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. *Ibid.* 3. 19. *V. totum versum, et v.* 20. *Item Job.* 5. 13.

In simplicitate cordis (inquit Paulus), et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo : abundantius autem ad vos. 2. *Cor.* 1. 12.

Non est enim ista sapientia (scil. mundi) desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *Jac.* 3. 15. *V.* (ibidem egregiam differentiam inter sapientiam terrenam et cœlestem).

SAPIENTIA *mala, sive mundana, Deum provocat.*

Melior est homo, qui minuitur sapientia, et deficiens sensu in timore (Dei), quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi. *Eccli.* 19. 21.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. *Isa.* 5. 21.

Claudet (Dominus) oculos vestros; prophetas, et principes vestros, qui vident visiones, operiet. *Ibid.* 29. 10. *V. v.* 14. *Item Abd. v.* 8.

Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint. *Ibid.* 40. 23.

Et fiduciam habuisti (Babylon) in malitia tua, et dixisti : Non est qui videat me : sapientia tua et scientia tua hæc decepit te. *Ibid.* 47. 10.

Quomodo dicitis : Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? *Jer.* 8. 8. *V. v.* 9. *et c.* 49. 7. *Item Ezech.* 28. 4. 5.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, etc. *Rom.* 12. 16.

Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo — Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 1. *Cor.* 1. 19. *et seq.*

SAPIENTIA *peccatum multiplicat.*

Et non est sapientia nequitiæ disciplina : et non est cogitatus (bonus) peccatorum prudentia. Est nequitia, et in ipsa execratio : et est insipiens, qui minuitur sa-

pientia — Est solertia certa, et ipsa iniqua. *Eccli.* 19. 19. *et seq.*

Sapientes sunt, ut faciant mala : bene autem facere nescierunt. *Jer.* 4. 22.

Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom.* 1. 22.

Nam prudentia carnis mors est : prudentia autem spiritus, vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : lege enim Dei non est subjecta : nec enim potest. *Ibid.* 8. 6. 7.

Scientia inflat, caritas vero ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire. 1. *Cor.* 8. 1. 2.

SAPIENTIA *proximum molestat.*

(Sic Achitophel consilia contra David dedit Absaloni, cum dixit) : Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum : ut cum audierit omnis Israel, quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. 2. *Reg.* 16. 21.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. *Luc.* 16. 8.

Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris : nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. *Jac.* 3. 14. *V. versus sequentes.*

SAPIENTIA *ipsum hominem infamat.*

Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. *Prov.* 26. 12.

Sapiens sibi videtur vir dives : pauper autem prudens scrutabitur eum. *Ibid.* 28. 11.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. Est autem sapientia, quæ abundat in malo. *Eccli.* 21. 14. 15.

Stultus factus est omnis homo a scientia. *Jer.* 51. 17.

Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum, etc. 1. *Cor.* 3. 19. *V. totum versum, et v.* 20.

SATISFACTIO *V.* **Pœnitentia.**

SCANDALUM. *V. et* **Malum exemplum.**

SCANDALUM, *seu offendiculum proximo, nec in vita, nec in doctrina ponendum.*

(Heva gravius punitur a Deo, quam Adam, quia ipsa induxit Adam ad peccandum). *Gen.* 3. 16. *V. et v.* 6.

Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. *Lev.* 4. 3. *V. Num.* 31. 15. 16.

(Imperat Deus Israelitis, ut Amalecitas delerent de terra, quia illos voluerunt impedire ab ingressu terræ promissæ). *Deut.* 25. 17. *et seq. Confer. Exod.* 17. 8.

Et erat ergo peccatum puerorum (filiorum Heli) grande nimis coram Domino : quia retrahebant homines a sacrificio Domini : (hinc tam graviter postea a Deo punitur). 1. *Reg.* 2. 17. *V. v.* 34. *et* 4. 11.

Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur (inquit Nathan ad regem David) 2. *Reg.* 12. 14.

(Jeroboam, qui erexit idola, peccare fecit Israel : hinc de illo dicitur : quod) operatus (sit) mala, super omnes, qui fuerunt ante (eum : et horribiles pœnæ per Ahiam Prophetam a Deo illi denuntiantur). 3. *Reg.* 14. 9. *Confer. c.* 12. 28. *et seq.*

Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet : et simplices possidebunt bona ejus. *Prov.* 28. 10.

(Eleazarus noluit simulare, quod comederet carnem prohibitam) : Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum : et ipsi propter meam simulationem — decipiantur, etc. 2. *Mach.* 6. 24. 25.

(Petrus, cum prohibere vellet Christum a passione sua et morte, audivit a Christo) : Vade post me, Satana, scandalum es mihi. *Matth.* 16. 23. *Item Marc.* 8. 33.

Ut autem non scandalizemus eos, vade (Petre) ad mare, et mitte hamum : et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te. *Ibid.* 17. 26.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. *Ibid.* 18. 6.

Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me : bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria in collo ejus, et in mare mitteretur. *Marc.* 9. 41. *V. c.* 4. 17.

Impossibile est, ut non veniant scandala : væ autem illi, per quem veniunt, etc. *Luc.* 17. 1. *V. v.* 2. *Item Joan.* 16. 1.

Infirmum autem in fide assumit, non in disceptationibus cogitationum, etc. *Rom.* 14. 1. Non ergo amplius invicem judicemus : sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. *v.* 13. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. *v.* 15. *V. v.* 21.

(Paulus ait, quod quanquam idolothytis vesci non sit ex se illicitum, cum idolum nullius sit efficaciæ aut potestatis; non sunt tamen illa edenda aut repugnante conscientia, aut cum infirmorum offendiculo : neque ea edere aut non edere, hominem efficit meliorem). 1. *Cor. c.* 8. *per totum, V. præcipue v.* 13 *ubi ait :* Quapropter si esca scandalizat fratrem meum : non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei, etc. *Ibid.* 10. 32.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2. *Cor.* 6. 3.

Ab omni specie mala abstinete vos. 1. *Thess.* 5. 22.

SCANDALUM. — *Quidquid nos scandalizat, vitemus.*

Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius (gentilium) jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. *Exod.* 34. 12. *V. c.* 23. 32. 33.

(Nulla cum gentibus societas contrahenda). *Deut. c.* 7. Percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum. *v.* 2. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui. *v.* 16. *V. v.* 25. 26.

(Pseudopropheta a Deo avertens, occidi debet, quantumvis propinquus sit vel amicus, imo et urbs vastari debet funditus, cujus habitatores id facere conati fuerint). *Ibid. c.* 13.

(Mathathias videns Judæum publice immolantem idolis), insiliens trucidavit eum super aram, (ut hoc scandalum tolleret). 1. *Mach.* 2. 23.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum, tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum, etc. *Matth.* 5. 29. 30. *Item c.* 18. 8. 9.

Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me : bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria in collo ejus, et in mare mitteretur. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, etc. *Marc.* 9. 41. 42. *V. v.* 44. 46.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis. *Rom.* 16. 17.

SCANDALUM. — *Scandali Pharisaici, sive accepti, exempla.*

Et ecce offerebant ei (Christo) paralyticum, jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. *Matth.* 9. 2. 3. *Item Marc.* 2. 3. *et seq. Luc.* 5. 18. *et seq.*

Et factum est, discumbente eo (Jesu) in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? *Ibid. v.* 10. 11. *V. Marc.* 2. 16. *Luc.* 5. 30. *et c.* 15. 2.

(Nazaræi) scandalizabantur in eo (Jesu, quod esset fabri filius, etc.) *Ibid.* 13. 57. *Item Marc.* 6. 3. *Joan.* 6. 42.

Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei (Jesu) : Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? etc. *Ibid.* 15. 12. *V. c.* 26. 31. 33. *Item Marc.* 14. 27. 29.

Et beatus est (inquit Jesus) quicumque non fuerit scandalizatus in me. *Luc.* 7. 23. *Item Matth.* 11. 6. *V. Joan.* 16. 1.

(Scandalizati sunt Judæi in Jesu, quia dicebat carnem suam esse cibum et sanguinem suum potum). *Joan.* 6. 62.

(Vide scandali Pharisaici egregium exemplum), *Luc.* 7. 39. *Joan.* 7. 43. *Item c.* 8. 44. *Act.* 4. 2. *c.* 11. 2. *c.* 13. 45. *c.* 28. 29.

SCORTATIO. — *Scortationis mala. Vide* **Fornicatio.**

SCORTATIO. — *Scortationis damnatio et pœna.*

(Si in puella nupta non invenitur virginitas), ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civi-

tatis illius, et morietur : quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui. *Deut.* 22. 21. *V. Jer.* 29. 23. *Ezech.* 22. 11. 1. *Cor.* 5. 9.

Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel, etc. *Ibid.* 23. 17. *V et Exod.* 20. 14. *Luc.* 18. 20. *Jac.* 2. 11.

Pedes ejus (meretricis) descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. *Prov.* 5. 5. *per totum. V. item c.* 6. 24. *et seq. et c.* 7. 5. *per totum et c.* 31. 3.

Ego judico (ait Jacobus) non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum ; sed scribere ad eos. ut abstineant se a — fornicatione. *Act.* 15. 20. *V. Rom.* 1. 29.

Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, etc. *Rom.* 13. 13.

Neque fornicarii, etc. regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 9. 10. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit — Fugite fornicationem, etc. *v.* 15. 18.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. *Ibid.* 10. 8. *V.* 2. *Cor.* 12. 21.

Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia. impudicitia, luxuria, etc. *Gal.* 5. 19. *V. Coloss.* 3. 5.

Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator — non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. *Ephes.* 5. 5. *V. v.* 3.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione : ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore : non in passione desiderii, sicut et Gentes, quæ ignorant Deum. 1. *Thess.* 4. 3. *et seq.*

Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros judicabit Deus. *Hebr.* 13. 4.

(Fornicatorum) pars — erit in stagno ardenti igne, et sulphure. *Apoc.* 21. 8.

SCORTATIO. — *Scortationis punitæ exempla.*

(Sodomitæ). *Gen.* 19. 24. (Sichimitæ), *c.* 34. 25. *et seq.* (Israelitæ). *Num.* 25. 1. (Israelita quidam), *v.* 6. *et seq.* (Benjamitæ). *Judic.* 20. 46. *per totum caput.* (Filii Heli), Ophni et Phinees), 1. *Reg.* 2. 22. 34. *et c.* 4. 17. *V. Jer.* 5. 7. *et seq.*

SCRIPTURA *sacra unde sit, et quis ejus usus.*

Dixit autem Dominus ad Moysen : Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josue. *Exod.* 17. 14.

Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus. *Ibid.* 34. 27.

Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te : ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. *Deut.* 4. 1.

Accipiens (rex) exemplar (legis in volumine) a sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. *Ibid.* 17. 18. 19.

Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel. *Ibid.* 31. 9.

Non recedat (ait Dominus ad Josue) volumen legis hujus ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. *Josue* 1. 8.

Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum ac mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. Et legit in eo aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum ac mulierem, et sapientium : et aures omnis populi erant erectæ ad librum. 2. *Esdr.* 8. 2. 3. *V. v.* 8. *et* 18.

Et dixerunt Esdræ pontifici, et lectori, ut afferret legem Moysi, quæ tradita est a Domino Deo Israel. 3. *Esdr. V. versus sequentes.*

Ecce loquere in aures plebis meæ sermones prophetiæ, quos immisero in os tuum, dicit Dominus. Et fac ut in charta scribantur, quoniam fideles et veri sunt. 4. *Esdr.* 15. 1. 2.

Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in æternum *Isa.* 30. 8.

Requirite diligenter in libro Domini, et legite : unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit : quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. *Ibid.* 34. 16.

Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel et Judam, et adversum omnes gentes, a die qua locutus sum ad te, ex diebus Josiæ usque ad diem hanc. *Jer.* 36. 2. Legitque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ fili Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ domus Domini, audiente omni populo, *v.* 10. *V. totum caput.*

Verbum, quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Joakim filii Josiæ regis Juda, etc. *Ibid.* 45. 1.

Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoniæ filii Joakim regis Juda, et ad aures universi populi venientis ad librum. *Baruch.* 1. 3. Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die solemni, et in die opportuno. *v.* 14.

Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum : omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam : qui autem dereliquerunt eam, in mortem, etc. *Ibid.* 4. 1.

Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis : et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. *Dan.* 10. 21.

Nos — habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus. 1. *Mach.* 12. 9.

Scriptum est : Non in solo pane vivit homo ; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Matth.* 4. 4. *V. Deut.* 8. 3. *Item Luc.* 4. 4.

Erratis (ait Christus Sadducæis negantibus resurrectionem) nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. *Ibid.* 22. 29. *V. Marc.* 12. 24.

Habent Moysen, et Prophetas : audiant illos. *Luc.* 16. 29.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me (ait Christus Judæis). *Joan.* 5. 39.

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc, etc. *Ibid.* 20. 30. *V. c.* 21. 25. *Item Rom.* 1. 2.

Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis ubi per omne Sabbatum legitur. *Act.* 15. 21.

Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, etc. *Ibid.* 17. 11.

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Rom.* 15. 4. *V. c.* 4. 23. *Item* 1. *Cor.* 9. 9. *et c.* 10. 1.

Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, etc. 1. *Cor.* 15. 3. *V. v.* 4.

Assumite et gladium spiritus (quod est verbum Dei). *Ephes.* 6. 17.

Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 2. *Tim.* 2. 15.

Tu vero permane in his, quæ didicisti, et credita sunt tibi : sciens a quo didiceris. Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *Ibid.* 3. 14. *et seq.*

Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 2. *Petr.* 1. 20. 21. *V. Apoc.* 1. 19.

SCRIPTURA *ad bonum adhortatur.*

In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi. *Psal.* 118. 11. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est, etc. *v.* 49. 50.

Quia mandatum lucerna est, et lex lux : et via vitæ, increpatio disciplinæ. *Prov.* 6. 23.

Cum prophetiæ defecerit, dissipabitur populus : qui vero custodit legem, beatus erit. *Ibid.* 29. 18.

Respicite, quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam. *Eccli.* 33. 18. *Item c.* 24. 47.

Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel et Judam, et adversum omnes gentes. *Jer.* 36. 2. *V. totum caput.*

Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis. *Luc.* 11. 52.

Si Moysen et prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexit, credent. *Ibid.* 16. 31.

Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis : quomodo verbis meis credetis? *Joan.* 5. 46. 47.

Qui (Thessalonicenses) susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. *Act.* 17. 11.

Vehementer enim Judæos revincebat publice (Apollo), ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum. *Ibid.* 18. 28.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram. 1. *Cor.* 10. 11.

Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, etc. 2. *Tim.* 3. 16.

Et habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. 2. *Petr.* 1. 19.

Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem : ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum a sanctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris. *Ibid.* 3. 1. 2.

SCRIPTURA *virtuosis manifestatur.*

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. *Psal.* 118. 66.

Qui quærit legem, replebitur ab ea : et qui insidiose agit, scandalizabitur in ea. *Eccli.* 32. 19.

Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum. *Matth.* 13. 11. *V. Marc.* 4. 11.

Beatus es Simon Bar Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. *Ibid.* 16. 17.

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant. *Luc.* 8. 10.

O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ! — Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. *Ibid.* 24. 25. 27. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *v.* 45.

Scrutamini Scripturas, etc. *Joan.* 5. 39.

Si quis voluerit voluntatem ejus (Dei) facere : cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, etc. *Ibid.* 7. 17.

SCRIPTURA *vitiosis obvelatur.*

Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum, usque ad tempus statutum : plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia. *Dan.* 12. 4. Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usque ad præfinitum tempus — Et impie agent impii; neque intelligent omnes impii; porro docti intelligent. *v.* 9.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis — Spiritum veritatis, etc. *Joan.* 14. 16. 17.

Scimus enim, quia lex spiritualis est. *Rom.* 7. 14.

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei — Spiritualis autem judicat omnia : et ipse a nemine judicatur — Nos autem sensum Christi habemus. 1. *Cor.* 2. 12. *et seq.*

Littera enim occidit : spiritus autem vivificat. 2. *Cor.* 3. 6.

Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. *Ibid.* 4. 3. 4.

In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. *Ibid.* 10. 5.

Stultas autem et sine disciplina quæstiones, devita. 2. *Tim.* 2. 23.

Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. *Ibid.* 3. 7.

Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, etc. 2. *Petr.* 1. 20. *V. v.* 21. *Item* 2. *Tim.* 3. 16.

SCRIPTURA *difficilis est intellectu.*

Et difficile æstimamus quæ in terra sunt : et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum (Dominus) quis scit, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis, etc. *Sap.* 9. 16. 17.

Interpretabatur illis (Christus duobus discipulis) in omnibus Scripturis. *Luc.* 24. 27. Tunc aperuit illis (Apostolis) sensum, ut intelligerent Scripturas. *v.* 43.

Accurrens autem Philippus (ad Eunuchum), audivit eum legentem Isaiam Prophetam, et dixit : Putasne intelligis quæ legis ? Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? etc. *Act.* 8. 30. 31. *V. versus sequentes.*

Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, etc. 2 *Petr.* 1. 20. *V. v.* 21.

(In Epistolis Pauli) sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. *Ibid.*3. 16.

SCRIPTURA. — *In Scripturis non omnia scriptis mandata sunt.*

Cætera verba bellorum Judæ (Machabæi), et virtutum, quas fecit, et magnitudinis ejus, non sunt descripta : multa enim erant valde. 1. *Mach.* 9. 22.

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum. quæ non sunt scripta in libro hoc. *Joan.* 20. 30.

Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt. *Ibid.* 21. 25.

Cætera autem, cum venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 34.

Itaque, fratres, state : et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. *Thess.* 2. 14.

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui : ut gaudium vestrum plenum sit. 2. *Joan.* *v.* 12.

Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. 3. *Joan.* *v.* 13.

SCRIPTURA *nec lex est judex, sed Sacerdos.*

Postquam autem (Rex) sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, etc. *Deut.* 17. 18. 19.

Et cum fuerit controversia, stabunt (sacerdotes) in judiciis meis, et judicabunt: leges meas, et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient. *Ezech.* 44. 24.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2. 7.

SEDITIO. *V. et* **Conjuratio.**

SEDITIO. — *Seditionis exempla et punitio.*

(Core, Dathan, et Abiron cum 250 viris), *Num.* 16. 1. *usque ad v.* 36. (Israelitæ), *v.* 41. *et seq. et c.* 20. 3. *et seq.* (Ephraimitæ), *Judic.* 12. 1. *per tot.* (Absalom), 2. *Reg.* 15. 10. (Ejusdem punitio), *c.* 18. 9. *et seq.* (Semei), *c.* 16. 5. 6. (Punitio ejus), 3. *Reg.* 2. 46. (Seba filius Bochri). 2. *Reg.* 20. 1. (Ejus punitio), *v.* 22. (Zambri), 3. *Reg.* 16. 9. (Punitio ejus), *v.* 18. 19. (Sedecias), 4. *Reg.* 24. 20. *et c.* 25. 6. 7. (Mallotæ et Tharsenses), 2. *Mach.* 4. 30. (Barabbas), *Marc.* 15. 7. *Luc.* 23. 19. (Theodas cum suis), *Act.* 5. 36. (Judas Galilæus), *v.* 37. (Quidam Judæi), *c.* 15. 1. 2. (Demetrius cum suis), *c.* 19. 23. *et seq. usq. ad finem capitis.*

SEMEN *divini verbi sapienter seminatur.*

Ecce exiit qui seminat, seminare. *Matth.* 13. 3.

Ecce exiit seminans ad seminandum, *Marc.* 4. 3. *Item Luc.* 8. 5.

SEMEN... *fraudulenter depravatur.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania, etc. *Matth.* 13. 25. 26. (*V. et versus sequentes*). Zizania autem, filii sunt nequam. Inimicus, autem, qui seminavit ea, est diabolus, etc. *v.* 38. 39.

SEMEN... *differenter acceptatur.*

Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea. *Matth.* 13.4,

Qui seminat, verbum seminat. *Marc.* 4. 14.

Semen, est verbum Dei. *Luc.* 8. 11.

Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem. *Hebr.* 6. 7. 8.

SEMEN... *prudenter segregatur.*

Mittite falces, quoniam maturavit messis — quia multiplicata est malitia eorum. *Joel.* 3. 13. *V. Apoc.* 14. 15. *et seq.*

Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. *Matth.* 9. 37. 37. *Item Luc.* 10. 2.

Servi autem dixerunt ei (patrifamilias): Vis, imus, et colligimus ea (zizania)? Et ait : Non — Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, etc. *Ibid.* 13. 28. *et seq.* Messis vero consummatio sæculi est — Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur ; sic erit in consummatione sæculi (hujus). *v.* 39. 40. *V. v.* 44.

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam : ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. *Joan.* 4. 35. 36. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. *v.* 38.

SEMEN *divini promissi honorificum.*

Et benedicentur in semine tuo (Abraham) omnes gentes terræ : quia obedisti voci meæ. *Gen.* 22. 18. *V. c.* 12. 3. *c.* 18. 18. *c.* 26. 4. *c.* 28. 14.

Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. *Act.* 3. 25.

Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus. *Gal.* 3. 16. *V. v.* 8.

SEMEN *boni operis fructiferum.*

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Psal.* 125. 5. 6.

Seminanti autem justitiam, merces fidelis. *Prov.* 11. 18.

Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale. *Oseæ.* 10. 12.

Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 2. *Cor.* 9. 6.

SEMEN *mali operis lethiferum.*

Recordare, obsecro te, quis enim unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? Quia potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, etc. *Job.* 4. 7. *et seq.*

Qui seminat iniquitatem, metet mala, et virga iræ suæ consummabitur. *Prov.* 22. 8.

Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. *Eccli.* 7, 3.

Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii. *Oseæ.* 10. 13.

SENECTUS *virtuosa a bonis honoratur.*

Coram cano capite consurge, et honora personam senis : et time Dominum Deum tuum. *Levit.* 19. 32.

In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. *Job.* 12. 12.

Igitur Eliu expectavit Job loquentem : eo quod seniores essent qui loquebantur. — Respondensque — dixit : Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam. Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. *Ibid.* 32. 4. *et seq.*

Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. *Prov.* 16. 31.

Dignitas senum, canities. *Ibid.* 20. 29.

Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. *Sap.* 4. 8. 9.

In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, etc. *Eccli.* 6. 35.

Ne spernas hominem in sua senectute :

etenim ex nobis senescunt. *Ibid*. 8. 7. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam, et doctrinam intellectus — Non te prætereat narratio seniorum — quoniam ab ipsis disces intellectum, etc. *v*. 9. *et seq*.

Quam speciosum canitiei judicium! — Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus et consilium! Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei. *Ibid*. 25. 6. *et seq*.

Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. 1. *Tim*. 5. 1.

Tu loquere quæ decent sanam doctrinam: Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, etc. *Tit*. 2. 1. *et seq*.

Adolescentes, subditi estote senioribus. 1. *Petr*. 5. 5.

SENECTUS *vitiosa reprobatur*.

Tres species odivit anima mea — pauperem superbum: divitem mendacem: senem fatuum et insensatum. *Eccli*. 25. 3. 4. *V. versus sequentes*.

Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. *Isa*. 65. 20.

Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. *Dan*. 13. 5. Inveterate dierum malorum. *v*. 52.

SENTIRE *idem*. *V*. **Concordia fratrum**.

SEPULTURA. — *Sepelire mortuos, opus est misericordiæ*.

Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre. *Gen*. 23. 19.

Et deficiens (Abraham) mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum: congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, etc. *Ibid*. 25. 8. 9. *V. c*, 35, 8.

Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. *Ibid* 35. 19. Consumptusque ætate (Isaac) mortuus est: et appositus est populo suo senex et plenus dierum: et sepelierunt eum Esau et Jacob filii sui. *v*. 29 *V*. *c*. 49. 29. 31.

En morior (ait Jacob): in sepulcro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur (ait Joseph), sepeliam patrem meum, ac revertar. *Ibid*. 50 5. Et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. *v*. 13. *V*. *v*. 25.

Mortuaque est ibi (in Cades) Maria (soror Moysi), et sepulta in eodem loco. *Num*. 20. 1.

Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus et sepultus est. *Deut*. 10. 6.

Non permanebit cadaver ejus (qui suspensus est in patibulo) in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno. *Ibid*. 21. 23.

Et post hæc, mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum et decem annorum: sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ, etc. *Josue*. 24. 29. 30. *V*. *v*. 32. *et* 35. *Item Judic*. 2. 9.

Et mortuus est (Jepthe), ac sepultus in civitate sua Galaad. *Judic*. 12. 7. *V*. *v*. 10. 12. *et* 15. *Item c* 8. 32. *et c*. 16. 31.

Mortuus est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum: et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. 1. *Reg*. 25. 1. *Item c*. 28. 3.

Veneruntque Jabes Galaad, et combusserunt ea ibi: et tulerunt ossa eorum (Saul regis et filiorum ejus), et sepelierunt in nemore Jabes. *Ibid*. 31. 12. 13.

Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, et sepelistis eum, etc. 2. *Reg*. 2. 5. Tuleruntque (servi David) Asael, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem. *v*. 32.

Cumque sepelissent Abner (Joab et populus) in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner: flevit autem et omnis populus. *Ibid*. 3. 32.

Dormivit igitur David cum patribus suis: et sepultus est in civitate David. 3. *Reg*. 2. 10. *V*. *Act*. 2. 29.

Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui. *Ibid*. 11. 43. *V*. 2. *Paral*. 9. 31.

Tulit ergo Prophetes cadaver viri Dei, et posuit super asinum — Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo: et planxerunt eum. *Ibid*. 13. 29. 30. *V*. *v*. 31.

Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David. *Ibid.* 14. 18. 31. *V. c.* 15. 8. 24. *c.* 16. 6. 28. *Item* 2. *Paral.* 12. 6.

Sepultusque est (Amasias) in Jerusalem cum patribus suis in civitate David. 4. *Reg.* 44. 20. *V. c.* 10. 35. *et c.* 12. 21. *et c.* 14. 20. *et c.* 15. 38. *et c.* 16. 20. *et c.* 21. 18. 26. *et c.* 23. 30.

(Mortuus est Asa), et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in civitate David, etc. 2. *Par.* 16. 14. *V. c.* 21. 1. *et c.* 22. 9.

Senuit autem Joiada plenus dierum, et mortuus est — Sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, etc. *Ibid.* 24. 15. 16. *V. v.* 25. *et c.* 25. 28. *c.* 27. 9. *c.* 28. 27. *c.* 32. 33. *c.* 34. 28.

Mortuusque est (Josias) et sepultus in mausoleo patrum suorum : et universus Juda et Jerusalem luxerunt eum. *Ibid.* 35. 24.

Mortuos ubi inveneris, signans commenda sepulcro, et dabo tibi primam sessionem in resurrectione mea. 4. *Esdr.* 2. 23.

Cum — Sennacherib — iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. *Tob.* 1. 21.

Cumque abiisset (filius Tobiæ), reversus nuntiavit ei (patri suo), unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens — jejunus pervenit ad corpus. Tollensque illud, portavit ad domum suam occulte, ut dum sol occubuisset, caute sepeliret eum. *Ibid.* 2. 3. 4. *V. v.* 7. 9. *et* 16.

Cum acceperit Deus animam meam (dixit Tobias filio suo), corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. *Ibid.* 4. 3. *V. v.* 5. *Item c.* 8. 13. 14. *c.* 14. 2. 1. *et* 16.

Quando orabas cum lacrymis (dixit Angelus Raphael ad Tobiam), et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Ibid.* 12. 12.

Mortuo non prohibeas gratiam. *Eccli.* 7. 37.

Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius : et non despicias sepulturam illius. *Ibid.* 38. 16.

(Judæi accusatores impii Menelai fuerunt per judicem iniquum morte damnati). Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. 2. *Mach.* 4. 49.

Et accedentes discipuli ejus (Joannis Baptistæ), tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud : et venientes nuntiaverunt Jesu. *Matth.* 14. 12. *V. Marc.* 6. 29.

Hic (Joseph ab Arimathæa) accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda ; et posuit illud in monumento suo novo, etc. *Ibid.* 27. 58. *et seq. Item Marc.* 15. 46. *Luc.* 23. 53.

Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. *Joan.* 19. 39. 40. *V. v.* 41. 42. *Item Act.* 13. 29. 1. *Cor.* 15. 4.

SEPULTURA *honorifica carere afflictio est, et iræ divinæ ac vindictæ signum.*

(Inquit Jehu) : Ite, et videte maledictam illam (Jezabel ejus jussu e fenestra præcipitatam), et sepelite eam : quia filia regis est. Cumque issent, ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus. Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu : Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens : In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel, sicut stercus super faciem terræ, etc. 4. *Reg.* 9. 34. *et seq.*

Mortuusque est (Joram) in infirmitate pessima, et non fecit ei populus, secundum morem combustionis, exequias, sicut fecerat majoribus ejus — Ambulavitque non recte, et sepelierunt eum in civitate David : verumtamen non in sepulcro regum. 2. *Par.* 21. 19. 20.

Effuderunt sanguinem eorum (servorum Dei) tanquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret. *Psal.* 78. 3.

(Quia peccaverunt Domino Judæi), non colligentur, et non sepelientur : in sterquilinium super faciem terræ erunt. *Jerem.* 8. 2. *Item c.* 14. 16. *c.* 16. 4. *c.* 25. 33.

Propterea, hæc dicit Dominus ad Joakim — regem Juda : Non plangent

eum, etc. Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem. *Ibid.* 22. 18. 19. *V. c.* 36. 30.

Et corpora eorum non sinent poni in monumentis. *Apoc.* 11. 9. *V. v.* 8.

SERMO *Christianorum. V.* **Loquenda, etc.**

SERPENS *æneus exigitur.*

Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem cum percussi aspicerent, sanabantur. *Num.* 21. 7. *et seq.*

SERPENS... *tollitur et appellatur Nohestan.*

Ipse (Ezechias) dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum : vocavitque nomen ejus Nohestan. 4. *Reg.* 18. 4.

SERPENS... *Cujus typum gesserit.*

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 14. 15.

SERVITUS. — *Servorum et ancillarum officium. V. Titul.* **Famulorum famularumque officium.** *Item* **Dominorum officium, etc.**

SERVITUS. — *Servorum bonorum exempla.*

(Servus Abraham), *Gen.* 24. 10. *per totum caput.* (Jacob dicens ad Laban) : Tu nosti quomodo servierim tibi — Modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es : benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. *c.* 30. 29. (Sic etiam Joseph fidelis servus Putipharis), *c.* 39. 8. *per totum caput.*

Dixeruntque servi regis (David) ad eum : Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur (nos) servi tui. 2. *Reg.* 15. (Sic etiam fideles illi servi), *Matth.* 18. 28. 32. *et c.* 25. 16. 17. (Item nobilis cujusdam servi, minas habentes), *Luc.* 12. 37. *et c.* 19. 16. 18. (Item servi Cornelii), *Act.* 10. 7.

SERVITUS. — *Servorum malorum exempla.*

(Pincerna et Pistor, duo eunuchi regis Pharaonis) *Genes* 40. 1.

(Servi Semei, aufugientes a domino suo). 3. *Reg.* 2. 39.

(Giezi servus Elisei, qui munera invito domino suo et inscio, mendax extorsit a Naaman). 4. *Reg.* 5. 20. *et seq. usque ad fin. capitis.*

Surrexerunt autem servi ejus (Joas), et conjuraverunt inter se, percusseruntque (dominum suum), et mortuus est. *Ibid.* 12. 20. 21. *V. idem* 2. *Par.* 24. 25.

(Sic etiam servi Amon tetenderunt insidias domino suo, et interfecerunt eum). *Ibid.* 21. 25.

(Sic etiam duo janitores palatii Assueri) volueruntque insurgere in regem, et occidere eum ; (quod fidelis Mardochæus impedivit). *Esther* 2. 21. *V. et* (alios malos servos), *Matth.* 24. 48. *et c.* 25. 18. 30. *Item Luc.* 12. 45. *et c.* 19. *v.* 20. 22.

SERVITUS *divina singularis.*

Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. *Deut.* 6. 13. *Item c.* 10. 20.

Usquequo claudicatis in duas partes (ait Elias ad populum Israel) ? Si Dominus est Deus, sequimini eum. 3. *Reg.* 18. 21.

Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. *Matth.* 4. 10. *Item Luc.* 4. 8.

Nemo potest duobus dominis servire ; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet, etc. *Ibid.* 6. 24. *Item Luc.* 16. 13.

Domino Christo servite. *Coloss.* 3. 24.

SERVITUS... *virtualis.*

Dixit autem Samuel ad populum : Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc : verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. 1. *Reg.* 12. 20. Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro. *v* 24.

Tu autem Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario. 1. *Par.* 28. 9.

Servite Domino in timore. *Psal.* 2. 11.

Servite Domino in lætitia. *Psal.* 99. 1.

Servus tuus (Domine) sum ego : da mihi intellectum, etc. *Psal.* 118. 125.

Ecce sicut oculi servorum — sicut oculi ancillæ — ita oculi nostri ad Dominum nostrum, etc. *Psal.* 122. 2.

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* 2. 1.

Servus meus es tu (Israel) eligi te, et non abjeci te. *Isa.* 41. 9. *V. v.* 8.

Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem (boves), qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe : et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam : et post hæc tu manducabis et bibes? Numquid gratiam habet servo illi : quia fecit quæ ei imperaverat? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. *Luc.* 17. 7. *et seq.*

Vos scitis (ait Paulus) a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, etc. *Act.* 20. 18.

Liberati autem a peccato, servi facti justitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Rom.* 6. 18. 19. *V. a v.* 16. *usq. ad finem.*

Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate Spiritus, et non in vestutate litteræ. *Ibid.* 7. 6. *V. v.* 25.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, etc. 1. *Cor.* 4. 1.

Non estis vestri; empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro. *Ibid.* 6. 19. 10. *V. c.* 7. *v.* 21. 22. *et* 23.

Nam cum liber essem ex omnibus (ait Paulus), omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. *Ibid.* 9. 19.

Sed in omnibus exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, etc. 2. *Cor.* 6. 4.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit. 2. *Tim.* 2. 4. *V. v.* 3. *et* 24.

Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam : per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia. *Hebr.* 12. 28.

SERVITUS... *salutaris.*

Custodit Dominus animas sanctorum suorum (scil. servorum). *Psal.* 96. 10.

Filii servorum tuorum (Domine) habitabunt : et semen eorum in sæculum dirigetur. *Psal.* 101. 29.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam; quoniam ego servus tuus sum. *Psal.* 142. 12.

Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde. *Isa.* 52. 13.

Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem : finem vero vitam æternam. *Rom.* 6. 22.

SERVITUS. — *Servus malus profectum domini negligit.*

Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? *Job.* 21. 15. *V. Malach.* 3. 14.

Quis autem unum acceperat (talentum), abiens, fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. *Matth.* 25. 18. 25. *V. Luc.* 19. 20.

Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri. *Rom.* 16. 18.

SERVITUS. — *Servus malus malum pœnæ incurrit.*

Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire : et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis : veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat : et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. *Matth.* 24. 48.

Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui — et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Luc.* 12. 47. 48. *V. v.* 45. *et* 46.

SERVITUS *peccati in se vitiosa.*

Amen, amen dico vobis : quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. *Joan.* 8. 34. *V. v.* 35.

Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? *Rom.* 6. 16. *V. versus sequentes usque ad finem capitis.*

Libertatem illis promittentes cum ipsi servi sint corruptionis : a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. 2. *Petr.* 2. 19.

SERVITUS *homini damnosa.*

Servus autem non manet in domo in æternum. *Joan.* 8. 35. *V. v.* 34.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6. 12. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. *v.* 20. *V. totum caput.*

SERVITUS *humana onerosa.*

Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait : Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. *Genes.* 9. 24. 25. *V. v.* 27.

Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi (ait Dominus Rebeccæ) ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. *Ibid.* 25. 23. *V. Rom.* 9. 13.

Eme nos in servitutem regiam (dixerunt Ægyptii ad Joseph), et præbe semina, ne pereunte cultore, redigatur terra in solitudinem. *Ibid.* 47. 19.

Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet. *Prov.* 12. 24.

Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. *Cor.* 7. 23. *V. v.* 21. 22. *Item c.* 6. 20.

SERVITUS. — *Servus bonus fideliter operatur.*

Filio doloso nihil erit boni : servo autem sapienti prosperi erunt actus, et dirigetur via ejus. *Prov.* 14. 15.

Servus sapiens dominabitur filiis stultis, etc. *Ibid.* 17. 2.

Servo sensato liberi servient. *Eccli.* 10. 28.

Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, etc. *Ephes.* 6. 5. 9. *V. v.* 7. *et* 8.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus : scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis, etc. *Coloss.* 3. 22. *et seq.*

Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt : sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti. 1. *Tim.* 6. 1. 2.

(Doce) servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, etc. *Tit.* 2. 9. 10.

Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, etc. *Ibid.* 3. 1. *V. et v.* 2.

Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis : sed etiam dyscolis. 1. *Petr.* 2. 18. *V. v.* 16.

SERVITUS. — ... *a domino suo utiliter remuneratur.*

Acceptus est regi minister intelligens, etc. *Prov.* 14. 35.

Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. *Ibid.* 22. 29.

Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua : non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. *Eccli.* 7. 22. 23.

Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua : quasi fratrem sic eum tracta — Si læseris eum injuste, in fugam convertetur. *Ibid.* 33. 31. 32.

Et vos, domini, eadem facite illis (servis vestris), remittentes minas ; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis : et personarum acceptio non est apud eum. *Ephes* 6. 9.

Domini, quod justum est et æquum, servis præstate : scientes quod et vos Dominum habetis in cœlo. *Coloss.* 4. 1.

SERVITUS. — *Servus malus oscitanter operatur.*

Cibaria, et virga, et onus asino : panis, et disciplina, et opus servo. Operatur in disciplina, et quærit requiescere : laxa manus illi, et quærit libertatem. *Eccli.* 33. 25. 26.

SERVITUS. — ... *a domino decenter coercetatur.*

Servus verbis non potest erudiri : quia quod dicis, intelligit, et respondere contemnit. *Prov.* 29. 19. Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum cotumacem. *v.* 21.

Jugum et lorum curvant collum durum:

et servos inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortura, et compedes : mitte illum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum : sic enim condecet illum. Quod si non obedierit, curva illum compedibus, etc *Eccli.* 33. 27. *et seq.*

SEVERITAS. — *Severitatis Dei erga delinquentes exempla.*

(Ergo Hevam), *Gen.* 3. 16. (Adamum), *v.* 17. *et seq.* (Erga totum mundum in diluvio), *c.* 7. 23. (Sodomitas), *c.* 19. 25. (Pharaonem), *Exod.* 14. 28. (Amalecitas), *c.* 17. 13. (Israelitas vitulum aureum adorantes), *c.* 32. 27. 28. (Blasphemum), *Levit.* 24. 14. 23. (Populum Israeliticum), *Num.* 11. 33. (Colligentem ligna in die Sabbati), *c.* 15. 36. (Core, Dathan, et Abiron), *c.* 16. 31. 32. (Moysen et Aaronem), *c.* 20. 12. (Achan), *Josue.* 7. 25. (Tribum Benjamin, quæ, jubente Domino, tota, exceptis sexcentis viris, est deleta), *Judic.* 20. 47. 48. (Bethsamitas), 1. *Reg.* 6. 19. (Saulem), *c.* 13. 14. *et c.* 15. *v.* 23. 26. 28. (Filios Saulis), 2. *Reg.* 21. 9. (Ezechiam), 4. *Reg.* 20. 17. (Sarajam, Sophoniam, et tres janitores), *c.* 25. 18. (Ozam), 1. *Paral.* 13. 10. (Oziam), 2. *Paral.* 26. 19. (Filias Sion), *Isa.* 3. 16 *et seq.* (Babylonem), *Jerem.* 51. 1. *per totum.* (Heliodorum), 2. *Mach.* 3. 25. (Antiochum), *c.* 9. 8. *et seq.* (Servum nequam), *Matth.* 18. 34. (Hominem non habentem vestem nuptialem), *c.* 22. 13. (Servum inutilem), *c.* 25. 30. (Ananiam), *Act.* 5. 5. (Saphiram), *v.* 10. (Hærodem), *c.* 12. 23.

SIGNUM. — *Signa futurorum.*

(Dixit Dominus ad Noe, et filios ejus) : Hoc est signum fœderis, quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas : arcum meum (id est iridem) ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me, et inte terram, etc. *Gen.* 9. 11. *V. v* 17.

Videte, ut sabbatum meum custodiatis : quia signum est inter me et vos in generationibus vestris. *Exod.* 31. 13. *V. c.* 3. 12. *et c.* 16. 28. *et seq.*

(Exploratores occultati a meretrice Rahab in urbe Jericho), dixerunt ad eam : Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos : si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos. *Josue* 2. 17. 18. *V. v.* 12.

(Signum, quod petiit Gedeon a Domino in vellere lanæ). *Judic.* 6. 36. *et seq. usq. ad finem capitis.*

Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni, et Phinees : in die uno morientur ambo. 1. *Reg.* 2. 34.

Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem : Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicentque tibi : Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas : et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, etc. *Ibid.* 10. 1. 2. *V. et versus sequentes, præcipuæ v.* 7. *et* 9.

Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium : quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim. 2. *Reg.* 5. 24. *Item* 1. *Paral.* 14. 15.

Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum : Comede hoc anno quæ repereris : in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur : porro in tertio anno seminate, et metite : plantate vineas, et comedite fructum earum, etc. 4. *Reg.* 19. 29. *V. Isa.* 37. 30.

Chirographum — illius (Gabeli) penes me habeo (dixit Tobias filio suo); quod dum illi ostenderis, statim restituet (pecuniam). *Tob.* 5. 3.

Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est : Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. *Isa.* 38. 7. 8. *V. c.* 5. 26. *c.* 7. 11. *c.* 18. 3. 19. 20.

Et hoc vobis signum (dixit Angelus ad pastores in Christi nativitate) : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. *Luc.* 2. 12.

SIGNUM. — *Signa in memoriam præteritorum.*

(Dixit Dominus ad Moysen et Aaron) : Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per fa-

milias et domos suas, etc. *Exod.* 12. 3.

Loquere filiis Israel (ait Dominus ad Moysen), et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eas vittas hyacinthinas, etc. *Num.* 15. 38. *V. c.* 16. 38.

Dixitque Dominus ad Moysen : Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. *Ibid.* 17. 10. *V. Josue c.* 4. 6.

SIGNUM. — *Signa et miracula fiunt, ut per ea omnipotentia, veritas, justitia, et bonitas Dei innotescant.*

(Moyses tribus signis a Deo acceptis, in Ægyptum cum uxore proficiscitur). Dixit ergo (Deus) ad eum : Quid est quod tenes in manu tua? Respondit : Virga. *Exod.* 4. 2. Dixitque Dominus rursum : Mitte manum tuum. Quam cum misit in sinum, protulit leprosam instar nivis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ. *v.* 17. *V. totum caput. Item c.* 7. 3. *c.* 8. 23. *c.* 10. 1. 2.

Hæc igitur dicit Dominus : In hoc scies quod sim Dominus : ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et verretur in sanguinem, etc. *Ibid.* 7. 17.

Audivi murmurationes filiorum Israel; loquere ad eos : Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus : scietisque quod ego sum Dominus Deus vester. *Ibid.* 16. 12.

In hoc, inquit (Josue), scietis, quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, et disperdet in conspectu vestro Chananæum, Hethæum, Hevæum, et Pherezæum, Gergesæum quoque, et Jebusæum, et Amorrhæum. Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem, etc. *Josue* 3. 10. 11. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem : et sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. *v.* 14.

Cumque audisset rex (Jeroboam) sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens : Apprehendite eam. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum : nec valuit retrahere eam ad se. 3. *Reg.* 13. 4. *V. v.* 3. *et* 5.

Hæc autem dicit Dominus Deus Israel (ait Elias viduæ Sarephranæ) : Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. *Ibid.* 17 14.

Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. *Ibid.* 18. 38. 39. *V. c.* 20. *v.* 13. 14. 28.

Descendit (Naaman leprosus), et lavit in Jordane septies, juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. 4. *Reg.* 5. 14.

Cui (Ezechiæ) ait Isaias : Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est. Vis, ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus. *Ibid.* 20. 9. *V. Isa.* 38. 7. 8.

Et dicit eis (discipulis) Jesus : Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. *Matth.* 8. 26. *V. Marc.* 4. 39. 40. *et Luc.* 8. 24. 25.

Et ecce offerabant ei (Jesu) paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Ibid.* 9. 2. *V. Marc.* 2. 3. *et seq. Item Luc.* 5. 18. *et seq.*

Respondens autem Petrus, dixit : Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. *Ibid.* 14. 28. *V. versus sequentes. Item c.* 12. 38. 39. *c.* 16. 4. *Luc.* 11. 29. *Joan.* 6. 30. *et* 1. *Cor.* 1. 22. *c.* 14. 22.

SILERE *est valde utile.*

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est : et pretiosi spiritus vir eruditus. *Prov.* 17. 27.

Tempus tacendi, et tempus loquendi. *Eccles.* 3. 7.

Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum. *Eccli.* 20. 6. *v.* 5. *et* 7. *Item c.* 19. 28.

Et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba tædii, et murmurationum, et tempus causabitur. *Ibid.* 29. 6.

In multis esto quasi inscius, et audi ta-

cens simul et quærens. *Ibid.* 32. 12. *V. v.* 9. 10. *et* 13. *Item Jacob.* 1. 19.

SIMONIA *non est licita.*

Ad quæ respondens Daniel (scilicet quod rex obtulerat ei præmia pro interpretatione litterarum in pariete scriptarum, si indicaret illi), ait coram rege : Munera tua sint tibi, et dona domus tuæ alteri da : scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem ejus ostendam tibi. *Dan.* 5. 17.

(Alcimus accedens ad Demetrium regem, accusavit Judam Machabæum, et obtulit regi coronam auream, et alia dona, quibus effecit ut summum sacerdotium ei a rege conferretur). 1. *Mach.* 7. 5. *et* 2 *Mach.* 14. 3. *et seq.*

(Ait Jesus Apostolis) : Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10 8.

Cum vidisset autem Simon (a quo accepit Simonia nomen), quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens : Date et mihi hanc postestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, etc. *Act.* 8. 18. *et seq.*

Omnia ostendi vobis (dixit Paulus), quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare, quam accipere. *Ibid.* 20. 35. *V. v.* 33. 34.

Ego autem nullo horum usus sum (scil. de Evangelio non vixi, neque de altari, ne vobis offendiculum darem). Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me, etc. 1. *Cor.* 9. 15. *V. v.* 18.

Et cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia : et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo. 2. *Cor.* 11. 9. *V. v.* 7. *Item* 1. *Thess.* 2. 9.

Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? *Ibid.* 12. 13. *V.* 2. *Thess.* 3. 8.

SIMONIA *pœnis gravibus percutitur.*

(De impio rege Jeroboam narratur) : Fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum : quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et deleta de superficie terræ. 3. *Reg.* 13. 33. 34.

(Simoniacus fuit Giezi, servus Elisei, quia pro gratia spirituali, Naaman Syro a domino suo collata, vestes accepit et argentum ; sed ob hoc crimen in sempiternum cum semine suo factus est) leprosus quasi nix. 4. *Reg.* 5. 26. 27.

(Impiissimus Jason, oblatis plurimis argenti talentis, ab Antiocho summum comparavit sacerdotium ; ob quam causam Dei cultus et sacrificia plane contempta fuerunt, et ad gentium ritum translata. Ipse vero Jason propterea misere periit). 2. *Mach.* 4. *v.* 7. *et seq. Item. v.* 14. *et* 26.

(Menelaus, triennio postquam Jason factus est summus sacerdos, majorem pecuniam obtulit Antiocho, et Pontificatum obtinuit, nihil dignum habens sacerdotio. Sed funeste postea, et tragice, Deo vindice, mortuus est). *Ibid. v.* 24. *et c.* 13. 4. *et seq. V. et* (terribilem mortem Alcimi impiissimi Simoniaci). 1. *Mach.* 9. 55. 56.

(Judas proditor vendendo Christum Dei Filium, detestandam commisit simoniam : et ob id laqueo se suspendens), crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. *Act.* 1. 18. *V. Matth.* 27. 5.

Non est tibi pars, neque sors in sermone isto (dixit Petrus Simoni mago) : cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua : et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, etc. *Ibid.* 8. 21. 22. *V. v.* 20. 23. *et* 24.

SIMPLICITAS *commendatur et describitur.*

Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. *Prov.* 28. 6. Qui ambulat simpliciter, salvus erit. *v.* 18. *V. c.* 11. 3. 5. *et c.* 19. 1.

Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10. 16.

(Christiani primi erant) quotidie — perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, etc. *Act.* 2. 46. *V.* 3 *Reg.* 9. 4.

Volo vos sapientes esse in bono (inquit

Paulus), et simplices in malo. *Rom.* 16. 19. *V. c.* 12. 8.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo. 2. *Cor.* 1. 12.

Altissima paupertas eorum (commendat Paulus Macedones) abundavit in divitias simplicitatis eorum. *Ibid.* 8. 2. *V.* 1. *Mach.* 2. 37.

Ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. *Ibid.* 9. 11. *V. v.* 13. *et c.* 11. 3. *Item Job* 2. 9. *et c.* 12. 4.

Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione. *Philipp.* 2. 15.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. *Coloss.* 3. 22. *V. Ephes.* 6. 5.

SIMPLICITAS. — *Simplicibus et abjectis hominibus revelat Deus subinde suum verbum, et abscondit illud sapientibus in oculis suis.*

Inventusque est in ea (civitate) vir pauper, et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. *Eccles.* 9. 15. *V. Prov.* 29. 10. *Sap.* 1. 1.

Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. *Isa.* 29. 18. Et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem. *v.* 24.

Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. *Ibid.* 32. 4.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos (pastores), et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. *Luc.* 2. 9. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. *v.* 15.

Quod (miraculum) cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. *Ibid.* 5 8.

In ipsa hora exultavit (Christus) Spiritu Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ ; quod abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam Pater : quoniam sic placuit ante te. *Ibid.* 10. 21. *Idem habetur Matth.* 11. 25. 26.

Videntes autem (principes Judæorum, etc) Petri constantiam, et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur : et cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant. *Act.* 4. 13.

Ubi sapiens? ubi Scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 1. *Cor.* 1. 20. 21. *V. reliquum capitis.*

Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. *Ibid.* 2. 1.

SIMPLICITAS. — *Simplex et rectus.*

Dixitque ad eum (Abimelech) Deus : Et ego scio, quod simplici corde feceris : et ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi, ut tangeres eam (scil. Saram uxorem Abraham). *Genes.* 20. 6. *V. v.* 5. *et c.* 25. 27.

Dixitque Dominus ad eum (Satanam) : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo ? *Job.* 1. 8. *V. et v.* 1. *Item c.* 2. 3. *et c.* 33. 3.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10. 16. *V. Act.* 2. 46.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt ; et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium. *Rom.* 16. 17. 18.

Servi, obedite dominis carnalibus, cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. *Ephes.* 6. 5.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. *Coloss.* 3. 22.

Simplici ex corde invicem diligite attentius. I. *Petr.* 1 22.

SIMULATIO, *et hypocrisis fugienda. V. et* **Hypocrisis.**

Congregatio enim hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job.* 15. 34.

Ne sis incredibilis timori Domini : et ne accesseris ad illum duplici corde. *Eccli.* 1. 36. *V. et v.* 37. *et* 40.

Stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuam faciat animam esurientis, et potum sitienti auferat. *Isa.* 32. 6. *V. v.* 5. *et* 7.

Habitatio tua (Israel) in medio doli : in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus, etc. *Jerem.* 9. 6. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est : in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. *v.* 8. *V. Psal.* 27. 3.

Non enim ætati nostræ dignum est, inquit (Eleazarus), fingere : ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum ; et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur : et per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram, etc. 2. *Mach.* 6. 24. 25. *V. Matth. c.* 23. *per totum. Item* 1. *Petr.* 2. 1.

SOBRIETAS. *V.* **Abstinentia, et Temperantia.**

SOBRIETAS *commendatur.*

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa, (mortis). *Luc.* 21. 34. *V. Eccli.* 31. 32. *et seq.*

Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13. 14. *V. Gal.* 5. 16. 17. *Item* 1. *Petr.* 2. 11.

Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus. 1. *Thess.* 5. 6 *V. v.* 8. *Item* 1. *Tim.* 3. 2. *Item* 2. *Tim.* 1. 7. *et c.* 4. 5. *Tit.* 1. 8 *et c.* 2. 2. 3. *et seq.*

Abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. *Tit.* 2. 12. *V. Ephes.* 5. 18.

Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, etc. 1. *Petr.* 1. 13.

Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, etc. *Ibid.* 5. 8.

SOCIETAS. *V. et.* **Consortium.**

SOCIETAS *bonorum quærenda, et ejus fructus exempla.*

(Considerandum est valde, quod si inventi fuissent Sodomis decem viri justi, propter illos pepercisset Dominus universis). *Gen.* 18. 32.

(Dixit Jacob ad Laban) : Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es : benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. *Ibid.* 30. 30.

(Jacob habuit Deum socium, et propterea dixit familiaribus suis) : Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Domino : qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. *Ibid.* 35. 3.

Benedixitque Dominus domui Ægyptii (Putiphar) propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus, quam in agris cunctam ejus substantiam. *Ibid.* 39. 5.

Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, et seniorum — qui noverunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. *Josue.* 24. 31.

(Ex parte Sauli missi sunt lictores ad capiendum David morantem cum Samuele in Ramatha, et prophetaverunt et ipsi : venit autem et Saul ad ipsos prophetantes, qui prophetavit et ipse cum eis). 1. *Reg.* 19. 20. *V. reliquos versus hujus capitis.*

Cum sancto sanctus eris ; et cum robusto perfectus. Cum electo electus eris : et cum perverso perverteris. 2. *Reg.* 22. 26. 27.

(Propter honorem Josaphat regis Juda, Deum colentis, Eliseus propheta impetravit aquas pro exercitu, in quo erant duo alii mali reges). 4. *Reg.* 3. 14. *et seq.*

(Homines Deum timentes volebat habere secum Tobias in convivio). *Tob.* 2. 2. (Et hoc ipsum docuit filium suum, dicens): Noli — manducare, et bibere cum peccatoribus. *c.* 4. 18. *Item* (diligenter voluit scire, cum quo socio iturus esset filius suus). *c.* 5. *v.* 16. *et* 19.

(Dicebat Sara filia Raguelis) : Nunquam cum ludentibus miscui me : neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. *Ibid.* 3. 17.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne

cogitarem quidem de virgine. *Job*. 31. 1.

Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris : et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. *Psal*. 17. 26. 27.

Non sedi cum concilio vanitatis : et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignantium : et cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas, etc. *Psal*. 25. 4. *et seq*. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam, etc. *v*. 8. 9.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur. *Prov*. 13 20.

In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere : ut omnem narrationem Dei possis audire — Et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. *Eccli*. 6. 35. 36. *V. c*. 8. *v*. 9. 10. 11. *et* 12.

Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo, et cum sapientibus tracta. Viri justi sint tibi convivæ, etc. *Ibid*. 9. 21. 22.

Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis simili sui sociabitur. *Ibid*. 23. 20.

(Egresso crudeli mandato regis Nabuchodonosor, quo debebant interfici cuncti sapientes Babylonis, hortatus est Daniel socios suos, ut quærerent simul misericordiam a Domino : et revelata est nocte visio Danieli. Unde occasione Danielis servi sui pepercit rex Magis et sapientibus Babylonis). *Dan. et seq. per totum caput*.

(Post obitum Judæ Machabæi emerserunt iniqui, et facta est fames valida, et impios constituit Bacchides dominos regionis; et facta est tribulatio magna in Israel : quæ omnia mala forsitan non accidissent, si Israelitæ adhuc Judam socium habuissent). 1. *Mach*. 9. 23.

(Cum primus septem fratrum Machabæorum in sartagine torreretur, cæteri cum matre ad moriendum fortiter se invicem hortabantur). 2. *Mach*. 7. 3. 5.

(Veniebat Judas Machabæus ad capiendum Scythopolim civitatem ; sed propter Judæos, qui intus habitabant, erga quos Scythopolytæ benigni erant, nil eis mali fecit : imo, gratias agens, hortatus est eos), de cætero erga genus suum benignos esse. *Ibid*. 12. 30. 31.

(Quamdiu Petrus fuit cum Apostolis, firmus et securus mansit, sed postquam fuit in atrio principis sacerdotum, cum ministris ejus et ancillis se calefaciens, Dominum negare cœpit). *Matth*. 26. 58. 69. *et seq*. *Marc*. 14. 66. *et seq*. *Luc*. 22. 55. *et seq*. *Joan*. 18. 16. *et seq*.

(Statim ac cæcus natus a Domino luce donatus, extra Synagogam a Pharisæis ejectus fuit, Dominus noster inter suos fideles eum recepit). *Joan*. 9. 35.

(Cum essent omnes discipuli pariter perseverantes unanimiter in oratione in cœnaculo, venit Spiritus Sanctus super eos, etc.) *Act*. 2. 3. 4.

(Homines, qui erant cum Paulo in navi, gravissima tempestate exorta, occasione Pauli, quem habebant socium, fuerunt omnes salvati ; nam dixit ei Angelus Domini) : Ne timeas, Paule — ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. *Ibid*. 27. 24. *et* 44. *V. totum caput*.

SOCIETAS *malorum fugienda, et ejus fructuum exempla*.

(Salubriter exivit Abraham de Chaldæa, ubi erant homines corrupti idololatria. *Gen*. 12. 5. (Unde postea hoc pro beneficio Dominus commemorat, dicens) : Ego Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum, etc. *c*. 15. 7.

(Quam difficile sit malorum consuetam societatem dimittere, patet in Lot cum suis, qui de medio Sodomorum vix per Angelum extrahi potuerunt). Cumque esset mane, cogebant eum (Lot) Angeli, dicentes : Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias, quas habes : ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi, etc. *Ibid*. 19. 15. 16.

(Ludus Ismaelis cum Isaac displicuit Saræ). *Ibid*. 21. 9.

(Noluit Jacob ambulare cum malo fratre, licet placasset eum muneribus, et valde instaret, et signa dilectionis ostenderet). *Ibid*. 33. 12. *et seq*.

Dixit (Moyses) ad turbam (filiorum Israel) : Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. *Num*. 16. 26.

(Dixit Dominus Moysi) : Præcipe filiis Israel, et dic ad eos : Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius — Sin autem nolueritis interficere — qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, etc. *Ibid.* 33. 51. 55.

(Occasione Achan, qui tulit de anathemate Jericho, fuit populus in prælio superatus ab hostibus). *Josue* 7. 5. *per totum caput.*

Quod si volueritis (ait Josue Israelitis) gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere : et cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare : jam nunc scitote, quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, etc. *Ibid.* 23. 12. 13.

Cum sancto sanctus eris; et cum robusto perfectus. Cum electo electus eris; et cum perverso perverteris. 2. *Reg.* 22. 26. 27. *Item Psal.* 17. 26. 27.

Cui (Josaphat) occurrit Jehu filius Hanani Videns, et ait ad eum : Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris : sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum, ut requireres Dominum, Deum patrum tuorum. 2. *Par.* 19. 2. 3.

(Eliseus propheta dixit Josaphat regi Juda) : Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, etc. *Ibid.* 20. 37.

Noli æmulari in malignantibus : neque zelaveris facientes iniquitatem. *Psal.* 36. 1.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. *Prov.* 1. 10. *V. versus sequentes.*

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam : declina, et desere eam, etc. *Ibid.* 4. 14.

Non concupiscat pulchritudinem ejus (mulieris) cor tuum, nec capiaris nutibus illius pretium enim scorti vix est unius panis : mulier autem viri pretiosam animam capit. *Ibid.* 6. 25. 26. *V. vers. seq.*

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur. *Ibid.* 13. 20.

Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis. *Ibid.* 20. 19.

Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. *Ibid.* 22. 10. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, etc. *v.* 24. *versus* 25. *et* 26.

Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus. *Ibid.* 23. 6. Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto tota die. *v.* 17. *V. v.* 20.

Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis. *Ibid.* 24. 1. Time Dominum, fili mi, et regem : et cum detractoribus non commiscearis. *v.* 21. *V. et v.* 19.

Abominantur justi virum impium : et abominantur impii eos, qui in recta sunt via. *Ibid.* 29. 27.

Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. *Eccli.* 7. 2.

Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. *Ibid.* 8. 1. Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te : ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries. *v.* 18. *V. totum caput. Item totum caput* 9.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit suberbo, induet superbiam. *Ibid.* 13. 1. *V. v.* 2.

(Non fuit inter fideles Christi numeratus cæcus ille natus, quem Dominus videre fecit, donec a synagoga fuit a Pharisæis ejectus). *Joan.* 9. 35.

Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis (Paulus), segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. *Act.* 19. 9.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? 2. *Cor.* 6. 14. *V. versus sequentes. Item* 1. *Cor.* 5. 9. *et seq.*

Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. *Ephes.* 5. 11. *V.* 2. *Thess.* 3. 14.

Alexander ærarius multa mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundum opera ejus : quem et tu devita. 2. *Tim.* 4. 14. 15.

Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem : Exite de illa (Babylone), populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. *Apoc.* 18. 4.

SODOMIA. *V.* **Impudicitia contra naturam.**

SOL. — *Sol et luna creantur.*

Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos : ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. *Gen.* 1. 14. 15. *V. Psal.* 135. 7. 8. 9. *Item Jerem.* 31. 35.

SOL. — ... *steterunt ad imperium Josue.*

Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis : Sol, contra Gabaon ne movearis, et Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, etc. *Josue* 10. 12. 13. *V. Eccli.* 46. 5.

SOL *retrocessit decem gradibus ad petitionem Ezechiæ, et preces Isaiæ.*

Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram (Solis) per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus. 4. *Reg.* 20. 11. *V. Isa.* 38. 8.

SOL *amittit lumen suum.*

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam. *Matth.* 27. 45. *Idem testatur Marc.* 15. 33. *Item Luc.* 23. 44. 45.

SOLLICITUDO *nimia improbanda.*

Sex diebus operaberis : septimo die cessabis arare, et metere. *Exod.* 34. 21.

Quod si dixeritis : Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras ? Dabo benedictionem meam vobis (inquit Dominus) anno sexto, et faciet (terra) fructus trium annorum. *Levit.* 25. 20. 21. *V. totum contextum.*

Afflixit te (Deus) penuria, et dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu et patres tui : ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3.

Quid est homo (Domine), quia magnificas eum ? cor tuum ? Visitas eum diluculo, et subito probas illum. *Job* 7. 17. 18. *V. Psal.* 8. 5.

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo. *Psal.* 54. 23.

Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione. *Psal.* 144. 15. 16. *V. Psal.* 103. 27. 28.

Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet. *Prov.* 10. 3.

Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis. *Ibid.* 13. 25.

Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum ? *Matth.* 6. 25. *V. v.* 31. *et* 34.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, etc. *Ibid.* 10. 9. *V. Marc.* 6. 8. *Item Luc.* 9. 3. *et c.* 10. 4.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum (Dei) audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. *Ibid.* 13. 22. *V. Marc.* 4. 19.

At illi (discipuli) cogitabant intra se, dicentes : Quia panes non accepimus. Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis ? etc. *Ibid.* 16. 7. 8. *V. Marc.* 8. 16. *et seq.*

Quod autem in spinas cecidit : hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, et non referunt fructum. *Luc.* 8. 14.

Cum autem inducent vos in synagogas, etc. nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. 12. 11. 12. Ideo dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Anima plus est quam vestimentum. *v. V. v.* 26. *et Item Matth.* 10. 19. 20.

Et cœperunt (invitati ad cœnam) simul omnes excusare. Primus dixit : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. Rogo te, habe me excusatum, etc. *Ibid.* 14. 18. *V. versus sequentes. Item Matth.* 22. 5.

Volo autem vos sine sollicitudine esse.

Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. 1. *Cor.* 7. 32. 33.

Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Philipp.* 4. 6.

Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. 1. *Tim.* 6. 8. *V. totum context. Item Prov.* 27. 27.

Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam, etc. *Hebr.* 13. 5.

Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis : omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 1. *Petr.* 5. 6. 7.

SOMNIA *et Visiones, quibus olim Deus suam voluntatem aperiebat.*

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem, quam tulisti : habet enim virum. *Genes.* 20. 3.

Viditque (Jacob) in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac : Terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo, etc. *Ibid.* 28. 12. 13.

Viditque (Laban, Jacob fugientem insequens) in somnis dicentem sibi Deum : Cave, ne quidquam aspere loquaris contra Jacob *Ibid.* 31. 24. *V. et v.* 11. *Item c.* 37. 5. *et c.* 40. 8. 16.

Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchræ et crassæ nimis : et pascebantur in locis palustribus, etc. *Ibid.* 41. 1. *et seq. V v.* 5. *et seq.*

Profectusque Israel cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum juramenti : et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum, per visionem noctis, vocantem se, et dicentem sibi : Jacob, Jacob : cui respondit : Ecce adsum. Ait illi Deus : Ego sum fortissimus Deus patris tui : noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. *Ibid.* 46. 1. *et seq.*

Dixit (Deus) ad eos (Aaronem et Mariam sororem Moysi) : Audite sermones meos : Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, etc. *Num.* 12. 6.

Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo : et in hunc modum referebat quod viderat : Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere : cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit. Respondit is cui loquebatur : Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas, viri Israelitæ : tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, et omnia castra ejus. Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit : et reversus est ad castra Israel, et ait : Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian, etc. *Judic.* 7. 13. *et seq.*

(Samuel quater a Domino vocatus, revelationem accepit). 1. *Reg. c.* 3. *per totum.*

Consuluitque (Saul) Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. *Ibid.* 28. 6.

Dixitque Nathan ad regem (David) : Omne quod est in corde tuo, vade, fac : quia Dominus tecum est. Factum est autem in illa nocte, et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens : Vade, et loquere ad servum meum David : Hæc dicit Dominus : Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum ? etc. 2. *Reg.* 7. 3. *Item* 1. *Paral.* 17. 2. *et seq.*

Abiit itaque (Salomon) in Gabaon, ut immolaret ibi : illud quippe erat excelsum maximum : mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis, ut dem tibi, etc. 3. *Reg.* 3. 4. 5. *Item* 2. *Paral.* 1. 7. *et seq.*

Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. *Job* 7. 14.

Semel loquitur Deus — Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo : tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina. *Ibid.* 33. 14. *et seq.*

In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus ejus, et somnium

ejus fugit ab eo. *Dan.* 2. 1. *V. totum caput. Item* (aliud somnium Nabuchodonosor). *c.* 4. *per totum.*

(Visio Danielis de quatuor bestiis, quatuor regna designantibus, etc.) *Ibid. c.* 7. *per totum caput. Item* (visio de ariete duorum cornuum, et hirci cornu unius, et postea quatuor cornuum, etc.) *c.* 8. *per tot. V.* 2. *Mach.* 15. 11. *et seq.*

Hæc autem eo cogitante (scil. Joseph), ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est, etc. *Matth.* 1. 20.

Et responso accepto (Magi) in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi, etc. *Ibid.* 2. 12. 13. *V. v.* 19. *et* 22.

Cum autem pertransissent Mysiam (Paulus, et Timotheus) descenderunt Troadem : et visio per noctem Paulo ostensa est : Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. *Act.* 16. 8. 9.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : Noli timere, sed loquere, et ne taceas. Propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi, ut noceat te : quoniam populus est mihi multus in hac civitate. *Ibid.* 18. 9. 10.

Sequenti autem nocte, assistens ei (Paulo) Dominus, ait : Constans esto : sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari. *Ibid.* 23. 11.

Astitit enim mihi (Paulo) hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, et cui deservio, dicens : Ne timeas, Paule; Cæsari te oportet assistere : et ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. *Ibid.* 27. 23. 24.

SOMNIA *et visiones, quæ non conveniunt cum doctrina Christi et Ecclesiæ, sunt contemnenda.*

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra. *Deut.* 13. 1. *et seq. V. v.* 5. *Item Jerem.* 27. 9.

Vana spes, et mendacium viro insensato : et somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia, etc. *Eccli.* 34. 1. 2. *V. v.* 3.

Hæc dicit Dominus exercituum : Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. *Jerem.* 23. 16. Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes : Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui ? etc. *v.* 25. 26. *v.* 32.

Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, et divini vestri : et ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis : quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo : et non misi eos, dicit Dominus. *Ibid.* 29. 8. 9. *V. c.* 14. *et c.* 27. 9.

SOMNIA. — *Observatio profana.*

Non augurabimini, nec observabitis somnia. *Levit.* 19. 26.

Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur : nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum : multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. *Eccli.* 34. 6. 7.

SOROR. *V.* **Fraternitas.**

SORS. — *Sortium missionis praxis.*

(Sacerdos) duos hircos stare faciet coram Domino — mittensque super utrumque sortem — cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato — (alterum) statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et emittat eum in solitudinem. *Levit.* 16. 7. *et seq.*

Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem : singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio : ita duntaxat ut sors terram tribubus dividat et familiis. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.

Num. 26. 54. *et seq. V. c.* 36. 2. *Item Deut.* 1. 38. *et c.* 31. 7.

Ego enim dedi vobis illam (terram Chanaan) in possessionem, quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. *Ibid.* 33. 53. 54. *V. Josue.* 15. 1. *et c.* 16. 1. *et c.* 17. 1. *et c.* 19. 1. 51. *et c.* 22. 7.

Explorata urbe Hai, cedit populus Israel hostibus propter furtum de anathemate Jericho; quapropter, missa sorte, Achan lapidatur jussu Domini). *Jos. c.* 7. *per tot.*

Itaque perrexerunt (viri a Josue missi), et lustrantes eam (terram), in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo. Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel in septem partes. *Ibid.* 18. 9. 10. *V. v.* 6. *et* 11. *Item* 1. *Paral.* 24. 5. *et c.* 25. 8. 9. *et c.* 26. 13. *Luc.* 1. 9.

(Ungitur Saul in regem a Samuele, datis ac succedentibus signis, prophetat inter prophetas, et missis sortibus a Samuele, confirmatur in regem, etc). 1. *Reg.* 10. 20.

(Sorte Jonathas captus est, et vix mortem evasit). *Ibid.* 14. 42.

Habitaverunt autem, principes populi in Jerusalem : reliqua vero plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus. 2. *Esd.* 11. 1.

Missa est sors in urnam, — quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici. *Esth.* 3. 7.

Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. *Psal.* 21. 19. *V. Matth.* 27. 35. *Marc.* 15. 24. *Luc.* 23. 34. *Joan.* 19. 24.

Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. *Prov.* 16. 33.

Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat. *Ibid.* 18. 18. *V. Isa.* 34. 17.

Et dixit vir ad collegam suum : Venite, et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes : et cecidit sors super Jonam. *Jonæ.* I. 7.

Et dederunt sortes eis (Joseph et Mathiæ), et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. *Act.* 1. 26. *V. et v.* 17.

SORS *spiritualis.*

Convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos, per fidem, quæ est in me (ait Jesus Paulo). *Act.* 26. 18.

In quo etiam (Christo) et nos sorte vocati sumus, prædestinati, etc. *Ephes.* 1. 11.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. *Coloss.* 1. 12.

SPES *justorum non in temporalibus rebus, sed in Deo, ejusque promissionibus fundatur.*

Et multiplicabo semen tuum (ait Deus ad Isaac) sicut stellas cœli : daboque posteris tuis universas regiones has : et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias, legesque servaverit. *Gen.* 26. 4. 5. *V. c.* 12. 3. *c.* 18. 18 *c.* 22. 17. 18. *c.* 28. 14. *c.* 48. 4. *Item Act.* 3. 25.

Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus : ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum. *Judic.* 7. 2. Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos : et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat : quem ire prohibuero, revertatur. *v.* 4. *V. tot. caput.*

Et reversus est populus (Israel) ad castra : dixeruntque majores natu de Israel : Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim ? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. 1. *Reg.* 4. 3.

Dixit autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, et dabit te Dominus in manu mea, etc. *Ibid.* 17. 45. 46. *V. c.* 22. 3.

Et accedens unus vir Dei, dixit ad (Achab) regem Israel : Hæc dicit Dominus : Quia dixerunt Syri : Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium : dabo multitudinem hanc grandem in manu tua, et scietis quia ego sum Dominus. 3. *Reg.* 20. 28.

(Dixit Joab fratri suo Abisai) : Confor-

tare, et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri : Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet. 1. *Par.* 19. 13. *Item* 2. *Reg.* 10 12.

Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ : erit enim merces operi vestro (ait Azarias ad regem Asa). 2. *Par.* 15. 7.

In tempore illo venit Hanani Propheta ad Asa regem Juda, et dixit ei : Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua, etc. *Ibid.* 16. 7. *V. c.* 25. 8.

In nobis quidem non est tanta fortitudo (ait Josaphat), ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te (Deus). *Ibid.* 20. 12. Audite me, viri Juda, et omnes habitatores Jerusalem (ait idem Rex) : credite in Domino Deo vestro, et securi eritis : credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. *v.* 20. *V. et v.* 15.

Viriliter agite, et confortamini : nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem, quæ est cum eo : multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. Cum illo enim est brachium carneum : nobiscum Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. *Ibid.* 32. 7. 8.

Capiatur (Domine, Holofernes) laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis caritatis meæ, etc. *Judith.* 9. 13.

Etiam si occiderit me (Deus), in ipso sperabo. *Job.* 13. 15.

Sperent in te qui noverunt nomen tuum ; quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. *Psal.* 9. 11. *V. Psal.* 4. 6. 10. *et Psal.* 5. 12.

Ego autem in misericordia tua speravi (Domine). Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini altissimi. *Psal.* 12. 6.

Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confundistis : quoniam Dominus spes ejus est. *Psal.* 13. 6. *V. Psal.* 17. 2.

Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. *Psal.* 19. 8.

In te (Domine) speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos, etc. *Psal.* 21. 5. Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ, etc. *v* 10. *V. v.* 6. *et* 9. *Item Psal.* 20. 8.

Deus meus, in te confido, non erubescam : neque irrideant me inimici mei. *Psal.* 24. 2. 3.

Expecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Psal.* 26. 14. *V. v.* 3. *et Psal.* 7. 7.

Inclina ad me aurem tuam, accelera; ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias : (nam in te, Domine, speravi, etc). *Psal.* 30. 3. *V. v.* 7. 15. 20. *et* 25. *Item Psal.* 70. *v.* 1. 5. 14.

Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. *Psal.* 31. 10.

Ecce oculi Domini super metuentes eum : et in eis, qui sperant super misericordia ejus. *Psal.* 32. 18. *V. v.* 21. *et* 22. *Item Psal.* 33. 9. 23. *et* 35. 8.

Spera in Domino, et fac bonitatem ; et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. *Psal.* 36. 3. *V. v.* 5. *et* 40. *Item Psat.* 37. 16.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas. *Psal.* 39. 5.

Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus. *Psal.* 41. 6. 7. *V. v.* 12. *Item Psal.* 42. 5. *et* 51. 10. *et* 54. 24. *et* 55. 5. 11. *et* 56. 2.

In Deo salutare meum, et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Sperate in eo, omnis congregatio populi, etc. *Psal.* 61. 8. 9. *V. Psal.* 63. 11.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe. *Psal.* 64. 6.

Mihi autem adhærere Deo bonum est : ponere in Domino Deo spem meam. *Psal.* 72. 28. *V. Psal.* 77. 7, *Psal.* 83. 13 *Psal.* 85. 2. *Psal.* 118. *v.* 42. 43 49. 74. 81. 114. 147.

Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum. *Psal.* 90. 2. *V. v.* 4. 9. 14.

Domus Israel speravit in Domino : adjutor eorum, et protector eorum est. *Psal.* 113. 9. Qui timent Dominum, speraverunt in Domino : adjutor eorum, et protector eorum est. *v.* 11. *V. et v.* 10

Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine : bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Psal.* 117. 8. 9. *V. Psal.* 124. 1.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino. *Psal.* 126.6. *V. v.* 5. *Item Psal.* 130. 3.

Clamavi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea. portio mea in terra viventium. *Psal.* 141. 6. *V. Psal.* 143. 2.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. *Psal.* 145. 5, 6. *V. Psal.* 146. 11.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* 3. 5. *V. c.* 14. 26.

Qui sperat in Domino, beatus est. *Ibid.* 16. 20.

Ut sit in Domino fiducia tua, unde et ostendi eam tibi hodie. *Ibid.* 22. 19.

Qui se jactat, et dilatat, jurgia concitat : qui vero sperat in Domino, sanabitur. *Ibid.* 28. 25.

Qui timet hominem, cito corruet : qui sperat in Domino, sublevabitur. *Ibid.* 29. 25.

Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. *Ibid.* 30. 5.

Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum (justorum) immortalitate plena est. *Sap.* 3. 4. Qui confidunt in illo (Deo), intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi : quoniam donum et pax est electis ejus. *v.* 9.

Crede Deo, et recuperabit te : et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce. *Eccli.* 2. 6. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? etc. *v.* 12. *V. v.* 9.

Humiliare Deo, et expecta manus ejus. *Ibid.* 13. 9.

In benedictione Dei et ipse speravi. *Ibid.* 33. 17.

Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. *Ibid.* 34. 14. *V. sequentes versus.*

Et erit in die illa — innitetur (Israel) super Dominum Sanctum Israel in veritate. *Isa.* 10. 20.

Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. *Ibid.* 26. 4. *V. c.* 14. 32.

Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in Sancto Israel exultabunt. *Ibid.* 29. 19.

Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum, etc. *Ibid.* 30. 1. Quia hæc dicit Dominus, Deus Sanctus Israel : Si revertimi, et quiescatis, salvi eritis : in silentio, et in spe erit fortitudo vestra. *v.* 15.

Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; et super equitibus, quia prævalidi nimis; et non sunt confisi super Sanctum Israel, et Dominum non requisierunt. *Ibid.* 31. 1. *V. Mich.* 5. 10. *et seq.*

Quod si responderis mihi : In Domino Deo nostro confidimus : nonne ipse est cujus abstulit Ezechias excelsa, et altaria, et dixit Judæ et Jerusalem : Coram altari isto adorabitis? etc. *Ibid.* 36. 7. *V.* 4. *Reg.* 18. 22.

Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laboravit, nec est investigatio sapientiæ ejus. Qui dat lasso virtutem, et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. *Ibid.* 40. 28. 29. *V. v.* 31. *Item c.* 50. 10.

Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, etc. *Jerem.* 2. 33.

Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini; templum Domini, templum Domini est. *Ibid.* 7. 4.

Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia facio misericordiam et judicium et justitiam in terra : hæc enim placent mihi, ait Dominus. *Ibid.* 9. 23. 24.

Benedictus vir, qui confidit in Domino; et erit Dominus fiducia ejus. *Ibid.* 17. 7. *V. v.* 17. *Item Joel.* 3. 16.

Et liberabo te in die illa, ait Dominus : et non traderis in manus virorum, quos tu formidas : sed eruens liberabo te, et gladio non cades; sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. *Ibid.* 39. 17. 18. *V. c.* 48. 7.

Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea expectabo eum. *Thren.* 3. 24. *V. v.* 25.

Et scient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus : pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel. *Ezech.* 26. 6.

Et tu ad Deum tuum converteris : misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. *Oseæ* 12. 6.

Nolite credere amico : et nolite confidere in duce : ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. *Mich.* 7. 5. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum : audiet me Deus meus. *v.* 7.

Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis : et sciens sperantes in se. *Nahum* 1. 7.

Et ait Judas : Facile est concludi multos in manu paucorum : et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis, etc. 1. *Mach.* 3. 18. *V. versus sequentes. Item* 2. *Mach.* 15. 7.

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. *Matth.* 10. 37. *V. Luc.* 14. 26.

Et in nomine ejus Gentes sperabunt. *Ibid.* 12. 21. *V. Rom.* 15. 12.

Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire ! *Marc.* 10. 24.

Spe — salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat ? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. *Rom.* 8. 24. 25.

Non simus fidentes in nobis, sed in Deo. 2. *Cor.* 1. 9. *V. v.* 7. *et* 10.

Quibus voluit Deus (scil. sanctis suis) notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, etc. *Coloss.* 1. 27.

Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis — memores operis fidei vestræ, et laboris, et caritatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum. 1. *Thess.* 1. 2. 3.

Paulus Apostolus Jesu Christi, secundum imperium Dei, Salvatoris nostri, et Jesu Christi spei nostræ. 1. *Tim.* 1. 1.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum). *Ibid.* 6. 17.

Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. *Hebr.* 3. 6. *V. c.* 6. *v.* 11. 18. 19. *et c.* 10. 23.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revelationem Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 13. Qui per ipsum (Christum) fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis — ut fides vestra, et spes esset in Deo. *v.* 21. *V. c.* 3. 15.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (Deum) : quoniam ipsi cura de vobis. *Ibid.* 5. 7. *V. Psal.* 54. 23.

Et omnis qui habet hanc spem in eo (Deo), sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 1. *Joan.* 3. 3.

SPES *non facit securos, nec excludit timorem.* *V.* **Timor.**

SPES *impiorum evanescet, et vana sunt omnia, in quibus confidunt.*

An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam ? sic est Pharao rex Ægypti, omnibus qui confidunt in eo. 4. *Reg.* 18. 21. *V. Isa.* 36. 6.

Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit. *Job* 8. 18. *V. v.* 14.

Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio animæ. *Ibid.* 11. 20.

Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur : et hominem ergo similiter perdes. *Ibid.* 19. 19.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Ibid.* 20. 4. *V. c.* 40. 28.

Expectatio justorum lætitia : spes autem impiorum peribit. *Prov.* 10. 28.

Justitia simplicis diriget viam ejus : et in impietate sua corruet impius. *Ibid.* 11. 5. Desiderium justorum omne bonum est; præstolatio impiorum furor. *v.* 23. *V. c.* 25. 19.

Quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur : et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur : et tanquam fumus, qui a vento diffusus est : et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis, etc. *Sap.* 5. 15. *V. c.* 3. 11.

Noli anxius esse in divitiis injustis : non enim proderunt tibi in die obductionis, et vindictæ. *Eccli.* 5. 10. *Item Prov.* 11. 28.

Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. *Isa.* 28. 15. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans, cum transierit, eritis ei in conculcationem, etc. *v.* 18. *V. v.* 17.

Propterea hæc dicit Sanctus Israel : Pro eo quod reprobatis verbum hoc, et sperastis in calumnia, et in tumultu, et innixi estis super eo, etc. *Ibid.* 30. 12. Et dabit Dominus vobis panem arctum, et aquam brevem : et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum ; et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, etc. *v.* 2. *et* 3. *Item c.* 31. 1. *et c.* 47. 10.

Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, et ad ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet istud, quare perierit terra, et exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat? etc. *Jer.* 9. 12.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. *Ibid.* 17. 7. *V. v.* 5. *et* 17. *Item c.* 48. 7.

SPES *ex præteritis et jam compertis beneficiis concipienda.*

Minor sum (inquit Jacob) cunctis miserationibus tuis (Domine), et veritate tua, quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum : et nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, etc. *Gen.* 32. 10. 11.

Noli metuere (Israel), sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis — Non timebis eos, etc. *Deut.* 7. 18. 21. *V. tot. caput. Item Paral.* 20. 7.

Si exieris (Israel) ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus, et currus, et majorem quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos : quia Dominus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. *Ibid.* 20. 1.

Et ait David : Dominus, qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. 1. *Reg.* 17. 37.

Non timebo millia populi circumdantis me — Quoniam tu (Domine) perussisti omnes adversantes mihi sine causa. *Psal.* 3. 7. 8.

Quoniam tu es (Dominus), qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero : de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me, etc. *Psal.* 21. 10. *et seq. Item Psal.* 70. 5. 6.

Fidelis Deus, per quem vocati estis. 1. *Cor.* 1. 9. (Ipse) et confirmabit vos usque in finem sine crimine. *v.* 8.

(Deus), qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet. 2. *Cor.* 1. 10.

Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. *Philipp.* 1. 6. *V.* 1. *Thess.* 5. 24. *Item* 2. *Petr.* 1. 3.

Liberavit me Dominus ab omni opere malo ; et salvum faciet in regnum suum cœleste. 2. *Tim.* 4. 18.

SPES. — *Sperantium in Deum exempla.*

(Ezechias) in Domino Deo Israel speravit : itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda ; sed neque in his, qui ante eum fuerunt, etc. 4. *Reg.* 18. 5.

Humiliatique sunt filii Israel in tempore illo, et vehementissime confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum. 2. *Par.* 13. 18.

Et fuit Dominus cum Josaphat, quia — non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, etc. *Ibid.* 17. 3. *V. c.* 20. 15. *et seq.*

Dixit Judith : Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, etc. *Judith* 13. 17. *V. tot Librum.*

Etiamsi occiderit me (Deus), in ipso sperabo — et ipse erit Salvator meus. *Job.* 13. 15. *V.* c. 19. 27.

Non sis tu (Deus) mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. *Jerem.* 17. 17.

Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. *Thren.* 3. 21. *V. v.* 29.

(Liberata a morte Susanna), exclamavit — omnis cœtus voce magna, et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se. *Dan.* 13. 60. Erat enim cor ejus (Susannæ) fiduciam habens in Domino. *v.* 35.

(Fratres Machabæi ob eximiam spem, quam habebant in Deo, morti se tradiderunt. Vide totam præclarissimam de hac re historiam). 2. *Mach. c.* 7.

(Paulus habebat magnam spem in Deo, etc). *Act.* 24. 15. *V. Ephes.* I. 12. *Item* 1. *Tim.* 4. 10.

SPINÆ *et tribuli propter peccatum Adæ.*

Spinas et tribulos germinabit tibi (terra, o Adam) — In sudore vultus tui vesceris pane. *Gen.* 3. 18. 19.

SPINÆ *appellantur sollicitudines hujus mundi, divitiæ, et voluptates vitæ mundanæ.*

Alia autem (semina) ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. *Matth.* 13. 7. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. *v.* 22.

Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones. *Ibid.* 19. 22. *Idem habetur Marc.* 10. 22.

Et aliud (semen) cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. *Luc.* 8. 7. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. *v.* 14. *Idem habetur Marc.* 4. 7. 18. *et* 19.

Adhuc unum tibi deest (ait Jesus juveni diviti) : Omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est. *Ibid.* 18. 22. 23.

SPIRITUS *Sanctus est verus Deus.*

Spiritus Dei ferebatur super aquas. *Gen.* I. 2.

Spiritus Domini (ait David) locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. 2. *Reg.* 23. 2. *V. Isa.* 48. 16.

Spiritus ejus (Dei) ornavit cœlos, etc. *Job.* 26. 13.

Spiritus Dei fecit me. *Ibid.* 33. 4.

Verbo Domini cœli firmati sunt : et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psal.* 32. 6.

Emittes Spiritum tuum. et creabuntur, etc. *Psal.* 103. 30.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum. *Sap.* 1. 7. *V. v.* 5.

(Israelitæ) ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum (Sanctum). *Isa.* 63. 10. Spiritus Domini ductor ejus (Israel) fuit : sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. *v.* 14. *V. et v.* 11.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Matth.* 10. 19. 20. *Marc.* 13. 11. *Luc.* 12. 11. 12.

Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Ibid.* 12. 31. 32. *V. Marc.* 3. 28. 29. *Luc.* 12. 10.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Ibid.* 28. 19.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, etc. *Joan.* 14. 26. *V. v.* 16. 17. *et c.* 15. 26. *et c.* 16. 7.

Dixit autem Petrus (ad Ananiam) : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? etc. Non es mentitus hominibus, sed Deo. *Act.* 5. 3. 4. *V. et v.* 9. (de Saphira).

Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. *Ibid.* 13. 2. *V. v.* 4. *et* 9.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Ibid.* 20. 28. *V. v.* 23.

Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* 8. 26. *V. v.* 9. 11. 14. 15. 16. *et* 27.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei — (nam) quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. 1. *Cor.* 2. 19. 11. *V. versus sequentes.*

Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. 1. *Ibid.* 3. 16. 17. *V. c.* 6. 11.

Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. *Ibid.* 6. 11. *V. v.* 19.

(Variis dantur varia Spiritus Sancti charismata). Hæc autem omnia operatur

unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. *Ibid.* 12. 11. *V. v.* 13.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. 2. *Cor.* 13. 13.

Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei : in quo signati estis in diem redemptionis. *Ephes.* 4. 30.

Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. 2. *Tim.* 1. 14.

(Deus) secundum suam misericordiam, salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum ; ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. *Tit.* 3. 5. *et seq.*

Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. 1. *Joan.* 5. 6. 7.

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. *Apoc.* 2. 7. *Quæ verba pluries repetuntur tam in hoc capite, quam in sequenti.*

Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam : effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. *Isa.* 44. 3.

Et dabo eis cor unum, et Spiritum novum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum. *Ezech.* 11. 19. *Idem repetitur c.* 36. 26. 27.

Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim Spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus. *Ibid* 39. 29.

SPIRITUS *Sanctus promittitur.*

Effundam Spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ : senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. *Joel.* 2. 28. *V. v.* 29. *Item Act.* 2. 17. 18.

Ego quidem (dicebat Joannes) baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. *Matth.* 3. 11. *V. Marc.* 3. 8. *Luc.* 3. 16. *Joan.* 1. 33. *Act.* 1. 5. 8. *et* 16. *Item c.* 11. 16. *et c.* 19. 2.

Hoc autem dixit (Jesus) de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. *Joan.* 7. 39.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, etc. *Ibid.* 14. 16. 17. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *v.* 26.

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Ibid.* 15. 26.

Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis, ut ego vadam ; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos, etc. *Ibid.* 16. 7. *V. v.* 13. *et seq.*

SPIRITUS *Sanctus mittitur.*

Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes (discipuli) pariter in eodem loco : et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, etc. *Act.* 2. 1. *V. totum caput. Item c.* 10. 44. *et seq. et c.* 19. 6.

SPIRITUS *Dei edocet mentes.*

Perge igitur (ait Dominus ad Moysen), et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. *Exod.* 4. 12.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris : firmabo super te oculos meos. *Psal.* 31. 8.

(Ego ponam, ait Dominus), universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis. Et in justitia fundaberis. *Isa.* 54. 13. 14.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Matth.* 10. 19. 20.

Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. *Marc.* 13. 11.

Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. *Luc.* 12. 11. 12.

Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Ibid.* 21. 14.

Est scriptum in prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. *Joan.* 6. 45.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, etc. *Ibid.* 14. 16. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero. *v.* 26.

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Ibid.* 15. 26.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem : non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, etc. *Ibid.* 16. 13. *V. v.* 7. *et* 14.

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. *Rom.* 8. 16. Similiter autem et spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *v.* 26. *V. v.* 9. 11. 14. *et* 27.

Qui (Deus) et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2. *Cor.* 1. 22.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. *Ibid.* 5. 5.

In quo (Christo) et vos cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, etc. *Ephes.* 1. 13. 14. *V. c.* 4. 23. 30.

Et vos unctionem, quam accepistis ab eo (Deo), maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos : manete in eo, etc. 1. *Joan.* 2. 27.

SPIRITUS *probandi sunt, an ex Deo sint.*

Et dixerunt illi (Judith) Ozias, et presbyteri : Omnia, quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. *Judith* 8. 28. Et dixit illis Judith : Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis : ita quod facere disposui, probate, si ex Deo est, etc. *v.* 30. *et* 31.

Prophetæ autem duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent. 1. *Cor.* 14. 29.

Omnia autem probate : quod bonum est, tenete. 1. *Thess.* 5. 21.

Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 1. *Joan.* 4. 1. *V. v.* 2. *et* 3.

SPONSUS *spiritualis Ecclesiæ est Christus.*

Quia dominabitur tui qui te fecit. Dominus exercituum nomen ejus : et redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. *Isa.* 54. 5.

Non vocaberis ultra Derelicta : et terra tua non vocabitur amplius Desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur. *Ibid.* 62. 4. *V. v.* 5. *et* 12.

Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum. *Jerem.* 31. 22.

Et transivi per te (Jerusalem), et vidi te : ecce tempus tuum, tempus amantium : et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam. Et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi, etc. *Ezech.* 16. 8. *V. versus sequentes.*

Et ait illis Jesus (discipulis Joannis) : Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt. *Matth.* 9. 15.

Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades exierunt obviam sponso et sponsæ. *Ibid.* 25. 1. *V. versus sequentes usque ad v.* 13. *Item c.* 22. 2. *et seq.*

Et ait illis Jesus (discipulis Joannis) : Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. *Marc.* 2. 19. *Idem Habetur Luc.* 5. 34. 35.

Qui habet sponsam, sponsus est (ait Joannes) : amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. *Joan.* 3. 29.

Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. 2. *Cor.* 11. 2.

Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. *Ephes.* 5. 24. *V. totum contextum.*

Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei (Deo) : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. *Apoc.* 19. 7. *V. v.* 9.

Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam, ornatam viro suo. *Ibid.* 21. 2. *V. v.* 9.

SPONSA *Christi. V.* **Ecclesia.**

STRAGES.

(Terribilis hominum et aliorum animalium strages fuit, quando, tempore Noe, omnes homines, præter octo, diluvio perierunt). *Gen.* 7. 21. *V. totum caput. Item* 1. *Petr.* 3. 20.

(Illi quatuor reges, qui debellaverunt quinque reges, magnam cædem hominum fecerunt, pugnando contra illos, licet eorum numerus non sit scriptus) : Et percusserunt omnem regionem. *Ibid.* 14. 7.

(Numerus hominum, qui variis plagis perierunt in Ægypto, et qui submersi sunt in mari rubro, nequit omnino supputari). *Exod. c.* 12. *et c.* 14.

(De sexcentis millibus hominum bellatorum, a viginti annis et supra, nullus intravit terram promissionis, sed omnes interierunt in deserto variis calamitatibus, præter Caleb et Josue). *Num.* 11. 31. *et c.* 14. 30.

(Filii Israel, præcepto Moysis, de Madianitis maximam fecerunt cædem; quod patet ex hoc, quia) omnes mares occiderunt; (et Moyses præcepit eis, dicens) : Cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis : et mulieres — jugulate. *Ibid.* 31. 7. *et* 17.

(De cæde urbis Jericho, ejusque habitatorum), *V. Josue* 7. 21. *et* 24. *Item* (de cæde urbis Hai habitatorum, imo et regis ejus), s. *Ibid.* 8. *a v.* 19. *usq. ad* 30.

(Multa millia hominum temporibus Debboræ, Gedeonis et Jephte fuerunt occisa). *Judic. c.* 4. *usq. ad* 13.

(Percussit Jephte) viginti civitates — plaga magna nimis. *Ibid.* 11. 32.

(Samson excæcatus et illusus ab hostibus, plures interfecit moriens, quam vivus : nam vivus cum maxilla asini mille viros interfecit). *Ibid.* 15. 16. (Sed moriens destruxit totam domum, quæ) erat plena virorum ac mulierum, (et in qua erant) omnes principes Philisthinorum : ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson, (omnes interfecit secum). *c.* 16. 27.

(Occasione uxoris Levitæ, fuerunt occisa plurima millia hominum bellatorum de tribu Benjamin, præter mulieres et parvulos) : nec erat ulla requies morientium. *Ibid.* 20. 43.

(In diebus Heli, quando fuit capta arca Domini), facta est plaga magna nimis : et ceciderunt de Israel triginta millia peditum, etc. 1. *Reg.* 4. 10.

(Percussit Jonathas et armiger ejus plaga prima viginti viros; sed postea facta est) cædes magna nimis. *Ibid.* 14. 14. *et* 20.

Percussitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur. *Ibid.* 15. 7.

(Interfecto per David Goliath, multi Philisthæi fuerunt occisi). *Ibid.* 17. 52.

(In morte Saul et filiorum ejus multi de Israel ceciderunt). *Ibid.* 31. 1. 2. *Item* 1. *Paral.* 10. 1. 2.

(Pro peccato a David in numeratione populi commisso), mortui sunt ex populo — septuaginta millia virorum. 2. *Reg.* 24. 15. *Item* 1. *Paral.* 21. 14.

V. (stragis magnæ descriptionem), 3. *Reg.* 20. 21. *et* 29.

(Percussit Angelus Domini in una nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, propter Rabsacis blasphemias, et ipse Sennacherib rex, surgens diluculo, et videns corpora mortuorum, recedens interfectus est a filiis suis in templo idolorum suorum). *Reg.* 19. 35. *et seq. V.* 2. *Paral.* 32. 22. *Isa.* 37. 36. 1. *Mach.* 7. 41. 2. *Mach.* 8. 19. *et c.* 15. 22.

(Abia percussit et vulneravit) ex Israel quingenta millia virorum fortium. 2. *Par.* 13. 17.

(Asa Zaram, regem Æthiopum, cum exercitu mille millium divino auxilio concidit ad internecionem). *Ibid.* 14. *a v.* 9. *usq ad fin.*

Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die uno,

omnes viros bellatores : eo quod reliquissent Dominum, etc. *Ibid.* 28. 6. *V. v.* 8.

(Occiderunt Judæi in regno Assueri septuaginta quinque millia hominum). *Esth.* 9. 16.

(Occisi sunt uno die centum millia hominum de Antiochenis). 1. *Mach.* 11. 48. *V. v.* 74. *et c.* 10. 85.

(Tanta cædes hominum fuit in Jerusalem, quando Antiochus eam cepit, ut toto triduo interfecti fuerint octoginta millia, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati). 2. *Mach.* 5. 14.

Adversus Galatas — sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cœlo. *Ibid.* 8. 20.

(Judas Machabæus occidit in primo conflictu) super novem millia hominum (de illis, qui erant cum Nicanore) *Ibid.* *v.* 24. (Deinde cum Timotheo et Bacchide) super viginti millia. *v.* 30.

(Iterum plus quam viginti millia peremit). *Ibid.* 10. 23

(Rursus undecim millia peditum, et equitum millia sexcenta interfecit). *Ibid.* 11. 11. (Lege totum librum, et invenies innumerum numerum occisorum).

STULTITIA. — *Stultiloquium mulierum.* *V.* **Mulierum stultiloquium.**

STULTITIA. — *Stultorum et stultitiæ, seu stulte factorum exempla.*

(Ait Laban ad Jacob) : Stulte operatus es, etc. *Gen.* 31. 28.

(Aaron et soror ejus Maria detraxerunt Moysi ; et ideo Maria lepra repente infecta est : quamobrem Aaron) ait ad Moysen : Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus. *Num.* 12. 11. (Sic et Israelitæ stulti vocantur). *Deut.* 32 6. *et Jerem.* 4. 22. *et c.* 5. 21. (Saul, uti arguit eum Samuel). 1. *Reg.* 13. 13. (Sic et Saul de seipso fatetur) : Apparet enim quod stulte egerim, etc. *Ibid.* 26. 21.

(David apud Achis regem Geth, stultum se et dementem præ timore simulat). 1. *Reg.* 21. 13.

(Vide historiam de stulto Nabal, qui certe ob stultitiam suam periisset, nisi prudens ejus uxor Abigail pro eo apud David intercessisset). *Ibid.* 25. 25.

(Vere stulte nimis egit David in numeratione populi, uti pœnitens hic confitetur Deo). 2. *Reg.* 24. 10. *Item* 1. *Paral.* 21 8.

(Hanani propheta regi Asa dixit) : Stulte igitur egisti, et propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent : (sed nihilominus perrexit Asa in stultitia sua, et pœnam sensit). 2. *Paral.* 16. 9. *et seq.*

(Job uxori suæ respondit) : Quasi una de stultis mulieribus locuta es, etc. *Job* 2. 10. *V. c.* 5. 2. *et seq.*

Intelligite, insipientes in populo : et stulti, aliquando sapite. *Psal.* 93. 8.

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Prov.* 13. 9. 29. *V. v.* 1. 3. 7. 8. 9. 14. 16. 18. *et* 24. *Item c.* 15. *v.* 2. 5. 7. 14. 20. *et* 21.

Honor est homini, qui separat se a contentionibus : omnes autem stulti miscentur contumeliis. *Ibid.* 20. 3. *V. c.* 12. 15. 23. *et c.* 13. 16. *et c.* 17. 16. 28. *et c.* 18 *v.* 2. 6. 7. *et* 13. *et c.* 19. *v.* 3. 10.

Quomodo nix in æstate, et pluviæ in messe : sic indecens est stulto gloria. *Ibid.* 25. 1. *V. v.* 4. 4. *et seq.*

Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus. *Ibid.* 27. 22. *V. c.* 10. *v.* 8. 14. 23. *et c.* 24. *v.* 7. 8. 9. *et c.* 30. 2. 32.

Stultornm infinitus est numerus. *Eccles.* 1. 15 *V. c.* 4. *v.* 5. 13. *et* 17. *Item c* 6. 8. *et c.* 7. *v.* 5. 6. 10. *et* 18. *et c.* 10. *per plures versus.*

Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius. *Ibid.* 10. 2. *V. v.* 3. 6. 14. *et* 15.

Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens, vix tacite ridebit. *Eccli.* 21. 23. In ore fatuorum cor illorum : et in corde sapientium, os illorum. *v.* 29. *V. v.* 17. 19. 21. 25 26. 27. *et* 28. *Item c.* 22. *v.* 7. 14 *et seq. et c.* 33. 5.

Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. *Isa.* 19. 11. *V. v.* 13. *et c.* 32. 6.

Non est audita (disciplina) in terra Chanaan, neqne visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ, et intelligentiæ ; viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. *Baruch* 3. 22. 23. *V. v.* 28.

Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto qui

ædificavit domum suam super arenam, etc. *Matth.* 7 26. *V. c.* 25. 2. 3. 8. *Item Marc* 7. 22. *Luc.* 6. 44.

(Stultos appellat Christus Pharisæos). *Ibid.* 23. 17.

(Avaro bona colligenti in annos plurimos, dicitur) : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te : quæ autem parasti, cujus erunt? *Luc.* 12. 20.

O stulti et tardi corde ad credendum! (ait Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus). *Ibid.* 24. 25.

Quia cum (Gentes) cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, etc. *Rom.* 1. 21. 22. *V. Galat.* 3. 1. 3.

Nec nominetur in vobis — aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. *Ephes.* 5. 34. *V.* 1. 31.

STULTITIA *est apud Deum sapientia hujus mundi.*

Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. *Cor.* 1. 18. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. *v.* 23 *V. v.* 21. 25. *et* 27.

Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum. *Ibid.* 3. 19. *V. c.* 4. 10.

STUPOR. — *Stuporis exempla.*

(Isaac cum benedixisset Jacob, adveniente postmodum Esau), expavit — stupore vehementi : et ultra quam credi potest admirans, ait, etc. *Gen.* 27. 33.

(Regina Saba), postquam vidit — sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, necnon et cibaria mensæ ejus, et habitacula servorum, et officia ministrorum — et victimas, etc. non erat præ stupore ultra in ea spiritus. 2. *Paral.* 9. 3. 4. *V.* 3. *Reg.* 10. 5.

(Ozias et Presbyteri Bethuliæ cum vidissent Judith), stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem ejus. *Judith* 10. 7. (Quod et contigit exploratoribus Assyriorum) : erat (enim) in oculis eorum stupor, quoniam, etc. *v.* 14.

(Valde obstupuit Nabuchodonosor, videns tres pueros sine læsione ambulantes in medio ignis). *Dan.* 3 91. (Sic et Daniel ipse stupuit ad visionem, quam habuit anno tertio regis Balthassar). *c.* 8. 27.

Et stupebant omnes turbæ (propter miracula Christi), et dicebant : Numquid hic est filius David? *Matth.* 12. 23. *V. Marc.* 6. 51. *Luc.* 2. 47. *et c.* 9. 44.

Sic et stupebant (omnes) super doctrina ejus (Jesu) : erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribæ. *Marc.* 1. 22. *V. Luc.* 4. 32.

Stupor enim circumdederat eum (Petrum), et omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. *Luc.* 5. 9.

(Paulus) tremens dixit : Domine, quid me vis facere? (in sua miraculosa conversione). *Act.* 9. 6. (Sic et viri), qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. *v.* 7. *V. c.* 8. 13. (de stupore Simonis magi).

SUBDITI *et Superiores.*

SUBDITI *Principem facile imitantur.*

Ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan, (quia et rex Jeroboam hoc præceperat, idolumque ipse posuerat). 3. *Reg.* 12. 30.

Et tradet Dominus Israel propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel. *Ibid.* 14. 16. *V. et* 4. *Reg.* 10. 5. 6.

(Filii Israel non audierunt vocem Domini), sed seducti sunt a Manasse, ut facerent malum super gentes, etc. *Reg.* 21. 9. *usque ad v.* 17. *V.* 2. *Paral.* 33. 9.

Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum. *Eccli.* 10. 2. 3. *V. et Prov.* 29. 12.

SUBDITI. — *Subditorum officium.*

Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices *Exod.* 22. 28. *V. Act.* 25. 6.

Responderuntque ad Josue (filii Israel), atque dixerunt : Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus : et quocumque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi. *Jos.* 1. 16.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat : qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Animæ dolosæ

errant in peccatis : justi autem misericordes sunt, et miserantur. *Prov.* 13. 13.

Sicut rugitus leonis, ita et terror regis : qui autem provocat eum, peccat in animam suam. *Ibid.* 20. 2.

Time Dominum, fili mi, et regem : et cum detractoribus non commiscearis, etc. *Ibid.* 24. 21.

Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. *Ibid.* 25. 6.

Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi. *Eccli.* 8. 2.

Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. *Ibid.* 10. 16.

Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci : et orate pro ea ad Dominum : quia in pace illius erit pax vobis. *Jerem.* 29. 7.

Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Baltassar filii ejus, ut — et serviamus eis multis diebus, et inveniamus gratiam in conspectu eorum. *Baruch* 1. 11, 12.

Accesserunt qui didrachmam accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma. *Matth.* 17. 23. *V. versus sequentes.*

Tunc ait illis (Jesus) : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo. *Ibid.* 22. 21. *V. Marc.* 12. 17. *Item Luc.* 20. 25.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. *Rom.* 13. 1. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem. *v.* 7. *V. v.* 2. *et seq.*

Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus : pro regibus, et omnibus qui in sublimitate (constituti) sunt. 1. *Tim.* 2. 1. 2.

Admone illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, etc. *Tit.* 3. 1.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non expedit vobis. *Hebr.* 13. 17.

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi, quasi præcellenti ; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. 1. *Petr.* 2. 13. 14. *V. v.* 17.

SUBDITI *debent : 1º agnoscere, gubernatores suos, non casu, sed Dei consilio præfectos esse.*

(Poterat David regem Saul inimicum suum pluries occidere ; sed noluit, dicens) : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. 1. *Reg.* 24. 7. *V. tot. cap.*

(Sic in alio casu, ubi itidem Saul inciderat in manus David), dixit David ad Abisai : Ne interficias eum : quis enim extendet manum suam in Christum Domini, et innocens erit? Et dixit David : Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit : propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. *Ibid.* 26. 9. *et seq. V. tot. cap.*

(Dixit Abisai) : Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini ? 2. *Reg.* 19. 21.

(Dixit Miphiboseth accusatus apud David) : Tu autem, domine, mi rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. *Ibid. v.* 27. *V. c.* 14. 17. *et* 20.

(Dixit Adonias ad Bethsabee) : Tu, inquit, nosti quia meum erat regnum, et me præposuerat omnis Israel sibi in regem : sed translatum est regnum, et factum est fratris mei (Salomonis) : a Domino enim constitutum est ei. Nunc ergo petitionem unam precor a te, etc. 3. *Reg.* 2. 15. 16.

Audivit itaque omnis Israel judicium, quod judicasset rex (Salomon), et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum judicium. *Ibid.* 3. 28.

Tu rex regum es : et Deus cœli, regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi, etc. *Dan.* 2. 37.

SUBDITI... : 2º *favore et reverentia et amore eos prosequi.*

Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo: qui benedicens illi, et interrogatus ab eo — respondit — Et benedicto rege, egressus est foras. *Gen.* 47. 7. *et* 10.

Itaque cum ingressa fuisset mulier The-

cuitis ad regem (David), cecidit coram eo super terram, et adoravit, etc, 2. *Reg.* 14. 4. (Dixitque ei hæc mulier) : Sicut enim Angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur : unde et Dominus Deus tuus est tecum. *v* 17. *V. et v.* 22.

Et respondit Ethai regi (David), dicens: Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. *Ibid.* 15. 21. Cumque ascenderet David summitatem montis — occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite, etc. *v.* 32.

Berzellai quoque Galaadites descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in castris; fuit quippe vir dives nimis. *Ibid.* 19. 31. 32.

Tunc juraverunt viri David, dicentes : Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel. *Ibid.* 21. 17.

(Cum janitores regis Assueri vellent occidere regem, et istud Mardochæum non lateret, hic statim), nuntiavit reginæ Esther, et illa regi — et appensus est uterque eorum in patibulo. *Esth.* 2. 22. 23.

Daniel regi (Dario) respondens, ait : Rex, in æternum vive. *Dan.* 6. 21. *V. v.* 6. *et c.* 3. 9. *et c.* 5. 10.

SUBDITI... : 3º *præstare legibus et mandatis eorum, pietati et honestati consentaneis, debitam obedientiam.*

(Missi exploratores in urbem Jericho) reversi sunt — narraveruntque (Josue) omnia quæ acciderant sibi. *Josue.* 2. 23.

(Dixit Josue ad Rubenitas et Gaditas): Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini : mihi quoque in omnibus obedistis. *Ibid.* 22. 2.

Dixit autem Samuel ad populum : Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, etc. 1. *Reg.* 11. 14. 15.

Adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem, usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem. *Ibid.* 14. 24.

Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, et lagenam vini, et hœdum de capris unum, et misit per manum David filii sui Sauli. *Ibid.* 16. 19. 20.

Dixeruntque servi regis (David) ad eum: Omnia, quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur servi sui. 2. *Reg.* 15. 15.

SUBDITI... : 4º *conferre sumptus ad gubernationem necessarios.*

(Dixit Samuel ad filios Israel) : Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis : Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, etc. 1. *Reg.* 8. 11. *V. sequentes versus.*

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Matth.* 22. 21. *Item Marc.* 12. 17. *Luc.* 20. 25.

Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal, etc. *Rom.* 13. 7.

SUBDITI... : 5º *æquo animo accipere eorum sententiam et justas pœnas.*

Tu autem, domine, mi rex, sicut Angelus Dei es, fac (cum accusato me) quod placitum est tibi. 2. *Reg.* 19. 27.

Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Rom.* 13. 2. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa (princeps) gladium portas. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit, etc. *Ibid. v.* 4.

SUBDITI... : 6º *timere eos, et leviora quædam errata iis condonare, ac tolerare eorum injurias, et sibi temperare ab eorum cæde, nec ipsis detrahere.*

In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerunt Moysen. *Josue.* 4. 14.

Dixitque (David) ad Saul — Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca : et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus : dixi enim : Non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus Domini est. 1. *Reg.* 24. 10. *V. c.* 26. 23

Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes. 1. *Par.* 14. 17.

In cogitatione tua regi ne detrahas, etc. *Eccles.* 10. 20.

SUBDITI... : 7º *petere a magistratu auxilium et defensionem.*

Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem (David), cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit : Serva me, rex, etc. 2. *Reg.* 14. 4.

Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens : Salva me, domine mi rex. 4. *Reg.* 6. 26.

Reversa est mulier (Sunamitis) — et egressa est, ut interpellaret regem pro domo sua, et pro agris suis. *Ibid.* 8. 3.

SUBDITI... : 8º *externis gestibus suam erga magistratum declarare reverentiam.*

Veneruntque ad eum (Joseph) fratres sui; et proni adorantes in terram, dixerunt : Servi tui sumus. *Gen.* 50. 18.

Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem (David), cecidit coram eo super terram, et adoravit. 2. *Reg.* 14. 4.

SUBDITI... : 9º *imitari pietatem, et cæteras virtutes bonorum gubernatorum.*

Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue, qui et noverunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. *Josue.* 24. 31.

Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel: et fecit omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum. 2. *Paral.* 34. 33.

Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. *Eccli.* 10. 2.

SUBDITI... : 10º *orare pro magistratu, et felicissima quæque ei precari.*

Et clamavit omnis populus, et ait : Vivat rex. 1. *Reg.* 10. 24. *Item* 3. *Reg.* 1. 39.

Et ingressi servi regis, benedixerunt domino nostro regi David, dicentes : Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum tuum. 3 *Reg.* 1. 47.

Et plaudentes manu, dixerunt (omnes) : Vivat rex. 4. *Reg.* 11. 12. *Item* 2. *Parat.* 23. 11.

Et quærite pacem civitatis — et orate pro ea, etc. *Jerem.* 29. 7.

Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Baltassar filii ejus: ut sint dies eorum sicut dies cœli super terram : et ut det Dominus virtutem nobis, et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra — regis — et sub umbra — filii ejus, et serviamus eis multis diebus, et inveniamus gratiam in conspectu eorum. *Baruch.* 1. 11. 12.

Dixeruntque (Chaldæi) Nabuchodonosor regi: Rex, in æternum vive. *Dan.* 3. 9. *Item c.* 5. 10. *et c.* 6. 6. *et* 21.

Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones — pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. 1. *Tim.* 2. 1.

SUPERIORUM, *Judicum, et Rectorum officium, et auctoritas in subditos. V.* **Principes et Rex.**

Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo. *Gen.* 9. 6. *V. Matth.* 26. 52. *Item Apoc.* 13. 10.

Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph : et ait ad populum suum : Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est, etc. *Exod.* 1. 8. 9. *V. totum caput.* 5.

Altera autem die sedit Moyses ut judicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam. *Ibid.* 18. 13. At ille (Jethro cognatus ejus) : Non bonam, inquit, rem facis, *v.* 17.

Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelita, etc. *Levit.* 24. 10. Locutusque est Moyses ad filios Israel, et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, et lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi. *v.* 23.

Dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri : et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum. *Num.* 11. 16. Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. *v.* 24.

Ait (Dominus) ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. *Ibid.* 25. 4.

Date ex vobis (dixit Moyses ad filios Israel) viros sapientes, et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. *Deut.* 1. 13. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. *v.* 17. *V.* 16. 18.

Non immolabis Domino Deo tuo ovem et bovem, in quo est macula, aut quidpiam vitii : quia abominatio est Domino Deo tuo. *Ibid.* 17. 1.

Stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum, qui fuerint in diebus illis. *Ibid.* 19. 17.

Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo, etc. *Josue* 1. 10.

Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam : servieruntque Domino cunctis diebus ejus, et seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel. *Judic.* 2. 6. 7. Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus. *v.* 16. *Confer Josue* 24. 31.

Et ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo, et ait : Vivat rex. 1. *Reg.* 10. 24. *V.* 3. *Reg.* 3. 7. *et* 2 *Paral.* 1. 8. 9.

Constituitque (Josaphat) judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca. 2. *Par.* 19. 5. In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut causam Domini, judicarent habitatoribus ejus. *v.* 8. *V. v.* 6. 7. 9. *et* 10.

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Job* 34. 20.

Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. *Prov.* 8. 15. 16.

Ubi non est gubernator, populus corruet : salus autem ubi multa consilia. *Ibid.* 11. 14.

Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet. *Ibid.* 12. 24.

Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. *Ibid.* 16. 10. *V. v.* 12. 13. 14. *et* 15.

Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo. *Ibid.* 20. 8. Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem. *v.* 26.

Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam. *Ibid.* 29. 4. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. *v.* 12. Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in veritate firmabitur. *v.* 14.

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas. *Ibid.* 31. 4.

Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. *Sap.* 1. 1.

(Reges et judices ad sapientiam, et justitiam sectandam exhortatur Sapiens, ostendens quam grave maneat injustis rectoribus judicium, etc.) *Ibid. c.* 6. *per totum caput*, (quod Regibus, et Principibus summum debet terrorem incutere).

Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum : et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. *Eccli.* 10. 1. *et seq.* Brevem languorem præcidit medicus : sic et rex hodie est, et cras morietur. *v.* 12. *V. totum caput. Item c.* 32. 1. 8.

Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant : et causa viduæ non ingreditur ad illos. *Isa.* 1. 23. Et restituam judices tuos, ut fuerunt prius, et consiliarios tuos, sicut antiquitus : post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. *v.* 26.

Væ qui condunt leges iniquas, etc. *Isa.* 10. 1. *V. v.* 2.

Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt. *Ibid.* 32. 1.

Inventi sunt in populo meo impii (judices) insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros *Jerem.* 5. 26. *v.* 28. *Item Zach.* 7 9. *et seq.*

Audi verbum Domini, rex Juda, qui sedes super solium David ; tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per por-

tas istas. *Ibid.* 22. 2. *V. totum caput. Item c.* 19 3. *et seq.*

Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te (Jerusalem) ad effundendum sanguinem, etc. *Ezech.* 22. 6. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem : usuram et superabuntiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris : meique oblita es, ait Dominus Deus. *v.* 12. *V. v.* 27. *Item Mich.* 3. 11. *et Soph.* 3. 3.

Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiat vobis, principes Israel : iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium et justitiam facite, separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus. *Ibid.* 45. 9.

Et ipse (Deus) mutat tempora et ætates : transfert regna, atque constituit : dat sapientiam sapientibus : et scientiam intelligentibus disciplinam. *Dan.* 2. 21.

Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te (Israel) in omnibus urbibus tuis : et judices tui, de quibus dixisti : Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. *Oseæ* 13. 10. 11.

Et dixi : Audite, principes Jacob, et duces domus Israel, etc. *Mich.* 3. 1. *et seq.* Audite hoc, principes domus Jacob, et judices domus Israel, quia abominamini judicium, et omnia recta pervertitis, etc. *v.* 9. *V. totum caput.*

Dic ergo nobis (dixerunt Pharisæi ad Jesum), quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari ; an non? etc. *Matth.* 22. 17. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. *v* 21. *Idem habetur Marc.* 12. 14. 17. *et Luc.* 20. 22. 25.

Non haberes potestatem adversus me ullam (ait Jesus Pilato), nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. *Joan.* 19. 11.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. *Rom.* 12. 1. *V. versus sequentes usq. ad v.* 8.

Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, etc. *Tit.* 3. 1. *V.* 1. *Tim.* 2. 1.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, etc. *Hebr.* 13. 17.

Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive Regi, quasi præcellenti : sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. 1. *Petr.* 2. 13. 14. *V. v.* 17.

SUPERIORES *boni. V.* **Principes boni.**

SUPERIORES *mali. V.* **Principes mali.**

SUPERBIA *prohibetur, committitur, et punitur.*

Adæ vero dixit (Deus) : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *Genes.* 3. 17. (Heva autem superba facta est propter verba serpentis) : Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum. *v.* 5.

(Superbia volentium ædificare turrim usque ad cœlum, punita fuit per confusionem linguarum). *Gen.* 11. 7.

(Agar, ancilla Sarai), concepisse se videns, despexit dominam suam. *Ibid.* 16. 4.

(Dominus pluit super Sodomam sulphur et ignem). *Ibid.* 19. 24. (quia) hæc fuit iniquitas Sodomæ (*ait Ezech.* 16. 49.) — superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, etc.

Responderunt fratres ejus (Joseph) : Numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit. *Ibid.* 37. 8. *V. v.* 10.

At ille (Pharao) respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. *Exod.* 5. 2.

Ait Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus, et equites eorum. *Ibid.* 14. 26.

Et conteram superbiam duritiæ vestræ : daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam, etc. *Levit.* 26. 19.

(Dixerunt Aaron et Maria) : Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus (Dominus)? Hinc iratus Dominus percussit Mariam lepra, etc. *Num.* 12. 1. *et* 10.

(Rebellio Core et aliorum facta contra Moysen, ex superbia processit : nam dixit illis Moyses) : Multum erigimini, filii Levi. *Ibid.* 16. 7. (Hinc eos terra vivos absorbet, ignis interfecit 250 viros et alios 14700 consumpsit incendium). *v.* 31. 32. 35. *et* 49. *V. Psal.* 105. 17. 18

Locutus sum (inquit Moyses filiis Israel), et non audistis : sed adversantes imperio Domini, tumentes et superbia, ascendistis in montem. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi : et cecidit de Seir usque Horma. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. *Deut.* 1. 43. *et seq.*

(Cave ne elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui. *Ibid.* 8. 14.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel : cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. *Ibid.* 17. 12. 13. Nec elevetur cor ejus (regis) in superbiam super fratres suos, etc. *v.* 20.

(Percussus Abimelech a muliere), vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum : Evagina gladium tuum, et percute me ; ne forte dicatur, quod a fœmina interfectus sim. *Judic.* 9. 54. *V. et* (superbiam Gaal), *v.* 28. *V. et* 1. *Reg.* 31. 4. (de Saul). *Item* 1. *Paral.* 10. 4.

(Saul petiit a Samuele, ut eum coram senioribus populi honoraret). 1. *Reg.* 15. 30.

(Philisthæis contra Israelem ad pugnam congregatis, Goliath gigantem in armis et fortitudine confidentem, inermis David occidit, præcisumque caput, diffusis Philisthæis, ad Saulem tulit). *Ibid. c.* 17. *per totum.*

Respondens autem Nabal pueris David : Et quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos, etc. *Ibid.* 25. 10. (Sed ob hanc superbiam David mortem ei intulisset, nisi Abigail sedasset iram ejus). *v.* 25. *et seq.*

(Absalom conciliato sibi populi favore, adversus patrem conjurat. 2. *Reg.* 15. 10. (Sed tandem misere de quercu pendens periit). *c.* 18. 14. 15. *V. et* 3. *Reg.* 1. 5. (de Adonia fratre Absalom).

Et populum pauperem salvum facies (mi Deus), oculisque tuis excelsos humiliabis. *Ibid.* 22. 28.

(Graviter fuit punitum peccatum elationis David, quando jussit numerari populum sibi subjectum : nam per pestilentiam 70000 virorum perierunt). *Ibid.* 24. 15. *Item* 1. *Paral.* 21. 14.

(Libido, quam habuit Jeroboam dominandi, timens ne populus reverteretur ad domum David, fecit ut excogitaret duos vitulos aureos, quos fecit a populo adorari : et maluit eos recedere a Deo suo, quam a domino suo). 3. 22. 28. *V. et v.* 14. (superbiam Roboam filii Salomonis, ob quam regnum divisum est).

An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, super eum, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam? sic est Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se. 4. *Reg.* 18. 21. *V. Eccli.* 48. 20. *Item Isa.* 36. 6.

(Inquit Dominus ad Ezechiam, loquens de Sennacherib) : Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas : ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. *Ibid.* 19. 28. *V. v.* 22. *et seq. Item Isa.* 37. 23. *usque ad v.* 30.

(Amasias respondit Prophetæ) : Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te. 2. *Paral.* 25. 16. (Sed vide postea, quam insigniter superbus hic rex sit punitus). *v.* 32. 24.

(Ozias superbe sacerdotis officium usurpans, ad diem usque mortis a Domino lepra percussus est). *Ibid.* 26. 16. *et seq.*

Ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit Dominum : exaudivitque eum, et dedit ei signum. Sed non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus — Humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quam habitatores Jerusalem ; et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. *Ibid.* 32. 24. *et seq. V. et* (superbiam Ezechiæ in ostendendo nuntiis regis Babylonis omnes divitias, et thesauros suos : propter quod a Deo punitus fuit). 4. *Reg.* 20. 13. *et seq. Item Isa. c.* 39. *per totum.*

(Israelitæ post tot accepta beneficia) superbe egerunt, et non audierunt mandata (Dei), etc. 2. *Esdr.* 9. 20. *V. v.* 16.

(Post victoriam obtentam de Arphaxad rege Medorum), exaltatum est regnum Nabuchodonosor (regis Assyriorum), et cor ejus elevatum est. *Judith.* 1. 7.

Præceperat enim illi (Holoferni) Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subjugari. *Ibid.*

3. 13. (Sed Holofernis et simul Nabuchodonosor superbia punita fuit) *c.* 13. 10. *et seq.*

Fac, Domine (ait Judith), ut gladio proprio ejus superbia amputetur (scil. Holofernis). *Ibid.* 9. 12. Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus fœminæ dejecerit eum. Non enim — superbi ab initio placuerunt tibi. *v.* 15. 16.

Ecce caput Holofernis (ait Judith ad Achior), qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit, et tibi interitum minabatur, etc. *Ibid.* 13. 28.

(Videns superbus Aman, quod Mardochæus ipsum adorare nollet, suasit regi, ut totus Judæorum populus deleretur). *Esther.* 3. 5. 9.

(Superbia Aman eo pervenit, ut ipse iratus et indignatus cum omnia bona haberet, nihil se habere putaret). *Ibid.* 5. 13. *V. et c.* 16. 12.

Suspensus est itaque (superbus) Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo. *Ibid* 7. 10.

Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus (hypocritæ), et caput ejus nubes tetigerit : quasi sterquilinium in fine perdetur : et qui eum viderant, dicent : Ubi est? etc. *Job.* 20. 6. 7. *V. versus sequentes usq. ad fin.*

Dedit ei (impio) Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam : oculi autem ejus sunt in viis illius. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur. *Ibid.* 24. 23. 24.

Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. *Ibid.* 40. 6. *V. c.* 41. 25.

Quoniam tu (Deus) populum humilem salvum facies : et oculos superborum humiliabis. *Ps.* 17. 28.

Et retribuet (Dominus) abundanter facientibus superbiam. *Psal.* 30. 24. *V. v.* 19. *et Psal.* 35. 12. *et* 58. 13. *et* 73. 3. 23. *et* 100. 5. 7.

Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. *Psal.* 36. 35. 36. *V. Psal.* 72. 6. *Psal* 88. 11. *Psal.* 118. *v.* 21. 51. 69. 78. 122.

Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, etc. (abominatur Deus). *Prov.* 6. 17.

Timor Domini odit malum : arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Ibid.* 8. 13.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. *Ibid.* 11. 2.

Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. *Ibid.* 13. 10.

In ore stulti virga superbiæ, etc. *Ibid.* 14. 13.

Domum superborum demolietur Dominus : et firmos faciet terminos viduæ. *Ibid.* 15. 25.

Abominatio Domini est omnis arrogans : etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. *Ibid.* 16. 5. Contritionem præcedit superbia : et ante ruinam exaltatur spiritus. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis. *v.* 18. *et* 19.

Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, et antequam glorificetur, humiliatur. *Ibid.* 18. 12.

Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende huc, quam ut humilieris coram principe. *Ibid.* 25. 9. 7.

Superbum sequitur humilitas : et humilem spiritu suscipiet gloria. *Ibid.* 29. 23.

Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra, et cinis? *Eccli.* 10. 9. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo — Quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. *v.* 14. *et* 15. *V. v.* 17. 18. 21. *et* 22.

Error, et tenebræ peccatoribus concreata sunt; qui autem exultant in malis, consenescunt in malo. *Ibid.* 11. 16. *V. v.* 4. *et* 32. *Item c.* 16. 8. 9. 10.

Tres species odivit anima mea (ait Dominus) — Pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum et insensatum. *Ibid.* 25. 4.

Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum. *Isa.* 2. 11. *V. v.* 17.

(Signa superbiæ detestatur Dominus per Prophetam, dicens) : Pro eo quod elevatæ sunt (per superbiam) filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, etc. *Ibid* 3. 16. *V. versus sequentes.*

Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. *Ibid.* 5. 15. *V. c.* 10. 12. *et seq etc.* 13. 11. 19.

Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel. Et sciet omnis populus Ephraim, et habitantes Samariam, in superbia, et magnitudine cordis dicentes : Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus, etc. *Ibid.* 9. 8. *et seq.*

Quomodo cecidisti de cœlo, lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. *Ibid.* 14. 12. *et seq. V. v.* 11. *imo totum caput.*

Audivimus superbiam Moab : superbus est valde : superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit. *Ibid.* 16. 6. *et seq. V. c.* 28. 1. 3. *Item Ezech.* 7. *v.* 10. 20. *et* 24.

Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, et dimittetur quasi desertum : ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit. et consumet summitates ejus. *Ibid.* 27. 10. *V. c.* 29. 4 20.

(Ait Rabsaces nuntiis suis) : Hæc dicetis Ezechiæ regi Judæ, loquentes : Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens : Non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum. *Ibid.* 37. 10. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino (o Sennacherib), et dixisti : In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani : et succidam excelsa cedrorum ejus, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus, etc. *v.* 24. *V. versus sequentes usq. ad fin.*

Lætatus est autem super eis (nuntiis regis Babylonis) Ezechias, et ostendit eis cellam aromatum, et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suæ, et universa quæ inventa sunt in thesauris ejus. (Sed male fecit, et pœnam subiit). *Ibid.* 39. 2. *V. tot caput. Item* 4 *Reg.* 20. 13. *et seq.*

Et nunc audi hæc, delicata, et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo : Ego sum, et non est præter me amplius : non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem, etc. *Ibid.* 47. 8. *V. c.* 51. 9.

Hæc dicit Dominus : Sic putrescere faciam superbiam Jerusalem multam. *Jerem.* 13. 9.

Audivimus superbiam Moab : superbus est valde : sublimitatem ejus, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis ejus, etc. *Ibid.* 48. 29. *V. v.* 26. *et* 30.

Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui : qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis : cum exaltaveris, quasi aquila, nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. *Ibid.* 49. 16.

Et cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet eum. *Ibid.* 50. 32. *V. v.* 31.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ : superbia, saturitas panis, in abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant. *Ezech.* 16. 49. *V. v.* 56.

Fili hominis, dic principi Tyri : Hæc dicit Dominus Deus : Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris : cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei, etc. *Ibid.* 28. 2. *V. versus sequentes usq. ad v.* 11. *Item c.* 31. 11. *et seq. per totum.*

Tu es rex (ait Daniel regi Nabuchodonosor), qui magnificatus es, et invaluisti : et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cœlum, et potestas tua in terminos universæ terræ, etc. *Dan.* 4. 19. Responditque rex, et ait : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, et in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? *v.* 27.

Quando autem elevatum est cor ejus (Nabuchodonosor), et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est, etc. *Ibid.* 5. 20. *V. v.* 21.

(Baltazar quoque filius Nabuchodonosor non humiliavit cor suum), sed adversum Dominatorem cœli elevatus (est, et ideo interfectus, et Darius ei successit in regnum). *Ibid. v.* 22. *et seq.*

Superbia cordis tui (Edom) extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum : qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram? etc. (Abdiæ). *v.* 3. *V. Amos.* 8. 7.

Ascendit (Antiochus) Jerosolymam in

multitudine gravi. Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, etc. 1. *Mach.* 1. 22. Et locutus est in superbia magna. *v.* 25. *V. et v.* 4. *de Alexandro.*

(Cum vidisset Nicanor holocausta, quæ offerebantur a Judæis pro rege), irridens sprevit eos, et polluit : et locutus est superbe. *Ibid.* 7. 34 *V. v.* 47. *Item c.* 2. 47. 49.

(Antiochus æstimabat) se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum, propter mentis elationem. 2. *Mach.* 5. 21.

(Elatus autem (Antiochus) in ira, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugaverant posse in Judæos retorquere, ideoque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cælesti eum judicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est, se venturum Jerosolymam, et congeriem sepulcri Judæorum eam facturum. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili plaga : ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et quidem satis juste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. *Ibid.* 9. 4. *et seq. V. v.* 7. *et* 11.

(Nicanor Judæis dicentibus) : Est Dominus vivus ipse in cœlo potens, qui jussit agi septimam diem — Et ego (respondit) potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. *Ibid.* 15. 4. 5. Et Nicanor quidam summa superbia erectus cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. *v.* 30. *et seq.*

Et tu, Capharnaum, numquid usque in infernum descendes. *Matth.* 11. 23.

Dispersit superbos mente cordis sui : deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. *Luc.* 1. 51. 52.

Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. *Ibid.* 10. 15.

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. *Ibid.* 14. 11. *Item c.* 18. 14. *et Matth.* 23. 12.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum ; raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. *Ibid.* 18. 11.

Facta est autem et contentio inter eos (Apostolos), quis eorum videretur esse major. *Ibid.* 22. 24.

Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos (Tyrios et Sidonios). Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo : et consumptus a vermibus, expiravit. *Act.* 12. 21. *et seq.*

Detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, etc. (tradidit Deus in reprobum sensum). *Rom.* 1. 30.

Noli altum sapere, sed time. *Ibid.* 11. 20. *V. c.* 12. 16.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, etc. *Gal.* 5. 26. *V. Philipp.* 2. 3.

(Episcopus non sit) in superbiam elatus. 1. *Tim.* 3. 6. *V. c.* 6. 4. *Tit.* 1. 7.

Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, etc. 2. *Tim.* 5. 2.

Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. *Petr.* 5. 5. *V. Jacob.* 4. 6.

Superba enim vanitatis loquentes (impii), pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paullulum effugiunt, etc. 2. *Petr.* 2. 18.

Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa. *Judæ v.* 16.

Quantum glorificavit se (Babylon), et in deliciis fuit ; tantum date illi tormentum et luctum ; quia in corde suo dicit : Sedeo regina : et vidua non sum : et luctum non videbo. *Act.* 13. 7. *V. totum caput.*

SUPERBIA. — *Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu.*

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo : et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum ; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco : ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende supe-

rius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. *Luc.* 14. 8. *et seq.* *V. Matth.* 23. 12.

SUPERBIA. — *Humilitas vero Deum attendit.*

Humiliare Deo, et expecta manus ejus. *Eccli.* 13. 9.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. *Luc.* 17. 10.

SUPERBIA. — ... *se ipsam vilipendit.*

Ego autem sum vermis et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. *Psal.* 21. 7.

Humilia valde spiritum tuum : quoniam vindicta carnis impii, ignis et vermis. *Eccli.* 7. 19.

Attende, ne seductus in stultitiam humilieris. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. *Ibid.* 13. 10 11.

Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo ; qui omnis quia se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur *Luc.* 18. 13. *V. Matth.* 23. 12.

Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 1. *Cor.* 4. 13. *V. v.* 7.

SUPERBIA. — ... *proximum magnipendit.*

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. *Rom.* 12. 16.

Subjecti invicem, in timore Christi. *Ephes.* 5. 21.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate, etc. 1. *Petr.* 5. 5.

SUPERBIA. — *Humilitas ficta malum intendit.*

Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo : et est qui se nimium submittit a multa humilitate : et est qui inclinat faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est : et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. *Eccli.* 19. 23. *et seq.*

SUPERBIA. — *Humilitas Deo grata est.*

Dixitque ei (Agar) Angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. *Gen.* 16. 9.

Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. *Psal.* 33. 19.

Ubi fuerit superbia, idi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. *Prov.* 11. 2.

SUSPICIO *et judicium temerarium.*

Respondit Abraham : Cogitavi mecum dicens : Forsitan non est timor Dei in loco isto : et interficient me propter uxorem meam. *Gen.* 20 11. (Simile accidit Isaac). *Cap.* 26. 7. *et seq.*

(Suspicatus est Laban, quod Jacob furatus sit Deos ejus, et ob hanc causam perscrutatus est totam supellectilem). *Ibid.* 31. 30. 32. 34. *et* 37.

(Videns Jacob vestimenta Joseph sanguine cruentata, putavit eum esse mortuum, et a fera pessima devoratum). *Ibid.* 57 33.

(Cum uxor Putipharis pallium castissimi Joseph marito suo monstrasset, iste) nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde. *Ibid* 39. 19.

(Fratres Joseph malam habuerunt suspicionem erga Joseph, conscientia urgente : nam præcipiente Joseph dispensatori ut introduceret eos ad comedendum secum, illi exterriti, crediderunt quod vellet eos subjicere servituti). *Ibid.* 43. 18.

(Rubenitæ et Gaditæ redeuntes ad possessiones suas, ædificaverunt altare juxta Jordanem. Quo audito, filii Israel turbati sunt, nescientes, quare hoc fecissent illi ; et putaverunt quod vellent se ab eorum lege penitus separare). *Josue* 22. 10. *et per totum caput.*

(Cum ivisset Samson ad visendam uxorem suam), et cubiculum ejus — vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens : Putavi, quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo, etc. *Judic.* 15. 1. 2.

(Heli videns Annam labia movere, et nullum verbum proferre, æstimavit eam temulentam). 1. *Reg.* 1. 13. *et seq.*

(Misit David nuntios ad regem Ammon, ut consolarentur eum super patris interitu. Principes autem regni putaverunt, eos venisse ad explorandam civitatem, non ad consolandum regem). 2. *Reg.* 10. 2. 3.

(Cum rex Assuerus reperisset) Aman

super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, (ut rogaret eam pro anima sua, putans rex, quod ipsi vellet vim inferre, excandescens ait) : Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea! *Esth.* 7. 7. 8.

(Jeremiam euntem ad terram Benjamin, comprehendit custos portæ, putans eum profugere ad Chaldæos). *Jerem.* 37. 12.

(Sic nuntiante hoc Propheta voluntatem Domini populo, dixerunt ei quidam) : Mendacium tu loqueris : non misit te Dominus — sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum. *Ibid.* 43. 2. 3.

(Tortores, qui Eleazarum ducebant ad supplicium), in iram conversi sunt, propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. 2. *Mach.* 6. 29.

At illi (discipuli) ut viderunt eum (Jesum) ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. *Marc.* 6. 49. *V. Matth.* 14. 26.

(Simon Pharisæus, videns mulierem peccatricem ad pedes Domini flentem), ait intra se, dicens : Hic si esset Propheta, sciret utique quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum : quia peccatrix est. *Luc.* 7. 39.

(Videntes Judæi Apostolos Domini, post effusionem Spiritus Sancti loquentes variis linguis, dicebant quidam eorum) : Quia musto pleni sunt isti. *Act.* 2. 13.

(Omnes discipuli Christi timebant Saulum post conversionem suam), non credentes quod esset discipulus : (donec Barnabas rem Apostolis manifestavit). *Ibid.* 9. 26.

(Tribunus cohortis temere Paulum allocutus, ait ipsi) : Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? *Ibid.* 21. 38.

(Cum vidissent) Barbari pendentem bestiam de manu ejus (Pauli), ad invicem dicebant : Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere — At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum et moriturum. *Ibid.* 28. 4. 6.

(Suspiciones malæ ex pugnis verborum, et quæstionibus proficiscuntur). 1. *Tim.* 6. 4.

SUSURRO. — *Susurrones damnantur.*

Non eris criminator, nec susurro in populo. *Levit.* 19. 16.

Cum defecerint ligna, extinguetur ignis; et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. *Prov.* 26. 20. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. *v.* 22.

Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut (fiant) susurrones, etc. *Rom.* 1. 28. 29.

(Cavete, ne forte) susurrationes — sint inter vos. 2. *Cor.* 12. 20.

T

TEMPERANTIA. *V.* **Abstinentia**, et **Sobrietas.**

TEMPERANTIA *in cibo, et potu, et concubitu commendatur.*

Hi namque (dixit Angelus Raphael Tobiæ juniori), qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem — (interdum) continens esto — et orationibus vacabis. *Tob.* 6. 17. 18.

Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccli.* 37. 34. *V. v.* 32. *et* 33. *Item c.* 31. *v.* 24. 31. *et seq.*

Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus : et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminarentur. *Dan.* 1. 8. *V. v.* 12.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa. *Luc.* 21. 34.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13. 12. *et seq.*

Non est enim regnum Dei, esca, et potus : sed justitia, et pax, et gaudium in

Spiritu Sancto. *Ibid.* 14. 17. *V. v.* 20. *et* 21.

Fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi, non est lex, etc. *Gal.* 5. 22. 23.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto. *Ephes.* 5. 18.

Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, etc. 2. *Petr.* 1. 5. 6.

Vigilemus, et sobrii simus. 1. *Thess.* 5. 6. Nos autem, qui diei sumus, sobrii sumus. *v.* 8.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem : non vinolentum, non percussorem, sed modestum : non litigiosum, non cupidum, etc. 1. *Tim.* 3. 2. *V. v* 8. *et* 11. *Item Tit.* 1. 7. 8.

Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. 2. *Tim.* 1. 7. *V. c.* 4. 5.

Senes — sobrii sint. *Tit.* 2. 2. Anus similiter — non multo vino servientes — prudentes, castas, sobrias — Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. *v.* 3. *et seq.* Abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo. *v.* 12.

Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 13.

Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, etc. *Ibid.* 5. 8.

(Anna vidua) non discedebat de templo, jejuniis, et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37. *V. Judith.* 8. 6.

Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo, etc. 1. *Cor.* 8. 13.

TEMPLUM *spirituale, et domus Dei. V. et* **Ecclesia.**

Ipse (Salomon) ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. 2. *Reg.* 7. 13. *V.* 3. *Reg.* 5. 5. *Item* 1. *Paral.* 22. *v.* 6. 7. 8. 10. *et* 11.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem : immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. *Prov.* 9. 1. 2.

Et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus : et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. *Aggæi.* 2. 8. *V. v.* 10.

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. *Matth.* 7. 24. *V. Luc.* 6. 47. 48.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Ibid.* 16. 18. *V. Matth.* 26. 61. *et c.* 27. 40. *Item Marc.* 14. 58. *et c.* 15. 29. *Joan.* 2. 19. *et seq.*

Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? 1. *Cor.* 3. 16. 17. *Item c.* 6. 19.

Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. 2. *Cor.* 6. 16. *V. Ephes.* 2. 20. *et seq. Item Rom.* 3. 17. *et c.* 6. 19.

Christus vero tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus. *Hebr.* 3. 6.

Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, etc. 1. *Petr.* 2. 5.

TEMPLUM *Idolorum.*

Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. (Dagon autem coram Arca semel atque iterum corruit, abscissis in limine capite et manibus). 1. *Reg.* 5. 2. *et seq.*

Tunc ædificavit Salomon fanum, Chamos idolo Moab in monte, qui est contra Jerusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. 3. *Reg.* 11. 7. *V.* 1. *Reg.* 31. 9.

Sanctificate (ait Jehu insidiose, ut disperderet cultores Baal) diem solemnem Baal. Vocavitque, et misit in universos terminos Israel, et venerunt cuncti servi Baal : non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal : et repleta est domus Baal : a summo usque ad summum. 4. *Reg.* 10. 20. 21. *V. versus sequentes. Item* 3. *Reg.* 16. 32.

Cumque adoraret (Sennacherib) in templo Nesroch deum suum, Adramelech, et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo. *Ibid.* 19. 37. *V. c.* 17. 32. *Item* 2. *Paral.* 32. 21. *et Isa.* 37. 38.

Et succendet (Nabuchodonosor) ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos : et amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo : et egredietur inde in pace. *Jerem.* 43. 12. *V. v.* 13.

Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, et aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, et liberabuntur : ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. *Baruch.* 6. 54.

(Fraudes sacerdotum idoli Bel, qui appositos illi cibos occulte auferebant, regi per Danielem detectæ sunt ; ipsisque interemptis, idolum una cum templo suo subversum est. Similiter et draconem, quem colebant Babylonii, injecta in os massa ex pice, adipe et pilis confecta, Daniel interfecit. Quapropter instantibus Babyloniis, missus est in lacum leonum, etc). *Dan. c.* 14. *per totum. V.* 1. *Mach.* 1. 50. *et c.* 6. 2.

Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, et intraverunt in Bethdagon, idolum suum, ut ibi se liberarent. Et succendit Jonathas Azotum, et civitates quæ erant in circuitu ejus, et accepit spolia eorum, et templum Dagon : et omnes, qui fugerunt in illud, succendit igni. 1. *Mach.* 10. 83. 84.

Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ templum (Ephesi) in nihilum reputabitur : sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, et orbis colit. (Hæc persuadebat populo Demetrius argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ). *Act.* 19. 27.

TEMPLUM, *domus Dei, et domus orationis vocatur.*

Ut aperias oculos tuos (mi Deus, ait Salomon) super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo : et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israel. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est de cœlis, et propitiare. 2. *Paral.* 6. 20. *V. tot caput. Item* 3. *Reg. c.* 8. *per totum.*

Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo : quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. *Isa.* 56. 7.

Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Matth.* 21. 13. *V. Jerem.* 7. 11. *Item Marc.* 11. 17. *Luc.* 19. 46 *Joan.* 2. 16.

TEMPLUM. — *Christus ipse et omnes fideles frequenter in templo versantur.*

(Commendatur Tobias, quia) pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi orabat Dominum Deum Israel, etc. *Tob.* 1. 6.

Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. *Matth.* 24. 1. *V. Marc.* 13. 1.

Et introivit (Jesus) Jerosolymam in templum : et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit, Bethaniam cum duodecim. *Mac.* 11. 11. *V. v.* 15.

Et respondens Jesus dicebat, docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ, Christum Filium esse David ? *Ibid.* 12. 35. *V. c.* 11. 27. *Item Luc.* 2. 46.

Et hæc vidua (Anna) usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens (Deo) nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Et ingressus (Jesus) in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, dicens illis : Scriptum est : Quia domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. *Ibid.* 19. 45. *et seq. V. c.* 20. 1. *Item Matth.* 21. 12. 13. *Marc.* 11. 15. 17. *Joan.* 2. 14. *et seq. et c.* 7. 28.

Quotidie quoque (erant Apostoli) perdurantes unanimiter in templo ; et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis. *Act.* 2. 46. *V. Luc.* 24. 53.

Petrus autem et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. *Ibid.* 3. 1.

(Angelus Domini dixit Apostolis) : Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et doce-

bant. Adveniens autem princeps sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnes seniores filiorum Israel : et miserunt ad carcerem, ut adducerentur. *Ibid.* 5. 20. 21. *V. v.* 25.

Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. *Ibid.* 21. 26.

Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem (ait Paulus), et oranti in templo, fieri me in stupore mentis, etc. *Ibid.* 22. 17.

TEMPLUM. — *In templo oratur Deus, et exaudit.*

Respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus (ait Salomon) : audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie : ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die : super domum, de qua dixisti : Erit nomen meum ibi : ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus, etc. 3. *Reg.* 8. 28 *per. tot. caput. Idem habetur* 2. *Paral.* 6. 19. *per totum pariter caput.*

Dixitque Dominus ad eum (Salomonem) : Exaudivi orationem tuam — quam deprecatus es coram me : sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum et erunt oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus. *Ibid.* 9. 3. *V.* 2. *Paral.* 7. 12. *et seq.*

Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Matth.* 21. 13. *V. Jerem.* 7. 11. *Item Marc.* 11. 17. *Luc.* 19. 46. *Joan.* 2. 16.

TEMPLUM. — *Templa manufacta non inhabitat Deus, quasi iis concludi possit, vel illis indigeat, ut homo ædibus.*

Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? si enim cœlum et cæli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi (ait Salomon)? 3. *Reg.* 8. 27. *Idem verbatim habetur* 2. *Par.* 6. 18. *et c.* 2. 6.

Hæc dicit Dominus : Cœlum sedes mea, terra autem scabellum, pedum meorum : quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? *Isa.* 66. 1.

Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cœlum, et terram ego impleo, dicit Dominus? *Jer.* 23. 24.

Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit : Cœlum mihi sedes est : terra autem scabellum pedum meorum, etc. *Act.* 7. 48. 49. *V. tot. versum. Item c.* 17. 24.

TEMPLUM. — *Deus in templis materialibus habitare dicitur.*

Et habitabo (ait Dominus) in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel. 3 *Reg.* 6. 13.

Tunc ait Salomon : Dominus dixit, ut habitaret in nebula. *Ibid.* 8. 12. *V. v.* 11. *Item* 2. *Par.* 6. 1. *et c.* 5. 14. *et c.* 7. 2.

Dixit enim David : Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, et habitationem Jerusalem usque in æternum. 1. *Par.* 23. 25.

Et repulit (Dominus) tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. *Psal.* 77. 60.

Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. *Psal.* 131. 13. *V. totum Psal.*

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Bonas facite vias vestras, et studia vestra : et habitabo vobiscum in loco isto. *Jer.* 7. 3. *V. et v.* 7.

Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo, qui habitat in ipso. *Matth.* 23. 21. *V. Act.* 7. 46.

TEMPLUM *locus dicitur sanctus.*

(Ait Jacob) : Vere Dominus est in loco isto : et ego nesciebam. Pavensque : Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. *Gen.* 28. 16. 17.

At ille (Dominus Moysi ait) : Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Exod.* 3. 5. *V. Act.* 7. 33.

TEMPLUM *magnis muneribus dotatur.*

(Oblatis plurimis donariis, gloria Domini implevit templum, etc.). *Par. c.* 3. 4. 5.

Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, fiebat ut et ipsi reges, et principes locum summo honore dignum ducerent, et tem-

plum maximis muneribus illustrarent, etc. 2. *Mach.* 3. 1. 2.

TEMPLUM. — *Templi profanatores a Deo puniuntur.*

(Heliodorus volens spoliare templum, a Deo miraculose percutitur : sed Oniæ precibus ac sacrificio liberatur, etc.) 2. *Mach.* 3. 23. *et seq. imo per tot caput.*

Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo : et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, etc. *Matth.* 21. 12. *Item Marc.* 11. 15. *Luc.* 19. 45.

Et cum fecisset (Jesus) quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo; oves quoque et boves, et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit, etc. *Joan.* 2. 15. *V. v.* 16.

TEMPUS *fructuose expendendum.*

Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Eccles.* 3. 1. *V. versus seq.*

Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio. *Ibid.* 8. 6.

Fili, conserva tempus, et devita a malo *Eccli.* 4. 23.

Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. *Ibid.* 14. 13. 14.

Nemini mandavit (Dominus) impie agere, et nemini dedit spatium peccandi. *Ibid.* 15. 21.

Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Ephes.* 5. 15. 16. *V. Coloss.* 4. 5.

TEMPUS *superstitiose non observandum.*

Facto vespere dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum : et mane : Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis : signa autem temporum non potestis scire. *Matth.* 16. 2. *et seq. Luc.* 12. 54. *et seq.*

Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Act.* 1. 7.

TEMPUS. — *Temporis opportunitas in omnibus rebus observanda.*

Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. *Eccles.* 3. 1. *V. versus seq.*

Qui custodit præceptum, non experietur quidquid mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio. *Ibid.* 8. 5. 6.

Est tacens non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum. *Eccli.* 20. 6.

Qui timent Dominum, invenient judicium justum, et justitias quasi lumen accendent. *Ibid.* 32. 20.

Sollicitudine non pigri : spiritu ferventes : Domino servientes. *Rom.* 12. 11.

TENEBRÆ *trium dierum in Ægypto.*

Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cœlum : et sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ ut palpari queant. *Exod.* 10. 21. *V. v.* 22.

Misit (Deus) tenebras, et obscuravit : et non exacerbavit sermones suos. *Psal.* 104. 28. *V. Sap.* 17. 3. *et seq. per totum caput. Item c.* 19. 16.

TENEBRÆ. — *In tenebris versatur mundus, et amat eas.*

Positum est ergo sæculum in tenebris, et qui inhabitant in eo sine lumine 4. *Esdr.* 14. 20. *V. Job* 5. 14.

Propter hoc elongatum est judicium a nobis, et non apprehendet nos justitia : expectavimus lucem, et ecce tenebræ; splendorem, et in tenebris ambulavimus. *Isa.* 59. 9. *V. c.* 9. 1. *Item Matth.* 4. 16

Surge, illuminare Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. *Ibid.* 60. 1. 2.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc.* 1. 79. *V. c.* 11. 35. 36. *Item Matth.* 6. 26.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. *Joan.* 1. 4. 5.

Hoc est autem judicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem : erant enim eorum mala opera. *Ibid.* 3. 19.

Iterum ergo locutus est eis (Pharisæis) Jesus, dicens : Ego sum lux mundi : qui

sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Ibid.* 8. 12.

Dixit ergo eis (turbis) Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris nescit quo vadat. *Ibid.* 12 35. *V. v.* 46. *Item Act.* 26. 18.

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt : et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. 1. *Thess.* 5. 7. *V. v. Item Rom.* 13. 12.

Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat : quia tenebræ obcæcaverunt oculos. 1. *Joan.* 2. 11. *V. Luc.* 22 53.

TENTATIO. — *Tentare Deum non licet.*

Et dixerunt (filii Israel) ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine? quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? *Exod.* 14. 11.

Qui (populus Israel) jurgatus contra Moysen, ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ibid.* 17. 2. *V. Num.* 20. 3. *et c.* 21. 5.

Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. *Deut.* 6. 16. *V. Matth.* 22. 18. *Marc.* 12. 15. *Luc.* 20. 23. *Item, Act.* 5. 9. *et c.* 15. 10.

Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? *Judith.* 8. 11.

Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. *Matth.* 4. 7. *Item Luc.* 4. 12.

Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum (*Num.* 21. 5.) tentaverunt, et a serpentibus perierunt. 1. *Cor.* 10. 9.

TENTATIO. — *Tentat, seu verius probat Deus suos variis modis.*

(Fides et obedientia Abrahæ in filii sui præcepta immolatione probatur). *Gen. c.* 22. *V. tot. cap.*

At ille (Moyses) clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum : quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt ; ibi constituit ei præcepta, atque judicia, et ibi tentavit eum. *Exod.* 15. 25.

Dixit autem Dominus ad Moysen : Ecce ego pluam vobis panes de cœlo : egrediatur populus et colligat quæ sufficiunt per singulos dies : ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non? *Ibid.* 16. 4. *V. Judith.* 8. 21. *et seq.*

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. *Ibid.* 20. 20. *V. Deut.* 8. 2.

Non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra. *Deut.* 13. 3. *V. Judic.* 2. 22. *et c.* 3. 1. *Item* 2. *Paral.* 32. 31. *de Ezechia.*

Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce universa quæ habet (Job), in manu tua sunt : tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini. *Job.* 1. 12. *V. c.* 2. 6.

In paucis vexati (justi), in multis bene disponentur : quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. *Sap.* 3. 5. *V. v.* 6.

Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. *Eccli.* 2. 4. 5. *V. c.* 4. 18. 19. *et c.* 27. 6. 8.

Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse invocabit nomen meum, etc. *Zach.* 13. 9.

Sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem : probatio vero spem, etc. *Rom.* 5. 3. 4.

Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. *Jac.* 1. 2. 3. *V. v.* 12. 13.

Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

TENTATIO. — ... *ad eorum probationem.*

Tentavit Deus Abraham, etc. *Gen.* 22. 1. Nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *v.* 12. *V. totum caput.*

Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, etc. *Deut.* 13. 3.

Deus tentavit eos (justos), et invenit illos dignos se. *Sap.* 3. 5. *V. v.* 6.

Qui non est tentatus, quid scit? etc. *Eccli.* 34. 9. *V. v.* 11.

TENTATIO. — ... *ad meriti augmentationem.*

(Sic Tobias magna adversitate tentatus fuit). *Tob.* 2. 12.

(Sic Deus permisit tentari per Satan Job servum suum). *Job.* 1. 12. *et seq. V. c.* 2. *per totum.*

In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus. 1. *Petr.* 1. 6. *V. v.* 7.

TENTATIO. — *Tentat Diabolus decipiendo per mendacium.*

(Sic Hevam aggressus est sub serpentis figura). *Gen.* 3. 1. *V. totum caput.*

Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo, etc. *Matth.* 4. 1. *usq. ad v.* 12. *V. Marc.* 1. 13. *Item Luc.* 4. *a. v.* 1. *usq. ad* 14.

Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? etc. *Act.* 5. 3.

TENTATIO. — ... *affectum incendendo per desiderium.*

Diabolus (misit) in cor (Judæ), ut traderet (Dominum Jesum Christum). *Joan.* 13. 2. *V. v.* 27. *Item Luc.* 22. 3.

Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. *Jac.* 1. 14.

TENTATIO. — ... *affectum inducendo per consensum.*

Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* 2. 1. *V. Matth.* 26. 4. *Marc.* 14. 38. *Luc.* 22. 31. 40. *et* 46.

Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram ; ne forte tentaverit vos is, qui tentat, et inanis fiat labor noster. 1. *Thess.* 3. 5. *V.* 1. *Tim.* 6. 9.

Resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. *Jac.* 4. 7.

Sobrii estote, et vigilate ; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide, etc. 1. *Petr.* 5. 8. 9.

TENTATIO. — *Tentant homines creaturæ.*

Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. *Sap.* 14. 11.

TENTATIO. — ... *caro, et sensus, et passiones. V. et* **Concupiscentia.**

Et inimici hominis domestici ejus. *Mich.* 7. 6 *Item Matth.* 10. 36.

Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. *Jac.* 1. 14.

Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris ? etc. *Ibid.* 4. 1. *V. v.* 2. *et* 3.

TENTATIO. — *Tentari non patitur Deus suos supra id quod possunt.*

Tentatio vos non apprehendat nisi humana : fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 1. *Cor.* 10. 13.

Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini : et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2 10.

TESTAMENTUM *ordinandum.*

Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac : filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret. *Gen.* 25. 5. 6.

Finitisque mandatis, quibus filios (Jacob) instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit. *Ibid.* 49. 32.

Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei : Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe. *Tob.* 4. 1. 2. *V. totum caput. Item* 3. *Reg.* 2. 1. *et seq. usq. ad v.* 10.

Filio et mulieri, fratri et amico, non des potestatem super te in vita tua : et non dederis alii possessionem tuam : ne forte pœniteat te, et depreceris pro illis. *Eccli.* 33. 20. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitus tui, distribue hæreditatem tuam. *v.* 24. *V. et c.* 14. 12.

TESTAMENTUM *rite observandum.*

Fratres (secundum hominem dico), tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. *Gal.* 3. 15.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est :

aliɔquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. *Hebr*. 9. 16. 17.

TESTIMONIUM *verum commendatur.*

Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur. *Num*. 35. 30.

Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. *Deut*. 19. 15. *V. c.* 17. 6. *Item Hebr*. 10. 28.

Testis fidelis non mentitur: profert autem mendacium dolosus testis. *Prov*. 14. 5. Liberat animas testis fidelis: et profert mendacia versipellis. *v*. 25.

Si autem (frater tuus) te non audierit; adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. *Matth*. 18. 16.

Et in lege vestra scriptum est (dixit Jesus Judæis), quia duorum hominum testimonium verum est. *Joan*. 8. 17. *V. v.* 18. *Item* 2. *Cor*. 13. 1.

Adversus prebyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 1. *Tim*. 5. 19.

TESTIMONIUM *falsum prohibetur. V. et* **Mendacium.**

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Exod*. 20. 16. *Item Deut*. 5. 20.

Non suscipies vocem mendacii: nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. *Ibid*. 23. 1. *V. v.* 7.

Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint (sacerdotes) falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui, etc. *Deut*. 19. 18. *V. v.* 16.

Ne tradideris me (Domine) in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. *Psal*. 26. 12. *et Psal*. 34. 11.

Proferentem mendacia, testem fallacem, (odit Deus). *Prov*. 6. 19.

Testis falsus non erit impunitus: et qui mendacia loquitur, non effugiet. *Ibid*. 19. 5. *Idem habetur v*. 9. *V. et v*. 28.

Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam. *Ibid*. 21. 28. *V. c.* 25. 18.

Ne sis testis frustra contra proximum tuum: nec lactes quemquam labiis tuis. *Ibid*. 24. 28.

(Castissimam Susannam impudentissimi presbyteri, cum ejus concubitu frui non possent, falso adulterii accusant; sed cum ad mortem duceretur, orantem exaudivit Deus, et per puerum Danielem proprio ore convictos senes, jure talionis populus interimit). *Dan*. 13. 62. *V. tot. cap.*

Non falsum testimonium dices. *Matth*. 19. 18. *Item Marc*. 10. 19. *Luc*. 18. 20.

Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt, etc. *Ibid*. 26. 59. *et seq. et c.* 27. 13. *V. Marc*. 14. 55. *et seq. usq. ad v*. 60.

TESTIMONIUM. — *Testimonii falsi exempla.*

(Doeg primus inter servos Saul falso loquitur adversus regem David). 1. *Reg*. 22. 9. *et seq.*

(Siba detrahit Miphiboseth coram David). *Reg*. 16. 3.

(Falsorum testium criminationibus Naboth innocens lapidibus obruitur, ejusque vinea a rege Achab, et impia Jezabel rapitur). 3. *Reg*. 21. 10. *et seq.*

(Custos portæ, nomine Jerias, falso accusat et puniri facit Jeremiam Prophetam, tanquam profugum). *Jerem*. 37. 12.

(Sic etiam ipsi principes Jerusalem adversus eumdem Prophetam falso et mendaciter apud regem loquuntur). *Ibid*. 38. 4.

(Falsi testes innocentem Susannam adulterii insimulant: falsitatis autem convicti, a populo interficiuntur). *Dan*. 13. 36. *et seq. usque ad finem.*

Principes autem sacerdotum, et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud — Jesus autem (ad omnia) tacebat. *Matth*. 26. 59. *et seq. V. c.* 27. 13. *Item Marc*. 14. 55. *et seq. usq. ad v*. 60.

(Milites custodes sepulcri, accepta pecunia, Christum, quem a morte resurgentem suis oculis conspexerunt, a discipulis clam sublatum per urbem proclamarunt). *Ibid*. 28. 15.

(Seniores et Scribæ contra Stephanum falsos testes submiserunt, quorum calumniis blasphemiæ convictum occiderunt). *Act.* 6. 11.

(Sic etiam Paulus falso accusatus fuit a Tertullo coram Felice). *Ibid.* 24. 5.

THESAURUS *verus quis.*

Divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus. *Isa.* 33. 6.

Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo : ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. *Matth.* 6. 20. *Item Luc.* 12. 33. 34.

Omnia quæcumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo (dixit Jesus cuidam adolescenti). *Luc.* 18. 22. *V. Matth.* 19. 21. *Item Marc.* 10. 21.

Divitibus hujus sæculi præcipe, non sapere in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum), bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1. *Tim.* 6. 17. *et seq. V. Luc.* 12. 21.

THESAURUS *minus diligendus, magis diligitur.*

Noli lætari, Israel, noli exultare sicut populi : quia fornicatus es a Deo tuo, dilexisti mercedem super omnes areas tritici. *Oseæ* 9. 1.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur : et ubi fures effodiunt, et furantur. *Matth.* 6. 19. *V. v.* 20. *et* 21.

Cum audisset autem adolescens (cui Christus dixerat : Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, etc.) verbum, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones. *Ibid.* 19. 22. *Item Marc.* 10. 22. *Luc.* 18. 23.

Ideo dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. *Luc.* 12. 22. 23. *V. Matth.* 6. 25.

(Dixit Jesus turbis) : Amen, amen, dico vobis : quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis et saturati estis. *Joan.* 6. 26.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. *Cor.* 4. 18.

TIMOR. — *Timendus est Deus, et ante oculos habendus.*

(Defectus timoris divini est causa peccati : ideo dixit Abraham ad Abimelech, qui tulerat uxorem ejus, putans sororem suam esse) : Cogitavi mecum, dicens : Forsitan non est timor Dei in loco isto : et interficient me. *Gen.* 20. 11.

Dixitque (Angelus) ei (Abraham) : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Ibid.* 22. 12.

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : ut enim probaret vos, venit Deus : et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. *Exod.* 20. 20.

Custodi igitur temetipsum (ait Moyses ad populum), et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. *Deut.* 4. 9.

(Iterum dixit Moyses ad populum : Hæc sunt præcepta Domini) : ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata et præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, et filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. *Ibid.* 6. 2. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. *v.* 13. *V. item v.* 24. *et c.* 10. 20. *verbatim.*

Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te? nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua, etc. *Ibid.* 10. 12. *Item v.* 20.

Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus : ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. *Ibid.* 13. 4.

Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde atque verissimo : et auferte Deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, et in Ægypto, ac servite Domino. *Josue* 24. 14. *V. Judic.* 6. 10.

(Homines, quos misit rex Assyriorum

ad habitandum Samariam), non timebant Dominum : et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 4. *Reg.* 17. 25. Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, et brachio extento, ipsum timete, et illum adorate, et ipsi immolate. *v.* 36. *V. v.* 34. 39. *et* 41. *Item* 1. *Reg.* 12. 24.

(Constituit Josaphat judices in cunctis civitatibus Juda, præcipiens eis inter cætera) : Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas. 2. *Par.* 19. 7. *V. v.* 9.

Ecce judex Deus, timete eum. Desinite a peccatis vestris, et obliviscamini iniquitates vestras jam agere eas in sempiterno, et Deus educet vos, et liberabit de omni tribulatione. 4. *Esdr.* 16. 68.

Noli timere, fili mi — multa bona habemimus, si timuerimus Deum (ait Tobias filio suo). *Tob.* 4. 23.

Numquid considerasti (ait Dominus ad Satan) servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? *Job* 1. 8. *V. v.* 1. *et c.* 2. 3.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere a malo, intelligentia. *Ibid.* 28. 28.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? *Psal.* 26. 1. *V. Psal.* 2. 11.

Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. *Psal.* 32. 8.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos. *Psal.* 33. 8. Timete Dominum, omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum. *v.* 10. *V. et v.* 12.

Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis ejus volet nimis. *Psal.* 111. 1.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Psal.* 127. 1. *V. v.* 4.

Timor Domini, principium sapientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prov.* 1. 7. *Item Psal.* 110. 10. *Eccli.* 1. 16. *et c.* 19. 18.

Ne sis sapiens apud temetipsum : time Deum, et recede a malo. *Ibid.* 3. 7. *V. c.* 8. 13.

Principium sapientiæ, timor Domini : et scientia sanctorum, prudentia. *Ibid.* 9. 10.

Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. *Ibid.* 14. 2. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *v.* 27.

Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. *Ibid.* 15. 16. *V. v.* 27. *et* 33.

Misericordia et veritate redimitur iniquitas : et in timore Domini declinatur a malo. *Ibid.* 16. 5.

Finis modestiæ, et gloria, et vita. *Ibid.* 22. 4. *V. c.* 19. 23.

Time Dominum, fili mi, et regem : et cum detractoribus ne commiscearis. *Ibid.* 24. 21. *V. Eccles.* 12. 13.

Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Ibid.* 31. 30.

Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. *Eccli.* 1. 11. *V. totum caput.*

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus : et non deflectatis ab illo, ne cadatis. *Ibid.* 2. 7. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? *v.* 12. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius : et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. *v.* 18. *V. totum caput.*

In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. *Ibid.* 7. 31.

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum : semen aut hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini *Ibid.* 10. 23. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est. *v.* 25. *V. v.* 27.

Qui timet Deum, faciet bona : et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, etc. *Ibid.* 15. 1. *V. v.* 20.

Timor Domini initium dilectionis ejus . fidei autem initium agglutinandum est ei. *Ibid.* 25. 16. *V. v.* 14.

Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. *Ibid.* 33. 1. *V. c.* 16. 1. 3. *et c.* 28. 8. *et c.* 32. 18. 20.

Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit : quoniam ipse est spes ejus. *Ibid.* 34. 16. *V. v.* 14. 17. 19.

Ne timeas (Israel), quia ego tecum sum : ne declines, quia ego Deus tuus : confortavi te, et auxiliatus sum tibi : et suscepit te dextera justi mei. *Isa.* 41. 10. *V. v.* 14.

Noli timere (Israel), quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. *Ibid.* 43. 1. *V. v.* 5. *et c* 44. 2. 8.

Ego, ipse consolabor vos : quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? *Ibid.* 51. 12.

Quis non timebit te, o rex Gentium? tuum est enim decus : inter cunctos sapientes Gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui. *Jer.* 10. 7. *V. Apoc.* 15. 4.

Et dabo eis (filiis Israel) cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus : et bene sit eis, et filiis eorum post eos. *Ibid.* 32. 39. *V. v.* 40.

Quia propter hoc dedisti (Domine) timorem tuum in cordibus nostris, et ut invocemus nomen tuum, et laudemus in captivitate nostra, qui convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te. *Baruch.* 3. 7.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10. 28. *Idem habetur Luc.* 12. 5.

(Dixit Petrus Cornelio, timenti Deum, cæterisque qui cum eo aderant) : In omni gente, qui timet eum (Deum) et operatur justitiam, acceptus est illi. *Act.* 10. 35.

Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20.

Cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

In timore incolatus vestri tempore conversamini. 1. *Petr.* 1. 17. *V. c.* 3. 2.

Omnes honorate : fraternitatem diligite : Deum timete : Regem honorificate. *Ibid.* 2. 17.

Cum modestia et timore, conscientiam (habete) bonam. *Ibid.* 3. 16. *V. Judæ.* *v.* 23.

Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus : et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, mare, et fontes aquarum. *Apoc.* 14. 7.

TIMOR. — *Timoris Dei fructus, utilitas, et laus.*

Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. *Psal.* 102. 17. *V. Psal.* 32. 18.

Qui confidint in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum. *Psal.* 124. 1. *V. totum Psal.* 117.

Timor Domini apponet dies ; et anni impiorum breviabuntur. *Prov.* 10. 27.

Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *Ibid.* 14. 27.

Timor Domini ad vitam, et in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessima. *Ibid.* 19. 23.

Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. *Ibid.* 22. 4.

TIMOR. — *Homini prodest, ipsum bene ordinando.*

Nunc ergo timete Dominum, et servite ei perfecto corde, atque verissimo. *Josue.* 24. 14.

Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus et idolis suis servientes. 4. *Reg.* 17. 41. *V. v.* 25. 34. 36. *et* 39.

Servite Domino in timore. *Psal.* 2. 11.

Confige (Domine) timore tuo carnes meas. *Psal.* 118. 120. *V. v.* 38.

Time Deum, et recede a malo : sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum. *Prov.* 3. 7. 8.

Timor Domini odit malum. *Ibid.* 8. 13.

Sapiens timet, et declinat a malo. *Ibid.* 14. 17.

Per timorem autem Domini declinat omnis a malo. *Ibid.* 15. 27. Timor Domini disciplina sapientiæ. *v.* 33.

In timore Domini declinatur a malo. *Ibid.* 16. 6.

Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto tota die : quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur. *Ibid.* 23. 17. 18.

Time Dominum, fili mi, et regem. *Ibid.* 24. 21.

Beatus homo, qui semper est pavidus : qui vero mentis est duræ, corruet in malum. *Ibid.* 28. 14.

Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccles.* 7. 19.

Deum time, et mandata ejus observa, etc. *Ibid.* 12. 13.

Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari. *Eccli.* 1. 27 28. *V. tot. caput.*

Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra, etc. *Ibid.* 2. 8. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius — Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei — Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctifi-

cabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius. *v.* 18. *et seq. V. tot caput.*

In tota anima tua time Dominum. *Ibid* 7. 31.

Qui timet Deum, faciet bona. *Ibid.* 15. 1. *V. v.* 20.

Qui timet Deum, convertetur ad cor suum. *Ibid.* 21. 7. Consummatio timoris Dei, sapientia, et sensus. *v.* 13.

Timor Dei initium dilectionis ejus : fidei autem initium agglutinandum est ei. *Ibid.* 25. 16. *V. v.* 14.

Timuerunt me (ait Dominus) mandato hominum, et doctrinis. *Isa.* 29. 13.

Et dabo eis (filiis Israel) cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus : et bene sit eis, et filiis eorum post eos. *Jerem.* 32. 39. *V. v.* 40.

TIMOR. — ... *plene remunerando.*

Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia? *Exod.* 15. 11.

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. *Tob.* 4. 23.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia. *Job.* 28. 28.

Timete Dominum, omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum. *Psal.* 33. 10. *V. v.* 8. *et* 12.

Dedisti (Domine) hæreditatem timentibus nomen tuum, *Psal.* 60. 6. *V. et Psal.* 32. 18.

Beatus vir, qui timet Dominum — Potens in terra erit semen ejus — Gloria et divitiæ in domo ejus. *Psal.* 111. 1. *et seq.*

Voluntatem timentium se faciet (Deus), etc. *Psal.* 144. 19.

Timor Domini apponet dies, etc. *Prov.* 10. 27.

In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes. Timor fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *Ibid.* 14. 26. 27.

Timor Domini ad vitam : et in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessima. *Ibid.* 19. 23.

Finis modestiæ, timor Domini, divitiæ, et gloria, et vita. *Ibid.* 22. 4.

Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis, etc. *Eccli.* 1. 11. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. *v.* 13. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, etc. *v.* 20. Timor Domini expellit peccatum, etc. *v.* 27. *V. tot. caput.*

Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum : et in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. *Ibid.* 2. 8. *et seq. V. v.* 6. *et* 7.

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum, etc. *Ibid.* 10. 23. *V. v.* 24. *et* 25.

Oculi Domini ad timentes eum. *Ibid.* 15. 20.

Et agnoscent, qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quam timor Dei, etc. *Ibid.* 23. 37.

Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei, etc *Ibid.* 25. 14. 15. Timor Dei initium dilectionis ejus. *v.* 16.

Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus : et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. *Ibid.* 32. 18. *V. v.* 20.

Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. *Ibid.* 33. 1.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit : quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum, beata est anima ejus — Oculi Domini super timentes eum, etc. *Ibid.* 34. 16. *et seq. V. v.* 14.

Facultates et virtutes exaltant cor, et super hæc timor Domini. Non est in timore Domini minoratio — Timor Domini sicut paradisus benedictionis, etc. *Ibid.* 40. 26. *et seq.*

Salus erit timentibus nomen (Domini). *Mich.* 6. 9.

Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ : et sanitas in pennis ejus : et egrediemini, et salietis, sicut vituli de armento, etc. *Malach.* 4. 2.

Et misericordia ejus (Dei), a progenie in progenies, timentibus eum. *Luc.* 1. 50. *V. Apoc.* 14. 7.

TIMOR *humanus, vitiosus. V. et* **Formido, et Pusillanimitas.**

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. *Job.* 6. 16.

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. *Psal.* 13. 5.

Qui timet hominem, cito corruet, etc. *Prov.* 29. 25.

Sicut pali in excelsis, et cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt : sic et cor timidum in cogitatione stulti, contra impetum timoris non resistet, etc. *Eccli.* 22. 21. 22. *V. v.* 23. *Item* 1. *Joan.* 4. 18. *Apoc.* 21. 8.

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam (ait Angelus Domini ad Joseph). *Matth.* 1. 20.

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui etc. *Ibid.* 10. 20. *V. v.* 26. 28. *et* 31.

Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : ita dico vobis, hunc timere. *Luc.* 12. 4. 5. *V. v.* 7. *et* 32.

Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? — timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. 1. *Petr.* 3. 13. 14. *V. Philipp.* 1. 28.

TIMOR. — ... *contemptus ejus virtuosus.*

Firmamentum est Dominus timentibus eum. *Psal.* 24. 14.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? etc. *Psal.* 26. 1.

In Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro. *Psal.* 55. 5. *V. v.* 11. *et Psal.* 117. 6.

Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, etc. *Prov.* 3. 25. 26. *V. v.* 24. *Item* 2. *Paral.* 20. 15. 17.

Servus meus es tu — Ne timeas, quia ego tecum sum, etc. *Isa.* 41. 9. Ne timeas, ego adjuvi te, etc. *v.* 13. *V. v.* 14. *Item Josue* 10. 8.

Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. *Ibid.* 43. 1. 2. *V. v.* 5. *Item c.* 44. 2.

Audite me, qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum : nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos, vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. *Ibid.* 51. 7. 8. Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum, ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, et fundavit terram : et formidasti, etc. *v.* 12. *et* 13. *V.* 1. *Mach.* 2. 62.

Ne timeas a facie eorum : quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. *Jerem.* 1. 8. *V. v.* 17. *Item Baruch* 6. 15.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8. 31.

TIMOR. — *Timore punit Deus et terrore.*

Cumque profecti essent (Jacob cum omni domo sua), terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes. *Gen.* 35. 5.

Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris : cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. *Exod.* 23. 27. *V. c.* 15 16.

Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis; et ita fugient quasi gladium : cadent, nullo persequente, etc. *Levit.* 26. 36.

Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo : ut audito nomine tuo (Israel), paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur. *Deut.* 2. 25.

Nullus stabit contra vos : terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. *Ibid.* 11. 25.

Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te (Israel). *Ibid.* 28. 10. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui (Israel). Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore : et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. *v.* 65. 66. *V. v.* 67.

Novi quod Dominus tradiderit vobis terram (ait Rahab exploratoribus Josue) : etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. *Josue* 2. 9.

Et conturbavit eos Dominus (scilicet quinque reges expugnantes Gabaon) a facie Israel : contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth-horon, et percussit usque Azeca et Maceda. *Ibid.* 10. 10. *V. Judic.* 4. 15.

Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes (Madianitæ) ululantesque fugerunt (scilicet a gladio Dei, et Gedeonis), et nihilominus insistebant trecenti viri, buccinis personantes, etc. *Judic.* 7. 21. 22.

Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel : intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie. 1. *Reg.* 7. 10. *V.* 4. *Reg.* 7. 6.

Et percusserunt (Asa cum suis) civitates omnes per circuitum Geraræ : grandis quippe cunctos terror invaserat (Æthiopes) : et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt. 2. *Par.* 14. 14. *V. et v.* 12. *Item c.* 17. 10.

Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent, quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel (scilicet Ammonitas, Moabitas, et Syrios). *Ibid.* 20. 29.

Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore, et metu agitati, fugæ præsidium sumunt. *Judith* 15. 1. *V. c.* 14. 17.

Exurge, Domine, non confortetur homo : judicentur gentes in conspectu tuo. *Psal.* 9. 20.

Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, et in conspectu quærentium animam eorum : et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus : et mittam post eos gladium, donec consumam eos. *Jerem.* 49. 37.

Heliodorus autem (a Rege Antiocho missus, ut thesauros templi raperet), quod decreverat, perficiebat eodem loco, ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur, etc. 2. *Mach.* 3.

TIMOR. — *Timoris Dei exempla.*

(Dixit Angelus Domini ad Abraham) : Nunc cognovi, quod times Deum : et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Gen.* 22. 12.

Timuerunt autem obstetrices Deum (quibus præceperat Pharao omnes masculos interficere in Israel, et fœminas reservare), et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. *Exod.* 1. 17. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos *v.* 21. *V. c.* 14. 31.

Et viderunt (filii Israel transeuntes mare rubrum) Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos : timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus. *Ibid.* 14. 31.

Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces, et pluvias in illa die. Et timuit omnis populus nimis Dominum, et Samuelem. 1. *Reg.* 12. 18. 19.

Abdias autem (dispensator domus Achab) timebat Dominus valde. Nam cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, et abscondit eos — et pavit eos. 3. *Reg* 18. 3. 4. *V. v.* 12.

Sit timor Domini vobiscum (ait Josaphat judicibus populi), et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Par.* 19. 7. *V. v.* 9.

Sed Tobias plus timens Deum, quam regem, rapiebat corpora occisorum, et occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepeliebat ea. *Tob.* 2. 9. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei. *v.* 13. *V. c.* 1. 10.

Virum autem cum timore tuo (Domine Deus), non cum libidine mea consensi suscipere (aiebat Sara filia Raguelis). *Ibid.* 3. 18. *V. c.* 4. 23.

Cumque omnes dixissent : Amen, accesserunt ad convivium : sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. *Ibid.* 9. 12. *V. v.* 9. *Item c.* 14. 4.

Et erat hæc (Judith) in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Judith* 8. 8. *et* 29.

Dixitque Dominus ad eum (Satan) : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo sim-

plex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? *Job* 1. 8. *Item v.* 1. *et c.* 2. 3.

Semper enim quasi tumentes super me uctus, timui Deum, et pondus ejus ferre on potui. *Ibid.* 31. 23.

Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Prov.* 31. 30.

Et timuerunt viri (qui erant in navi) timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. *Jonæ* 1. 16. *V. v.* 5. 9 *et* 10.

Sed, cum plagis perimeretur (Eleazarus), ingemuit, et dixit : Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros sustineo dolores; secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. 2. *Mach.* 6. 30.

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo. *Luc.* 2. 25.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum *Act.* 8. 2.

Ecclesia — habebat pacem, et ædificabatur, ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur. *Ibid.* 9. 31.

Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, etc. religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. *Ibid.* 10. 1. 2. In veritate comperi (inquit Petrus), quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. *v.* 34. 35.

TIMOR *et sollicitudo non repugnant fidei et spei.*

Servite Domino in timore : et exultate ei cum tremore. *Psal.* 2. 11. *V. Tob.* 13. 6.

Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem : sunt justi atque sapientes : et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit. *Eccles.* 9. 1.

De propitiato peccato noli esse sine metu : neque adjicias peccatum super peccatum. *Eccli.* 5. 5.

Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11. 20.

Ego igitur sic curro, non quasi incertum : sic pugno, non quasi aerem verberans : sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 26.

Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat. *Ibid.* 10. 12.

Itaque, carissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea cum metu et tremore vestram salutem operamini. *Philipp.* 2. 12.

Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus (Dei), existimetur aliquis in vobis deesse, etc. *Hebr.* 4. 1. *V.* 1. *Petr.* 1. 17.

TIMOR. — *Timent et reverentur bonos etiam mali.*

(Dixit Abimelech ad Abraham) : Deus tecum est in universis, quæ agis. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, etc. *Gen.* 21. 22. 23. *V. c.* 20. 8.

(Ægyptii, persequentes filios Israel, qui ibant per medium mare, dixerunt) : Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos. *Exod.* 14. 25.

Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset. 1. *Reg.* 18. 12. *V. et v.* 29.

(Princeps quinquagenarius, qui tertio venit ad Eliam, inquit ad illum) : Ecce descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant : sed nunc obsecro, ut miserearis animæ meæ. 4. *Reg.* 1. 14.

Factum est ergo, cum audissent omnes inimici nostri (quod completus esset murus Jerusalem), ut timerent universæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, et conciderent intra semetipsos, et scirent quod a Deo factum esset opus hoc. 2. *Esdr.* 6. 16.

Et cecidit timor Judæ, ac fratrum ejus, et formido super omnes gentes in circuitu eorum. Et pervenit ad regem nomen ejus, etc. 1. *Mach.* 3. 25. 26.

Et audierunt adversarii (principes Demetrii), quod paratus est Jonathas cum suis in bello : et timuerunt, et formidaverunt in corde suo : et accenderunt focos in castris suis. *Ibid.* 12. 28.

(Postquam Lysias fuit debellatus a Juda Machabæo, voluit pacem facere cum eo),

intelligens invictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, etc. 2. *Mach.* 11. 13.

Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum : et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. *Marc.* 6. 20. *V. Matth.* 14. 5. *Item Luc.* 1. 65. *et c.* 2. 9. *et c.* 7. 16.

(Post terribilem mortem Ananiæ et Saphiræ), factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnibus qui audierunt hæc. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis sed magnificabat eos populus. *Act.* 5. 11. *et seq. V. c.* 9. 26.

(Custos carceris, e quo Paulus et Silas liberati sunt, primo se voluit interficere, videns apertas januas, postea tremefactus procidens ad eorum pedes), ait : Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? *Ibid.* 16. 30. *V.* 2. *Cor.* 7. 15.

TRADITIO. — *V. et* **Antiquæ viæ, et Constitutiones Superiorum.** *Item* **Doctrina Apostolorum.**

TRADITIO. — *Traditiones Ecclesiasticæ, sine scripto ab Apostolis acceptæ, servandæ nobis sunt.*

Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas : interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi. 32. 7. *V. Job.* 8. 8.

(David clare se traditionibus edoctum pronuntiat, dum ait) : Deus, auribus nostris audivimus : patres nostri annuntiaverunt nobis. Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis. *Psal.* 43. 2.

(Christus post resurrectionem suam per quadraginta dies cum discipulis suis erat), loquens de regno Dei. *Act.* 1. 3.

Paulus vero electo Sila, profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. Perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens : Custodite præcepta Apostolorum et seniorum. *Ibid.* 15. 40. 41.

Cum autem (Paulus et Timotheus) pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Jerosolymis. *Ibid.* 16. 4. *Confer Rom.* 15. 15.

(Laudat Paulus Corinthios, quod ea, quæ illis tradidisset, sedulo tenerent; et concludit hoc caput, dicens) : Cætera autem, cum venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 2. 34.

Itaque, fratres, state; et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, in dilectione in Christo Jesu. 2. *Tim.* 1. 13.

Et quæ audisti a me — hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. *Ibid.* 2. 2. *V. c.* 3. 10. 14.

TRADITIO. — *Tradiderunt Apostoli quædam viva voce.*

Si quis esurit, domi manducet : ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 34.

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit. 2. *Joan.* *v.* 12. *V.* 3 *Joan. v.* 13. 14.

TRANSUBSTANTIATIO. *V.* **Missæ Sacrificium.** *Item* **Eucharistia.**

TRIBULATIO. *V. et* **Crux.**

TRIBULATIO, *et ejus utilitas.*

(Joseph plus crevit in terra paupertatis, (quam in terra nativitatis suæ crevisset). *Gen.* 41. 52.

Merito hæc patimur (dicebant fratres Joseph), quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio. *Ibid.* 42. 21.

Quantoque opprimebant eos (Ægyptii Judæos), tanto magis multiplicabantur, et crescebant. *Exod.* 1. 12. *V. v.* 13. *et* 14.

(Israelitæ afflicti a serpentibus ignitis, pœnitentiam agunt). *Num.* 21. 6. 7.

Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. *Ibid.* 31. 23.

(Toto tempore principatus Josue, quando filii Israel gravissima prælia habuerunt, non leguntur a Domino recessisse : sed cito post, quando in abundantia et quiete fuerunt). *Josue c.* 1. *et seq. Confer Librum Judicum, et invenies.*

(Audierunt filii Israel, quod Philisthæi essent congregati, ut venirent contra eos, et timentes dixerunt ad Samuelem) : Ne

cesses pro nobis clamare ad Dominum, etc. 1. *Reg.* 7. 8.

Et convenerunt ad eum (David) omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo et factus est eorum princeps. *Ibid.* 22. 2.

(Fugiens David a facie Absalom, patiens fuit in ferendis Semei servi sui conviciis : sed obtenta victoria superbivit, quando jussit populum numerari). 2. *Reg.* 16. 10. *et c.* 24. 1. 2. *Item* 1. *Paral.* 21. 1. 2.

Pane tribulationis, et aqua angustiæ (jussus est propheta Michæas sustentari in carcere, quia noluit Achab respondere juxta voluntatem). 3. *Reg.* 22. 27. *Item* 2. *Paral.* 18. 26.

(Voluit Dominus, ut filii Israel affligerentur a Sesac rege Ægypti ; ut noscerent differentiam servitutis divinæ et humanæ). 2. *Par.* 12. 8.

Tempore angustiæ suæ auxit (Achaz) contemptum in Dominum. *Ibid.* 28. 22.

Postquam (Manasses) coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, (cum esset in Babylone), et egit pœnitentiam valde coram Deo — et exaudivit (Dominus) orationem ejus, etc. *Ibid.* 33. 12. 13.

In tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te (Domine, filii Israel), et tu de cœlo audisti, et secundum miserationes tuas multas, dedisti eis salvatores, etc. 2. *Esdr.* 9. 27. *V. v.* 28.

(Permittente Deo, post bona opera Tobias fuit excæcatus, et deinde derisus est ab illis, qui eum debuissent consolari ; sed postea Dominus multipliciter consolatus est eum). *Tob.* 2. 11. *et seq. V. totam histor. Sic et Job. V. c.* 1. *per totum. Et c* 42. 12. *vide remunerationem ejus patientiæ.*

Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum : qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. *Tob.* 3. 13. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit (Domine), quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, etc. *v.* Post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem, et fletum, exultationem infundis. *v.* 22.

Quoniam tu (Domine) flagellas et salvas : deducis ad inferos, et reducis. *Ibid.* 13. 2. Ipse castigavit nos, propter iniquitates nostras : et ipse salvabit nos, propter misericordiam suam. *v.* 5. *V. c.* 12. 13.

In tuo flagello vindica (Domine) iniquitates nostras. *Judith* 7. 20.

(De populo suo loquens Judith, dicebat) : Memores esse debent, quomodo Abraham pater noster tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. *Ibid.* 8. 22. (*V. v.* 23.) Et nos ergo non ulciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus. *v.* 26. *et* 27.

Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? *Job* 2. 10.

Beatus homo, qui corripitur a Deo : increpationem ergo Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. *Ibid.* 5. 17. *et seq.*

Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, etc. *Ibid.* 6. 4.

Auferat a me (Dominus) virgam suam, et pavor ejus non me terreat. *Ibid.* 9. 34.

(Utinam) intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo (Deo), quam meretur iniquitas tua. *Ibid.* 11. 6.

Domus eorum (impiorum) securæ sunt, et pacatæ, et non est virga Dei super illos. *Ibid.* 21. 9.

Ipse (Deus) — probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. *Ibid.* 23. 10.

Consumpta est caro ejus (hominis) a suppliciis : revertatur ad dies adolescentiæ suæ. *Ibid.* 33. 25. Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi. *v.* 27.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus. *Psal.* 2. 12.

In tribulatione dilatasti mihi. *Psal.* 4. 2. *V. Psal.* 45. 1.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum (sanctorum) : postea acceleraverunt. *Psal.* 15. 4.

Probasti cor meum (Deus), et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. *Psal.* 16. 3.

Et disciplina tua (Domine) correxit me in finem. *Psal.* 17. 36. *V. v.* 7. *Item* 2. *Reg.* 22. 7.

Virga tua (Domine) et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. *Psal.* 22. 4.

Tu es (Deus) refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me. *Psal.* 31. 7.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. *Psal.* 33. 19. 20. *V. v.* 5. 7. *et* 18.

Invoca me (ait Dominus) in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. *Psal.* 49. 15. *V. Psal.* 43. 22. 24.

Posuisti (Domine) tribulationes in dorso nostro. *Psal.* 65. 11. Transivimus per ignem et aquam; et eduxisti nos in refrigerium. *v.* 12. *V. Psal.* 137. 7.

Cum ipso (orante) sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum. *Psal.* 90. 15. *V. Psal* 119. 1.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ (Deus) lætificaverunt animam meam. *Ps.* 93. 19. *V. Ps.* 70. 20. *et Ps.* 106. *v.* 6. 13. 19. 28. *et* 39. *Item Ps.* 114. 3.

Bonum mihi, quia humiliasti me (Deus), ut discam justificationes tuas. *Psal.* 118. 71. *V. Psal.* 114. 3.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias : nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit: et, quasi pater in filio, complacet sibi. *Prov.* 3. 11. 12. *V. Hebr.* 12. 5. 6. *Item Apoc.* 3. 19.

Sicut igne probatur argentum et aurum in camino : ita corda probat Dominus. *Ibid.* 17. 3.

Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum : et alius natus in regno, inopia consumatur, etc. *Eccles.* 4. 14.

Curatio faciet cessare peccata maxima. *Ibid.* 10. 4.

In paucis vexati, in multis (justi) bene disponentur quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. *Sap.* 3. 5. 6.

Hos quidem (Israelitas) tanquam pater (Domine) monens probasti : illos autem (Ægyptios) tanquam durus rex interrogans condemnasti. *Ibid.* 11. 11. Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. *v.* 14

Cum ergo das nobis (Domine) disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus, etc. *Ibid.* 12. 22.

Ad correptionem in brevi turbati sunt (Israelitæ), signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ, *Domine. Ibid.* 16. 6.

Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles, in camino humiliationis. *Eccli.* 2. 4. 5. Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata. *v.* 13.

Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. *Ibid.* 27. 6.

Infirmitas gravis sobriam facit animam. *Ibid.* 31. 2.

Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. *Ibid.* 35. 26.

Et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. *Isa.* 1. 25.

Cum feceris (Domine) judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, et non discet justitiam. *Ibid.* 26. 9. 10. Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis, etc. *v.* 16.

Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. *Ibid.* 28. 19.

A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus. Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum, etc. *Ibid.* 30. 31.

Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. *Jerem.* 6. 29. 30.

Ecce ego conflabo, et probabo eos. *Ibid.* 9. 7.

Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis. *Ibid.* 25. 29.

Castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius. *Ibid.* 30. 11.

Castigasti me (Domine), et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus. *Ibid.* 31. 18.

Castigabo te (Jacob) in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi. *Ibid.* 46. 28.

Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent : et tu quasi innocens relinqueris ? non eris innocens, sed bibens bibes. *Ibid.* 49. 12.

Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te : audi, Domine, et miserere, etc. *Baruch.* 3. 1. 2.

Omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis : scoria argenti facti sunt. *Ezech.* 22. 18.

Multo labore sudatum est, et non exivit de ea (civitate) nimia rubigo ejus, neque per ignem. *Ibid.* 24. 12.

(Nabuchodonosor in prosperitate fuit arrogans et superbus; ideo ejectus ab hominibus, et in bestiam mutatus est : recuperavit autem sensum, quem amiserat in honore elatus, et laudavit Altissimum, quem blasphemaverat prius). *Dan.* 4. 30. *et seq.*

Eligentur, et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur multi. *Ibid.* 10. 12.

(Susanna in condemnatione mortis posita, nec habens recursum ad humanum auxilium, flens respexit ad cœlum, sicut avis in terra ab hominibus et canibus circumcincta, non habet refugium, nisi elevet se in altum) *Ibid.* 13. 22. *et* 42.

Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. *Oseæ.* 2. 6.

In tribulatione sua mane consurgent ad me : Venite, et revertamur ad Dominum : quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos, etc. *Ibid.* 6. 1. 2.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis ; et ero eis, quasi exaltans jugum sub maxillas eorum : et declinavi ad eum, ut vesceretur. *Ibid.* 11. 4.

Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum. *Jonæ.* 2. 8. *V. v.* 3.

Dominus in tempestate, et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. *Nahum* 1. 3. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis : et sciens sperantes in se. Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci ejus, etc. *v.* 7. Non consurget duplex tribulatio. *v.* 9. Afflixi te, et non affligam te ultra. *v.* 12.

Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum : et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. *Aggæi.* 2. 18.

Uram eos, sicut uritur argentum, et probabo eos, sicut probatur aurum, etc. *Zach.* 13. 9.

Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum : et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, etc. *Malach.* 3. 2.

Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, et factus est Dominus Ægypti. 1. *Mach.* 2. 53.

Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies venerit, in plenitudine peccatorum puniat : ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. 2. *Mach.* 6. 13. 14. 15. Corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit. *v.* 16.

(Eleazarus) gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. *Ibid.* *v.* 19. Patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. *v.* 20. Nam, et si in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis neque vivus, neque defunctus effugiam. *v.* 26. Tu scis (Domine), quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. *v.* 30. (Verba sunt ejusdem Eleazari).

Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis : sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. *Ibid.* 7. 9. E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. *v.* 11. Nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis : tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. *v* 18. Dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam (verba sunt matris). *v.* 29. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato — æternæ vitæ effecti sunt (participes). *v.* 36. (Verba sunt fratrum Machabæorum, eorumque invictissimæ matris).

Hinc igitur, cœpit (Antiochus) ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, etc. *Ibid.* 9. 11.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, etc. *Matth.* 5. 10. Si quis

te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. *v.* 39. *V. Luc.* 6. 22. 29.

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Ibid.* 10. 39. *Item c.* 16. 25. *Marc.* 8. 35. *Luc.* 9. 24. *et c.* 17. 33. *Joan.* 12. 25.

Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. *Ibid.* 24. 9. *V. v.* 21. 29. *Item Marc.* 13. 19. 24.

Ego autem hic fame pereo (ait filius prodigus). Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Luc.* 15. 17. *et seq.*

Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? *Ibid.* 24. 26.

Neque hic peccavit (cæcus natus), neque parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo. *Joan.* 9. 3.

Omnem palmitem — qui fert fructum, purgabit eum (Pater cœlestis), ut fructum plus afferat. *Ibid.* 15. 2.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Ibid.* 16. 2. Tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. *v.* 20. 21. *V. v.* 22.

(Apostoli jussu magistratuum flagellati), ibant gaudentes — quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5. 41.

Joseph vendiderunt in Ægyptum (fratres sui), et erat Deus cum eo : et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus ; (et glorificavit eum), etc. *Iibd.* 7. 9. 10. *V. v.* 11.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Act.* 14. 21.

Quoniam vincula et tribulationes (inquit Paulus) Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu. *Ibid.* 20. 23. *V. v.* 19.

Ego enim (ait idem Paulus) non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. *Ibid.* 22. 13.

Sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur, etc. *Rom.* 5. 3.

Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Ibid.* 8. 17. 18. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. *v.* 21. 22. Quis ergo nos separabit a caritate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? *v.* 35. Certus sum enim, quia neque mors, — neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. *v.* 38. 39.

In tribulatione patientes. *Ibid.* 12. 12.

Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus. 1. *Cor.* 4. 11. 12.

Benedictus Deus — qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. 2. *Cor.* 1. 3. 4. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundat consolatio nostra. *v.* 5. Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. *v.* 7. *V. v.* 6. 8. *Item c.* 2. 4.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus : semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. *Ibid.* 4. 8. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *v.* 17. *V. c.* 6. 4. *et seq.*

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. *Ibid.* 7. 4. *V. v.* 5.

In multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum (Macedonum) fuit, etc. *Ibid.* 8. 2. *V. v.* 13.

Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. *Ibid.* 11. 20. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequen-

ter, etc. *v.* 23. In labore, et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore, et nuditate, etc. *v.* 27.

Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo, etc. *Ibid.* 12. 9. 10.

Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc. *Galat.* 4. 29.

Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. *Philipp.* 1. 29.

Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Coloss.* I. 24.

Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti. 1. *Thess.* 1. 6.

Ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis — ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini, etc. 1. 4. *V. v.* 6. 7.

Nam si commortui sumus, et convivemus : si sustinebimus, et conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. *Ibid.* 3. 12.

Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum. *Hebr.* 2. 9.

Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, etc. *Ibid.* 5. 8.

Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, etc. — Egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus, etc. *Ibid.* II. 36. 37. 38.

Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes : ergo adulteri, et non filii estis. *Ibid.* 12. 8. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. *v.* 11. *V. v.* 2. *et seq.*

Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, etc. *Jacob.* 1. 2. 3. 4.

Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *v.* 12.

In quo (Christo) exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi. 1. *Petr.* 1. 6. 7.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *Ibid.* 2. 21.

Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. *Ibid.* 3. 14. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. *v.* 17. *V. c.* 2. 20.

Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini. *Ibid.* 4. 1. Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, etc. *v.* 13. 14. Quoniam tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis : quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? *v.* 17. *V. v.* 19.

In Christo Jesu modicum passos ipse (Deus) perficiet, confirmabit, solidabitque. *Ibid.* 5. 10.

Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos. 2. *Petr.* 2. 9.

Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu. *Apoc.* 1. 9.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna. *Ibid.* 7. 14.

Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. *Ibid.* 12. 11.

TRIBUTUM. *V.* **Exactio.**

TRINITAS *figurata et declarata.*

Faciamus hominem (ait Deus) ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit illum. *Gen.* 1. 28. 27. *Item c.* 5. 1. *et c.* 9. 6. *Sap.* 2. 23. *Eccli.* 17. 1.

Cumque (Abraham) elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum : quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. *Ibid.* 18. 2.

Et ait (Deus ad Moysen) : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum. *Exod.* 3. 6. *V. v.* 15. *et* 16. *et c.* 4. 5. *Item Matth.* 22. 32. *Marc.* 12. 26. *Luc.* 20. 37.

Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est. *Deut.* 6. 4.

Verbo Domini cœli firmati sunt : et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psal.* 32. 6.

Et clamabant alter ad alterum (duo Seraphim), et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum ; plena est omnis terra gloria ejus. *Isa.* 6. 4. *V. Apoc.* 4. 8.

Requirite diligenter in libro Domini, et legite : unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit : quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. *Ibid.* 34. 16.

Accedite ad me, et audite hoc : non a principio in abscondito locutus sum : ex tempore antequam fieret, ibi eram : et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. *Ibid.* 48. 16.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, etc. *Ibid.* 61. 1. *Idem repetitur Luc.* 4. 18. 19.

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli : et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth.* 3. 16. 17. *et c.* 17. 5. *Item Marc.* 1. 10. 11. *et c.* 9. 6. *Luc.* 3. 22. *et c.* 9. 35. *Joan.* 1. 32. 2. *Petr.* 1. 17.

Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Ibid.* 10. 20. *V. Luc.* 12. 12.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. *Ibid.* 28. 19.

Pater diligit Filium : et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam æternam : qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, etc. *Joan.* 3. 35. 36.

Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dadit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, etc. *Ibid.* 14. 16. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *v.* 26.

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Ibid.* 15. 26.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, etc. 2. *Cor.* 13. 13.

Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt. 1. *Joan.* 5. 7.

TRIPUDIARE. *V.* **Choreas ducere.**

TRISTITIA. — *Tristari immoderate propter temporalia, minime laudandum.*

Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. *Prov.* 12. 25.

Cor gaudens exhilarat faciem : in mœrore animi dejicitur spiritus. *Ibid.* 15. 13. *V.* 1. *Mach.* 6. 8.

Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa. *Ibid.* 17. 22.

Sicut tinea vestimento, et vermis ligno : ita tristitia viri nocet cordi. *Ibid.* 25. 20.

Omnis plaga, tristitia cordis est. *Eccli.* 25. 17.

Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. *Ibid.* 30. 22. Tristitiam longe repelle a te. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. *v.* 23. 25.

A tristitia enim festinat mors, et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem. In abductione permanet tristitia — Ne dederis in tristitia cor tuum : sed repelle eam a te. *Ibid.* 38. 19. 20. 21.

Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10. *V. v.* 8. 9. *et* 11. *Item* 1. *Petr.* 2. 19.

TRISTITIA. — *Tristitiæ exempla.*

Dixitque Rebecca ad Isaac : Tædet me vitæ meæ, propter filias Heth ; si acce-

perit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere *Gen*. 27. 46.

(Jacob) scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. *Ibid*. 37. 34. *V. v*. 35.

(Viderunt ambo pistor et pincerna Pharaonis somnium, et inde facti sunt valde tristes). *Ibid*. 40. 6. 7.

Contristatus est enim (Jonathas) super David, eo quod confudisset eum pater suus, (et non comedit panem). 1. *Reg*. 20. 34. *V. idem* (de David super Ozam), 2. *Reg*. 6. 8. *V. et* 2. *Reg*. 13. 21. *et* 1. *Paral*. 13. 11.

(Audiens Esdras, Judæos matrimonia contraxisse cum gentibus, scidit pallium et tunicam, et evellit capitis et barbæ capillos, et sedit mœrens). 1. *Esdr*. 9. 3. *V*. 2. *Esdr*. 2. 2. 3. *V. et* 3. *Esdr*. 8. 72. 73.

Cœpit autem contristari nimis ipse (Tobias), et Anna uxor ejus cum eo : et cœperunt ambo simul flere : eo quod die statuto minime reverteretur filius eorum ad eos. Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat, etc. et nullo modo consolari poterat, etc. *Tob*. 10. 3. 7. *V. c* 23. *et seq*.

(Luctus Mardochæi ac reliquorum Judæorum, ob paratum ipsis interitum). *Esther*. 4. 1. *et seq*.

(Magna tristitiæ signa ediderunt Job, et ejus amici in suis calamitatibus). *Job*. 1. 20. *et c*. 2. 12. 13.

Miser factus sum (inquit David), et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.— Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei. *Psal*. 37. 7. 9. *et seq*. *V. Psal*. 42. 2. 5. *et Psal*. 54. 3.

Super contritione filiæ populi mei contritus sum, et contristatus; stupor obtinuit me. *Jer*. 8. 21. *V. v*. 18. *Item Dan*. 6. 14. 2. *Mach*. 4. 37. *Matth*. 14. 9. *c*. 17. 22. *c*. 18. 31. *c*. 19. 22. *Marc*. 6. 26. *c*. 10. 22. *Luc*. 18. 23. *Joan*. 16. 20. *et seq. et c*. 21. 17.

(Discipuli in ultima cœna valde contristati sunt, ob verbum Domini de proditore suo). *Matth*. 26. 22. *V. Marc*. 14. 19.

Cœpit (Christus in horto Gethsemani) contristari et mœstus esse. Tunc ait illis (discipulis) : Tristis est anima mea usque ad mortem, etc. *Ibid. v*. 37. 38. *Item Marc*. 14. 34. *Luc*. 22. 45.

Quoniam tristitia mihi magna est (inquit Paulus), et continuus dolor cordi meo. *Rom*. 9. 2. *V*. 2. *Cor*. 1. 8. *et c*. 2. 2. *et seq*. *Item Philipp*. 2. 26. *et seq*.

TUBA *clangent Angeli in consummatione sæculi*.

Et mittet (Deus) Angelos suos cum tuba, et voce magna : et congregabunt electos a quatuor ventis, a summis cœlorum, usque ad terminos eorum. *Matth*. 14. 31.

In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur. 1. *Cor*. 15. 52.

Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, etc. 1. *Thess*. 4. 15.

TYRANNUS. — *Tyrannorum nequitia, et crudelitas*.

(Varias excogitavit Pharao nequitias, ut possit extinguere, vel ad numerum parvum redigere filios Israel : in primis eos duris laboribus jussit affligi. *Exod*. 1. 11. *et seq*. (Deinde præcepit masculos occidi, et in fluvium projici, fœminas vero reservari). *v*. 16. 22. (Postea simpliciter dixit Pharao) : Nescio Dominum, et Israel non dimittam. *c*. 5. 2. (Deinde concessit quidem populum abire, sed falso dicens) : Ite, sacrificate Domino in terra hac. *c*. 8. 25. (Rursus dimittere eos voluit, ut sacrificarent Domino in deserto); verumtamen (ait) longius ne abeatis. *v*. 28. (Tandem permisit ut irent quidem viri, oves tamen et armenta remanerent). *c*. 10. 24. (et Moysi sub pœna mortis vetuit, ne ultra coram eo appareret). *v*. 28.

Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant — ciborum reliquias (sub mensa Adonibezec : quo eodem supplicio, justo Dei judicio), et ipse affectus est. *Judic*. 1. 6. 7.

(Abimelech, usurpato dominio super populo), occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum. *Ibid*. 9. 5. (Verum suæ tyrannidis justas pœnas luit). *v*. 53. 54.

(Virum Dei, arguentem Jeroboam pro altari sacrilego, quod construxerat, præcepit ipse Jeroboam comprehendi : sed statim punitus fuit). 3. *Reg*. 13. 4. *V. c*. 16. 7. (de impio rege Baasa, qui occidit prophetam Jehu).

(Impia Jezabel minata est mortem Eliæ,

quia prophetas Baal occiderat). *Ibid.* 19. 1. 2.

(Naboth lapidatus fuit, præcipiente Jezabel, quæ fecit falsos testes; filios diaboli, contra eum produci). *Ibid.* 21. 10. 13.

(Achab rex Israel fecit poni Michæam Prophetam in carcerem, et sustentari) pane tribulationis, et aqua angustiæ. *Ibid.* 22. 27.

(Manasses rex Juda) sanguinem innoxium — effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium. 4. *Reg.* 21. 16. *et c.* 24. 4

Denique cum reversus esset Sennacherib fugiens a Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos Judæos occidit, etc. *Tob.* 1. 21.

Tantusque metus provinciis illis incubuit (de Holoferne), ut universarum urbium habitatores principes, et honorati simul cum populis, exirent obviam venienti, excipientes eum cum coronis et lampadibus: ducentes choros in tympanis et tibiis. Nec ista tamen facientes, ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt, etc. *Judith.* 3. 9. *et seq.*

(Immanis crudelitas fuit, cum Nabuchodonosor rex Babylonis fecit socios Danielis in fornacem ignis mitti). *Dan.* 3 20.

(Nimiam crudelitatem exercuerunt illi, qui ab Antiocho missi fuerunt, ut Eleazarum, et septem fratres eorumque matrem ad porcinas carnes manducandas impellerent). 2. *Mach.* 6. 18. *et seq. et c.* 7. 1. *et seq. per totum.*

Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, etc. *Matth.* 2. 16.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. *Act.* 12. 1. *et seq.*

V

VÆ, *væ quibus et quam ob causam intermi- netur Scriptura Sacra.*

Væ tibi, Moab, peristi, popule Chamos. Dedit filios ejus in fugam, et filias in captivitatem regi Amorrhæorum Seon. *Num.* 21. 29. *V.* 4. *Esdr.* 16. 1. 17.

Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis: in die judicii visitabit illos. *Judith.* 16. 20.

Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. *Eccles.* 4. 9. 10.

Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt. *Ibid.* 10. 16. *V. Prov.* 23. 29.

Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: et ideo non protegentur ab eo. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, etc. *Eccli.* 2. 14. *et seq. V. c.* 31. 7.

Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi. *Ibid.* 41. 11. *V.* 1. *Reg.* 4. 8.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. *Isa.* 1. 4. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israel: Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. *v.* 24.

Agnitio vultus eorum respondebit eis: et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. *Ibid.* 3. 9. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei. *v.* 11.

Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? *Ibid.* 5. 8. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum, etc. *v.* 18. *V. v.* 11. 20. 21. 22.

Et dixi: Væ mihi (Isaiæ), quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis, etc. *Ibid.* 6. 5.

Væ qui condunt leges iniquas: et scribentes, injustitiam scripserunt: ut opprimerent in judicio pauperes, et vim face-

rent causæ humilium populi mei : ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. *Ibid.* 10. 1. 2. *V. v.* 5.

Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis : et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. *Ibid.* 17. 12.

Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ. *Ibid.* 18. 1. *V. c.* 24. 16.

Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino. *Ibid.* 28. 1.

Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David : additus est annus ad annum : solemnitates evolutæ sunt. *Ibid.* 29. 1. *V. v.* 15.

Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum. *Ibid.* 30. 1. *V. c.* 31. 1.

Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis : cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. *Ibid.* 33. 1.

Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ : numquid dicet lutum figulo suo : Quid facis? et opus tuum absque manibus est? Væ qui dicit patri : Quid generas? et mulieri : Quid parturis? *Ibid.* 45. 9. 10.

Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ : vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos. *Jerem.* 4. 31. *V. c.* 10. 19.

Adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ : super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi, Jerusalem, non mundaberis post me : usquequo adhuc? *Ibid.* 13. 27. *V. c.* 15. 10.

Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. *Ibid.* 22. 12. *V. v.* 18.

Væ pastoribus, qui disperdunt, et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. *Ibid.* 23. 1. *V. c.* 30. 7.

Dixisti : Væ misero, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo : laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. *Ibid.* 45. 3. *V. c.* 48. 1.

Hæc dicit Dominus Deus : Percute manum tuam, et allide pedem tuum, et dic : Heu ! ad omnes abominationes malorum domus Israel : quia gladio, fame, et peste ruituri sunt. *Ezech.* 6. 11.

Hæc dicit Dominus Deus : Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. *Ibid.* 13. 3. Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus : et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas : et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. *v.* 18.

Et accidit post omnem malitiam tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus), et ædificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis, etc. *Ibid.* 16. 23. 24. *V. c.* 24. 9.

Fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ululate, væ, væ diei : quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini, dies nubis, tempus Gentium erit. *Ibid.* 30. 2. 3.

Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos : nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. *Ibid.* 84. 2. 3.

Væ eis (Israelitis), quoniam recesserunt a me : vastabuntur, quia prævaricati sunt in me : et ego redemi eos : et ipsi locuti sunt contra me mendacia. *Oseæ* 7. 13.

A, a, a, diei, quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet. *Joel.* 1. 15.

Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, et non lux. *Amos* 5. 18.

Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. *Ibid.* 6. 1.

Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris : in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. *Mich.* 2. 1. *V. c.* 7. 1.

Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena : non recedet a te rapina. *Nahum* 3. 1.

Væ ei, qui multiplicat non sua; usquequo et aggravat contra se densum lutum? Numquid non repente consurgent qui mordeant te : et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? *Habac.* 2. 6. 7. Væ qui congregat avaritiam malam do-

mui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. *v*. 9. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate, etc. *v*. 12. *V. v*. 15. *et* 19.

Væ, qui habitatis funiculum maris, gens perditorum : verbum Domini super vos, Chanaan terra Philisthinorum, et disperdam te, etc. *Soph*. 2. 5.

Væ, provocatrix, et redempta civitas, columba. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit. *Ibid*. 3. 1. 2. *Mach*. 2. 7.

Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida : quia, si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio. et cinere pœnitentiam egissent. *Matth*. 11. 21. *Idem verbatim habetur Luc*. 10. 13.

Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. *Ibid*. 18. 7. *V. c*. 26. 24. *Item Marc*. 14. 21. *Luc*. 22. 22.

(Multiplex væ Scribis et Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus ob hypocrisim, et reliquas tuas iniquitates Christus interminatur). *Ibid*. 23. 13. *et seq. per tot. caput. V. c*. 24. 19. *Item Marc*. 13. 17. *Luc*. 21. 23.

Verumtamen væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis : quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc : quia lugebitis, et flebitis. Væ cum benedixerint vobis homines. *Luc*. 6. 24. *et seq*.

Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham et rutam, et omne olus, et præteritis judicium, et caritatem Dei : hæc enim oportuit facere, et illa non omittere, etc. *Ibid*. 11. 42. *V. v*. 43. 44. 46. 47. *et* 52.

Impossibile est, ut non veniant scandala; væ autem illi, per quem veniunt. *Ibid*. 17. 1.

Væ enim mihi est, si non evangelizavero. 1. *Cor*. 9. 16.

Væ illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt. *Judæ v*. 11.

Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. *Apoc*. 12. 12. *V. c*. 8. 13. *c*. 9. 12. *c*. 11. 14.

Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis : quoniam una hora venit judicium tuum. *Ibid*. 18. 18. Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis, etc. *v*. 16.

VALEDICTIO. — *Valedictionis ritus*.

(Parentes et fratres Rebeccæ abeunti omnia bona adprecantur). *Gen*. 24. 60.

(Isaac Jacobo profecturo in Mesopotamiam benedicit). *Ibid*. 28. 1.

Et dixit (Laban) ad Jacob : Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas, quasi captivas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio? etc. Non es passus, ut oscularer filios meos et filias — — Esto, ad tuos ire cupiebas, etc. *Ibid*. 31. 26. *et seq*. Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios et filias suas (proficiscentes), et benedixit illis : reversusque est in locum suum. *v*. 55.

(Jacob filiis suis abeuntibus in Ægyptum bona precatur et optat). *Ibid*. 43. 14.

(Vide pulcherrimum exemplum in hac materia hinc inde a se discedentium fœminarum, quomodo invicem valedicant, et bene precentur sibi, flentes, etc.) *Ruth c*. 1. *per totum*.

Dixit Tobias filio suo, et comiti ejus : Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et Angelus comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, et matri suæ; et ambulaverunt ambo simul (flente matre), etc. *Tob*. 5. 21. 22.

(Parentes Saræ cum filiam et sponsum ejus Tobiam juniorem non diutius secum habere possent, illis abeuntibus bene precantur, dicentes) : Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, etc. *Ibid*. 10. 11. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire, etc. *v*. 12.

(Ephesii magno fletu osculantur Paulum, jamjam ab ipsis discessurum), procumbentes super collum (ejus, et) dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri, et deducebant eum ad navem. *Act*. 20. 37. 38.

VENDERE. *V*. **Emere**.

VENDERE *non licet dona Dei*. *V*. **Simonia**.

VENTER *pro Deo eligitur.*

Hujuscemodi enim (qui dissensiones et offendicula faciunt) Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones, seducunt corda innocentium. *Rom.* 16. 18. *V.* 1. *Cor.* 6. 13.

Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis interitus : quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Philipp.* 3. 18. 19.

VENTUS. — *Venti in manu Dei sunt.*

Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, et omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. *Gen.* 8. 1.

Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, et Dominus induxit ventum urentem tota die illa et nocte : et mane facto, ventus urens levavit locustas. *Exod.* 10. 13. *V. v.* 19.

Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, et urente tota nocte : et vertit in siccum, divisaque est aqua. *Ibid.* 14. 21. *V. c.* 15. 10.

Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, et demisit in castra, itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super. *Num.* 11. 31.

(Deus) transtulit Austrum de cœlo : et induxit in virtute sua Africum. *Psal.* 77. 26.

(Tu Deus) extendens cœlum sicut pellem : qui tegis aquis superiora ejus. Qui ponis nubem ascensum tuum : qui ambulas super pennas ventorum. *Psal.* 103. 2. 3. *V. Psal.* 17. 11. 43. *Item* 2. *Reg.* 22. 11.

Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis, educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis. *Psal.* 134. 6. 7. *V. eadem verba Jerem.* 10. 13. *et c.* 51. 16.

Quia ecce (Deus) formans montes, et creans ventum — faciens nebulam matutinam, etc. *Amos* 4. 13. *V. v.* 9. *Item Aggæi* 2. 18.

Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. *Jonæ.* 1. 4.

Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido, et urenti : et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat. *Ibid.* 4. 8.

Tunc surgens (Christus) imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna. *Matth.* 8. 26. *V. v.* 27. *Item Marc.* 4. 39. 40. *Item Luc.* 8. 23. 24. 25.

VERBUM *Dei semper ob oculos ponendum.*

Recordentur (filii Israel) omnium mandatorum Domini : nec sequantur cogitationes suas — sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* 15. 39. 40.

Et nunc, Israel, audi præcepta, atque judicia, quæ ego doceo te : ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. *Deut.* 4. 1. *V. v.* 2. 9. *et* 40.

Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, etc. *Ibid.* 6. 6. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, et cæremonias, quas præcepit tibi. *v.* 17. *V. c.* 7. 11.

Ponite hæc verba in cordibus, et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate, etc. *Ibid.* 11. 18.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, etc. *Josue.* 1. 8.

Sed in lege Domini voluntas ejus : et in lege ejus meditabitur die ac nocte. *Psal.* 1. 2.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat. *Prov.* 3. 1.

Audite, filii, disciplinam patris, et attendite ut sciatis prudentiam. *Ibid.* 4. 1. Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam, etc. *v.* 20. *V. v.* 10.

Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, etc. *Ibid.* 6. 20.

Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Fili, serva mandata mea, et vives, etc. *Ibid.* 7 1. 2.

VERBUM. — *A verbo Dei non recedendum.*

Non addetis ad verbum, quod vobis lo-

quor, nec auferetis ex eo : custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. *Deut.* 4. 2.

Custodite igitur, et facite quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram : sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis, etc. *Ibid.* 5. 32. 33.

(Deus benefaciet tibi) : si tamen audieris mandata (ejus) — et feceris, ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, etc. *Deut.* 28. 13. 14. *V. v.* 15. *et seq.*

Confortare igitur (Josue), et esto robustus valde : ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus : ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. *Josue.* 1. 7. *V. c.* 23. 6.

Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram : averte pedem tuum a malo ; vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus: perversæ vero sunt, quæ a sinistris sunt. *Prov.* 4. 27.

Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : hæc est via, ambulate in ea : et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. *Isa.* 30. 21.

VERBUM *Dei universum non est scriptis traditum.*

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis *Joan.* 14.26.

Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. *Ibid.* 21. 25. *V. c.* 20. 30.

Si quis esurit, domi manducet : ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam. 1. *Cor.* 11. 34.

Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 2. *Thess.* 2. 14.

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui : ut gaudium vestrum plenum sit. 2. *Joan.* *v.* 12.

Multa habui tibi scribere : sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. 3. *Joan.* *v.* 13. 14.

VERBUM *Dei non audiendum solum et loquendum, sed et corde credendum, et factis præstandum.*

(Cain admonitus exteriore voce Dei, ab incepta iniquitate non destitit : hinc patet, quod exterior exhortatio sine interiore parum est efficax). *Gen.* 4. 6.

Locutusque est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen — et credidit populus. Audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel — et proni adoraverunt. *Exod.* 4. 30. 31.

Responditque omnis populus (Moysi) una voce : Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. *Ibid.* 24. 2. Assumensque (Moyses) volumen fœderis, legit audiente populo : qui dixerunt : Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. *v.* 7.

Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum : Audi, Israel, cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie : discite ea, et opere complete. *Deut.* 5. I. Tu magis accede (dixit populus Moysi) : et audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi ; loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea. *v.* 27.

Hæc sunt præcepta et cæremoniæ atque judicia (ait Moyses filiis Israel), quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos, et faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam, etc. *Ibid.* 6. 1. *V. v.* 3. *et c.* 8. 1.

(Dixit Moyses Josue) : Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni populo Israel audientibus eis, et in unum populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis, et advenis, qui sunt intra portas tuas : ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus, etc. *Ibid.* 31. 11. 12.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo (ait Dominus Josue) : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, et facias omnia quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. *Josue.* 1. 8.

(Eglon, rex Moab), sedebat in æstivo cœnaculo solus, dixitque (ad eum Aod) : Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno (quasi reverentiam exhibens verbo Dei). *Judic.* 3. 20.

(Bene docuit Samuelem Heli, ut diceret Domino loquenti sibi) : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 1. *Reg*. 3. 9. *V*. *v*. 10.

(Esdras attulit librum legis), et legit in eo aperte — de mane usque ad mediam diem — et aures omnis populi erant erectæ ad librum. 2. *Esdr*. 8. 3. Flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis. *v*. 9. *V. totum caput*.

(Respondens Job, dixit Domino) : Auditu auris audivi te, etc. *Job*. 42. 5.

Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis : ideo ecce ego addam, etc. *Isa*. 29. 13. 14.

(Factum est verbum ad Jeremiam, dicens) : Noli subtrahere verbum (Dei), si forte audiant (filii Israel), et convertantur unusquisque a via sua mala : et pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. *Jerem*. 26. 2. *V*. *v*. 13.

Et veniunt ad te (ait Dominus Ezechieli), quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus : et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos : quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur : et audiunt verba tua, et non faciunt ea. *Ezech*. 33. 31. 32.

Et pervenit verbum (Jonæ) ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere : (sic et populus fecit). *Jonæ*. 3. 6. *V*. *v*. 5. *imo tot. caput*.

Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio, etc. *Matth*. 5. 22. *V. reliquum capitis*.

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, etc. *Ibid*. 7. 24. *V*. *v*. 21. *et* 26.

Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me. *Ibid*. 15. 8. *V*. *Marc*. 7. 6.

Euntes ergo docete omnes gentes — docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Ibid*. 28. 19. 20. *Item Marc*. 16. 15.

(Cum turbæ irruerent in Dominum Jesum, ut audirent verbum Dei), sedens, docebat de navicula turbas. *Luc*. 5. 3. (Petrus autem cum sociis), subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt (Dominum). *v*. 11.

Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos : ostendam vobis cui similis sit, etc. *Ibid*. 6. 47. *V*. 46. 48. 49.

(Maria soror Marthæ), sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. *Ibid*. 10. 39. (Et audivit tandem Dominum dicentem) : Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *v*. 42.

At ille dixit (Jesus cuidam mulieri) : Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Ibid*. 11. 28. *V*. *c*. 12. 47.

Et erat (Jesus) docens quotidie in templo *Ibid*. 19. 47. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. *v*. 48. *V*. *c*. 21. 37. 38.

Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. *Joan*. 13. 17.

(Facto sermone a Petro ad plebem in die Pentecostes post adventum Spiritus Sancti, dicitur). His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres? (et baptizati sunt tria millia hominum). *Act*. 2. 37. 41.

(Post sanationem claudi et sermonem Petri, sequitur) : Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. *Ibid*. 4. 4.

Convocantes autem duodecim (Apostoli) multitudinem discipulorum, dixerunt ; Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. (Nota tamen, quod illæ mensæ erant pauperum viduarum ; per quod datur intelligi, quod opus prædicationis verbi Dei præfertur operi misericordiæ corporalis). *Ibid*. 6. 2.

Et non poterant resistere (Judæi) sapientiæ et Spiritui, qui (per beatum Stephanum) loquebatur. *Ibid*. *v*. 10.

Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, etc. *Ibid*. 8. 5. 6.

Aperiens autem Philippus os suum — evangelizavit illi (Eunucho) Jesum, (et venientes ad quamdam aquam, confessus

est Eunuchus se credere, et Philippus baptizavit eum). *Ibid. v.* 35. *et seq.*

(Noluit Dominus instruere Cornelium per Angelum, sed mandavit ei, ut accerseret Simonem Petrum, et hic doceret eum, et diceret, quid eum facere oporteret). *Ibid.* 10. 5. 6.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum (illius). *Ibid. v.* 44.

(Audiebant gentes, quod Judæi repellebant verbum Dei, et quod Paulus et Barnabas volebant prædicare eis, et) gavisæ sunt : et glorificabant verbum Domini : et crediderunt, quotquot erant pæordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. *Ibid.* 13. 48. 49.

Factum est autem Iconii, ut simul (Paulus et Barnabas) introirent in Synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. *Ibid.* 14. 1.

Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, (audivit Paulum loquentem, cui Dominus aperuit cor, et baptizata est cum domo sua). *Ibid.* 16. 14. 15.

(Venientes Paulus, et Silas Berœam, introierunt in Synagogam Judæorum, et multi) susceperunt verbum, cum omni aviditate scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, etc. *Ibid.* 17. 11. 12.

Cum audissent autem (Athenienses Paulum prædicantem) resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis. *Ibid. v.* 32. *et seq.*

(Mansit Paulus Ephesi per biennium), quotidie disputans in Schola tyranni cujusdam — ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi, atque Gentiles. *Ibid.* 19. 9. 10.

(Postquam rex Agrippa audierat Paulum, dixit ei) : In modico suades me Christianum fieri. *Ibid.* 26. 28.

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. *Rom.* 2. 13.

Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. *Jacob.* 1. 22.

VERBUM. — *Verbi Dei contemptus, et punitio ejus.*

(Justus Lot pie admonebat Sodomitas, dicens) : Nolite, quæso, fratres mei, nolite, malum hoc facere : (cumque illi contumaciter responderent) : Recede illuc; (hinc patet, quod perversi difficile corriguntur). *Gen.* 19. 7.

Cumque audisset rex (Jeroboam) sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens : Apprehendite eum (scilicet prophetam de Juda missum ad illum). Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum : nec valuit retrahere eam ad se. *Reg.* 17. 14. 19. *Item* 2. *Paral.* 36. 15.

(Achab rex nolebat audire Michæam Prophetam Domini, quia non prophetabat ei bonum, sed malum). *Ibid.* 22. 8. *V. totum contextum. Item* 2. *Paral.* 18 7.

Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. *Prov.* 1. 24. Tunc invocabunt me, et non invenient me : eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, etc. *v.* 28. 29.

Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Ibid.* 28. 9. *V. Isa.* 28. 14. *et c.* 29. 13.

Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. *Isa.* 30. 9. *V. v.* 12.

Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam. Numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis : pro eo quod vocavi, et non respondistis : locutus sum, et non audistis : et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis. *Ibid.* 65. 11. 12. *Item c.* 66. 4. *V. Jerem.* 2. 5.

Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse : neque veniet super nos malum : et gladium et famem non videbimus, etc. *Jerem.* 5. 12. Annuntiate hoc domui Jacob, et auditum facite in Juda, dicentes : Audi, popule stulte, qui non habes cor : qui habentes oculos, non videtis, et aures, et non auditis. *v.* 20. 21. *V. c.* 7. 13.

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Ecce ego auferam de loco

isto in oculis vestris, et in diebus vestris, vocem gaudii, et vocem lætitiæ : vocem sponsi, et vocem sponsæ. *Ibid.* 16. 9.

(Jeremias per lagunculam terream, quam fregit, ostendit populum Israeliticum perdendum gladio, et fame, et obsidione, in qua patres filios comedant, propter multiplicem ipsorum idololatriam, et contemptum verbi Dei). *Jerem. c.* 19. *per totum.*

Et misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mittensque, et non audistis, neque inclinastis aures vestras, ut audiretis, etc. *Ibid.* 25. 4. *V. v.* 7. *Item c.* 35. 15.

(Dixit Dominus Ezechieli) : Fili hominis, vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos. *Ezech.* 3. 4. Domus autem Israel nolunt audire te : quia nolunt audire me, etc. *v.* 7.

Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. *Matth.* 10. 14. *Item Luc.* 10. 10. 11.

Tunc cæpit (Jesus) exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. *Ibid.* 11. 20.

Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. *Act.* 13. 45.

Contradicentibus autem eis (Judæis), et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua (Paulus), dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum : mundus ego : ex hoc ad Gentes vadam. *Ibid.* 18. 6.

Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. *Rom.* 1. 21.

VERBUM *Dei manet in æternum.*

Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? *Num.* 23. 19.

Prope erit interitus Ninive : non enim excidit verbum Domini : et fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam. *Tob.* 14. 6.

Consilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem. *Psal.* 32. 11.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum. *Psal.* 116. 2.

In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo. *Psal.* 118. 89.

Vere fœnum est populus : exsiccatum est fœnum, et cecidit flos : Verbum autem Domini nostri manet in æternum. *Isa.* 40. 7. 8.

Levate in cœlum oculos vestros, et videte sub terra deorsum : quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. *Ibid.* 51. 6.

Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet a te, et fœdus pacis meæ non movebitur : dixit miserator tuus Dominus. *Ibid.* 54. 10.

Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere, etc. *Matth.* 5. 17. *V. v.* 18.

Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *Ibid.* 24. 33. *Idem verbatim habetur Marc.* 13. 31. *et Luc.* 21. 33.

Facilius est autem cœlum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere. *Luc.* 16. 17.

Verbum autem Domini manet in æternum : hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos. 1. *Petr.* 1. 25.

VERBUM *Dei quantæ sit virtutis et efficaciæ.*

Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux, etc. *Gen.* 1. 3. Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum : et dividat aquas ab aquis, etc. *v.* 6. *V. totum caput.*

Et dixi : Usque huc venies (mare), et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. *Job* 38. 11.

Quoniam ipse (Deus) dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. *Psal.* 32. 9. *Item Psal.* 148. 5. *V. Judith* 16. 17.

Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. *Isa.* 46. 10.

Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et

prosperabitur in his, ad quæ misi illud. *Ibid.* 55. 11.

Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. *Matth.* 8. 13. *V. v.* 26.

Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se, dicentes : Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei. *Marc.* 1. 27.

Et extendens (Jesus) manum, tetigit eum (leprosum), dicens : Volo : Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. *Luc.* 5. 13. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. *v.* 24. *V. Matth.* 8. 3. *et c.* 9 6. *Item Marc.* 1. 41. *et c.* 2. 11.

Accedentes autem (discipuli) suscitaverunt (Jesum), dicentes : Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit, et facta est tranquillitas. *Ibid.* 8. 24. *V. Matth.* 8. 26. *Marc.* 4. 39. *V. quoque Marc.* 5. 41. *Luc.* 7. 14. *et c.* 8. 54. *Item Joan.* 11. 43.

VERBUM *Dei est cibus animæ.*

Afflixit te (Israel) penuria, et dedit tibi (Deus) cibum manna, quod ignorabas, tu, et patres tui : ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* 8. 3. *Item Matth.* 4. 4. *et Luc.* 4. 4.

Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. *Sap.* 16. 26. *V. v.* 12.

Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium, et in lætitiam cordis mei : quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. *Jerem.* 15. 16.

Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi, etc. *Ezech.* 3. 3. *V. Apoc.* 10. 9. 10.

VERBUM. — *Verba sunt ponderanda, et non leviter effutienda.*

Jucundus homo, qui miseretur et commodat : disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. *Psal.* 111. 5. 6.

Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov.* 13. 3.

Lingua sapientium ornat scientiam : os fatuorum ebullit stultitiam. *Ibid.* 15. 2. Lætetur homo in sententia oris sui : et sermo opportunus est optimus. *v.* 23.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est; et pretiosi spiritus vir eruditus. *Ibid.* 17. 27.

Vas pretiosum labia scientiæ. *Ibid.* 20. 15.

Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Ibid.* 21. 23. *V. c.* 25. 11.

Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. *Eccles.* 5. 2. *V. c.* 12. 10.

Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. *Eccli.* 20. 7. *V. v.* 6. 13. *et* 29.

Doctrinam oris audite, filii : et qui custodierit illam, non peribit labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. *Ibid.* 23. 7.

Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos : et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem. *Item* 28. 29. 30. *V. c.* 32. 18.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii, etc. *Matth.* 12. 36.

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. *Coloss.* 4. 6.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. *Jacob.* 1. 19.

VERITAS. — *Veritatis vis quanta.*

Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. *Prov.* 28. 23.

Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Luc.* 21. 15.

State ergo succincti lumbos vestros in veritate. *Ephes.* 6. 14.

VERITAS *odium parit.*

Videntes autem fratres ejus (Joseph),

quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. *Gen.* 37. 4.

(Balac rex Moab multum dolebat, quando Balaam bona dicebat de filiis Israel, licet essent vera; nec eum honoravit, sicut honorasset, si ei placentia verba dixisset) : Decreveram quidem magnifice honorare te, etc. *Num.* 24. 10.

(Joatham filius Gedeonis fugit a facie Abimelech, cum dixisset verum de eo, et de illis qui male illum elegerant). *Judic.* 9. 21.

(Iratus est Saul contra Jonathan filium suum, quia hic excusabat David, qui vere innocens erat erga ipsum Saul). 1. *Reg.* 20. 33.

(Baasa rex Israel occidit Jehu Prophetam, quia prophetavit mala ipsi et domui ejus, propter mala quæ fecerunt contra Dominum). 3. *Reg.* 16. 7.

(Similiter Achab oderat Michæam Prophetam, quia illi dicebat veritatem). *Ibid.* 22. 27. Sed ego odi eum, (inquit), quia non prophetat mihi bonum, sed malum. *v.* 8. 2. *Paral.* 18. 7.

(Cum increpasset Hanani Propheta Asa regem Juda, quia confisus est in Benadad rege Syriæ, iratus est Asa, misitque Prophetam in carcerem). 2. *Paral.* 16. 10.

(Ad imperium regis Joas lapidatus est Zacharias sacerdos, quia regem et principes arguebat, eo quod Dominum dereliquissent). *Ibid.* 24. 21.

(Oziæ regi Azarias sacerdos et reliqui sacerdotes Dei restiterunt ne adoleret incensum Domini; sed iratus rex minabatur sacerdotibus, tenens in manu thuribulum). Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus, etc. *Ibid.* 26. 19.

(Cum narrasset Achior magnalia, quæ fecerat Deus filiis Israel, et magnam ejus potestatem exaltasset), irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum. Indignatus (est quoque) Holofernes vehementer. *Judith.* 5. 26. *et c.* 6. 1.

(Sedecias rex Juda clausit prophetam Jeremiam in atrio carceris), dicens: Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus? etc. *Jerem.* 32. 3.

(Cum legisset Baruch verba, quæ scripserat ex ore Jeremiæ coram Joakim rege Juda, fecit rex in ignem projici volumen; quia dicebatur ibi veritas de civitate Jerusalem capienda. Et præcepit rex, Baruch et Jeremiam comprehendi; sed Deo permittente, tunc non fuerunt inventi). *Ibid.* 36. 32.

(Postmodum vero, cum iterum prophetaret Jeremias captionem civitatis Jerusalem, missus est) in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum : descendit itaque Jeremias in cœnum. *Ibid.* 38. 6.

(Pro eo quod probavit Daniel, Bel et Draconem non esse Deos, Babylonii congregati sunt adversum regem, qui) necessitate compulsus tradidit eis Danielem : (ipsique) miserunt eum in lacum leonum. *Dan.* 14. 29. 30.

(Ex bonis et veris sermonibus Eleazari, hi qui eum trahebant ad supplicium), et paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt. 2. *Mach.* 6. 29.

(Quia Joannes Baptista dicebat Herodi); Non licet tibi habere eam (scil. uxorem fratris tui), (posuit eum Herodes in carcerem, et postea decollavit). *Matth.* 14. 4. *V. Marc.* 6. 18. *Luc.* 3. 19.

Et cum audissent principes Sacerdotum, et Pharisæi parabolas ejus (Christi), cognoverunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas : quoniam sicut prophetam eum habebant. *Ibid.* 21. 45. 46. *V. Marc.* 12. 12. *Luc* 20. 19.

(Cum Dominus increpasset hypocritas et Pharisæos), cœperunt (illi) graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum. *Luc.* 11. 53. 54. *V. c.* 4. 28.

Non potest mundus odisse vos (inquit Christus ad discipulos suos) : me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. *Joan.* 7. 7. *V. c.* 15. 18. *et seq. usq. ad fin. et c.* 17. 14.

(Pharisæi cæco nato a Domino illuminato maledixerunt, et extra Synagogam ejecerunt, eo quod veritatem constantissime fatebatur). *Ibid.* 9. 34.

(Principes Sacerdotum, audientes verba Apostolorum), dissecabantur, et cogitabant interficere illos. *Act.* 5. 33. Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu, etc. *v.* 40.

Audientes autem hæc (Judæi) beati Stephani verba), dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. *Ibid.* 7. 54. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. *v.* 57.

(Multos et magnos habuit adversarios beatus Paulus, pro verbis veritatis et fidei, quibus) confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, etc., quique propterea) consilium fecerunt in unum — ut eum interficerent. *Ibid.* 9. 22. 23.

Ergo inimicus vobis factus sum (inquit Paulus), verum dicens vobis? *Galat.* 4. 16.

VERITAS *commendatur.*

Tertius scripsit (scilicet de tribus custodibus corporis regis Darii, proponentibus problema) : Fortiores sunt mulieres : super omnia autem vincit veritas. 3. *Esdr.* 3. 12.

Nonne — veritas magna, et fortior præ omnibus? Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipsam benedicit, et omnia opera moventur, et tremunt eam, et non est cum ea quidquam iniquum — Et veritas manet, et invalescit in æternum, et vivit, et obtinet in sæcula sæculorum — Benedictus Deus veritatis — Magna est veritas, et prævalet. *Ibid.* 4 35 *Item seq. V.* 4. *Esdr.* 14. 17.

Et facta est veritas in oblivionem : et qui recessit a malo, prædæ patuit; et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. *Isa.* 59. 15.

Hæc sunt ergo verba, quæ facietis : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : veritatem, et judicium pacis judicate in portis vestris. *Zach* 8. 16. *V. v.* 19. *Item Matth.* 5. 87.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra. *Ephes.* 4. 25. *V. c.* 6. 14. *Item Jacob.* 5. 12. 1. *Petr.* 2. 1.

VERITAS *firmiter conservanda.*

Quoniam veritatem requiret Dominus. *Psal* 30. 24.

Ecce enim veritatem dilexisti (Deus). *Psal.* 50. 8.

Et ne auferas de ore meo (Domine) verbum veritatis usquequaque. *Psal.* 118. 43.

Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. *Isa.* 26. 2.

Robur autem datum est ei (arieti) contra juge sacrificium propter peccata : et prosternetur veritas in terra, etc. *Dan.* 8. 12.

Veritatem tantum, et pacem diligite. *Zach.* 9. 19.

Ille (diabolus) homicida erat ab initio, et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo. *Joan.* 8. 44.

Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. *Ephes.* 4. 15.

Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. *Ibid.* 5. 9.

Qui veritate privati sunt, (existimant) quæstum esse pietatem. 1. *Tim.* 6. 5.

VERITAS *reverenter honoranda.*

Super omnia autem vincit veritas, 3. *Esdr.* 3. 12.

Et omnes populi clamaverunt, et dixerunt : Magna est veritas, et prævalet. *Ibid.* 4. 41.

Quare detraxistis sermonibus veritatis? *Job.* 6. 25.

Scuto circumdabit te veritas ejus (Dei). *Psal.* 90. 5. *V. Psal.* 84. 11. 12.

Et veritas Domini manet in æternum. *Psal.* 116. 2. *V. Psal.* 14. 3.

Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Prov.* 12. 19.

Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. *Eccli.* 4. 30.

Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces. *Matth.* 22 16 *V. Marc.* 12. 14. *Luc.* 20 21.

Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. *Joan.* 1. 17.

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. *Ibid.* 4. 23. *V. v.* 24.

Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Ibid.* 8 31. 32. *V. v.* 40. 44. 45 46.

Ego sum via, et veritas, et vita. *Ibid.* 14. 6.

(Pater sancte), sanctifica eos in veritate : sermo tuus veritas est. *Ibid.* 17. 17.

Ego in hoc natus sum (ait Jesus), et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? *Ibid.* 18. 37. 38.

(Caritas) non gaudet super iniquitate : congaudet autem veritati. 1. *Cor.* 13. 6.

Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. 2. *Cor.* 13. 8.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? *Galat.* 3. 1. *V.* 1. *Joan.* 3. 18. 19.

VESTIS *virilis mulieri illicita, et contra.*

Non induetur mulier veste virili, nec

vir utetur veste fœminea : abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. *Deut.* 22. 5.

VESTIS. — *Vestiendi sunt nudi. V. et* **Eleemosyna.**

(Tobias) esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, etc. *Tob.* 1. 20. *V. c.* 4. 17.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. 58. 7.

(Qui) hominem non contristaverit : pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, etc. *Ezech.* 18. 7. *Idem repetitur. v.* 16.

Nudus (fui) et cooperuistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et venistis ad me, etc. *Matth.* 25. 36. *V. v.* 43.

Qui habet duas tunicas, det non habenti, etc. *Luc.* 3. 11.

Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? *Jacob.* 2. 15. 16.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodo caritas Dei manet in eo? 1. *Joan.* 3. 17.

VESTIS. — *Vestium abusus. V.* **Abusus vestium.**

VESTIS. — *Vestes varias ob causas scinduntur.*

Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum (Joseph). Et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait : Puer non comparet, et ego quo ibo? *Gen.* 87. 29.

(Jacob) scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum (Joseph) multo tempore. *Ibid. v.* 34.

(Cum scyphus de industria occultatus, inventus est in sacco Benjamin, fratres Joseph) scissis vestibus — reversi sunt in oppidum. *Ibid.* 44. 13.

(Josue et Caleb) sciderunt vestimenta sua (propter murmur populi). *Num.* 14. 6.

Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel, miseruntque pulverem super capita sua : et dixit Josue : Heu Domine Deus! quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, et perderes? *Josue* 7. 6. 7.

Revertente autem Jephte (a cæde Ammonitarum) in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis, et choris : non enim habebat alios liberos. Qua visa, scidit (Jephte) vestimenta sua, et ait : Heu me, filia mea! decepisti me, et ipsa decepta es : aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero (scilicet, nisi ut te sacrificem Domino, pro victoria obtenta contra hostes). *Judic.* 11. 34. 35.

Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa (scilicet qua capta est arca Dei), scissa veste, et conspersus pulvere caput. 1. *Reg.* 4. 12.

(Accepto nuntio de morte Saul), David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul, et super Jonathan filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio. 2. *Reg.* 1. 11. 12. *V. v.* 2.

Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum : Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner : porro rex David sequebatur feretrum. *Ibid.* 3. 31.

(Thamar) aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, et clamans. *Ibid.* 13. 19.

Surrexit itaque rex (David), et scidit vestimenta sua (cum audisset, Absalom omnes regis filios percussisse), et cecidit super terram, et omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. *Ibid. v.* 31.

Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite. *Ibid.* 15. 32.

Itaque cum audisset Achab sermones istos (scilicet Eliæ comminantis sibi mala), scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. 3. *Reg.* 21. 27.

(Scindit rex Israel vestimenta sua, eo quod jussisset ei rex Syriæ ut Naaman leprosum curaret, quem Eliseus septena

in Jordane lotione mundat a lepra). 4. *Reg.* 5. 7. 8.

Quod cum audisset rex (Syriæ, scilicet quod mulier comedisset filium suum in obsidione Samariæ), scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. *Ibid.* 6. 30. *V. c.* 11. 14. *et c.* 18. 37.

Quæ cum audisset Ezechias rex (scil. verba Rabsacis), scidit vestimenta sua, et opertus est sacco, ingressusque est domum Domini (ut deprecaretur pro liberatione ab rege Assyriorum). *Ibid.* 19. 1. *V. c.* 22. 11. 19. *Item* 1. *Esdr.* 9. 3. 5. 3. *Esdr.* 8. 72. 74. *Isa.* 37. 1.

Hæc dicit Dominus Deus Israel : Pro eo quod audisti verba voluminis (loquitur Josiæ regi), et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, et habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem, et in maledictum : et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus : idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, etc. *Ibid.* 32. 18. *et seq. V. v.* 11. *Item* 2. *Paral.* 34. 19. 27. *et Jerem.* 36. 24.

Quæ cum audisset Mardochæus (scilicet quod Aman impetrasset interitum Judæorum omnium ab Assuero), scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti : et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. *Esdr.* 4. 1. 2.

Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram, adoravit, etc. *Job* 1. 20. *V. c.* 2. 12. (de tribus ejus amicis).

Et scindite corda vestra — et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia. *Joel.* 2. 13.

Et scidit vestimenta sua Mathathias, et filii ejus (eo quod affligebatur civitas, et profanabantur sancta), et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valde. 1. *Mach.* 2. 14.

Et jejunaverunt illa die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo, et disciderunt vestimenta sua, etc. (eo quod Antiochus magno belli apparatu miserit Gorgiam contra terram Juda, etc.) *Ibid.* 3. 47. *V. et c.* 4. 39.

Et scidit Jonathas vestimenta sua (quia adversarii prævalebant), et posuit terram in capite suo, et oravit — et convertit eos (alienigenas) in fugam, et pugnaverunt. *Ibid.* 11. 71. 72.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit (Christus) : quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam. *Matth.* 26. 65.

(Sacerdos Jovis volebat Apostolis tauros sacrificare). Quod ubi audierunt Apostoli Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis, exsilierunt in turbas, clamantes, etc. *Act.* 14. 12. 13.

Et cucurrit plebs adversus eos (Paulum et Silam) ; et magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi, etc. *Ibid.* 16. 22.

VESTIS. — *Vestitus mulierum qualis esse debeat.*

Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa : sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 1. *Tim.* 2. 9. 10.

Anus similiter in habitu sancto. *Tit.* 2. 3.

Quarum (mulierum) non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, etc. 1. *Petr.* 3. 3. *V. versus sequentes.*

VIA, *vitæ humanæ rationem, institutum, cogitationes, consilia, et hominum actiones denotat.*

Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram. *Gen.* 6. 12.

Ego veni, ut adversarer tibi (inquit Angelus ad Balaam), quia perversa est via tua, mihique contraria. *Num.* 22. 32.

(Ait Moyses ad populum Israel : Si nolueris audire vocem Domini) : percutiat te Dominus amentia, et cæcitate, ac furore mentis, et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. *Deut.* 28. 28. 29.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo (ait Deus ad Josue) tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. *Josue* 1. 8.

Non dimiserunt (filii Israel) adinventiones suas, et viam durissimam, per quam ambulare consueverunt. *Judic.* 2. 19. *Idem dicitur de rege Nadab.* 3. *Reg.*

15. 26. *Item* 4. *Reg*. 8. 18 *et* 2. *Par*. 21. 5. *de rege Joram*.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit. *Psal*. 1. 1. *V. Psal*. 118. *v*. 1. 3. 5. 9. 14. 15. 26. 27. 29. 30. 32. 33. 37. 59. 101. 104. 128. 151. 168. *Item Psal*. 90. 11.

Neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, etc. *Isa*. 55. 8. 9. *V. c*. 65. 2.

Contritio, et infelicitas in viis eorum : et viam pacis non cognoverunt. *Rom*. 3. 16. 17. *Item Psal*. 13. 3.

Misi ad vos Timotheum — qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu. 1. *Cor*. 4. 17.

Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. *Ibid*. 12. 31.

Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. *Jacob*. 1. 8.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte. *Ibid*. 5. 20.

Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor. 2. *Petr*. 2. 15. *V. Judæ v*. 11.

VIA. — *Viæ Domini, præcepta ejus et legem denotant.*

Et docebo vos (inquit Samuel ad filios Israel) viam bonam et rectam. 1. *Reg*. 12. 23.

Et ostende eis (filiis Israel, Domine, orat Salomon) viam bonam, per quam ambulent. 3. *Reg*. 8. 36. *Item* 2. *Paral*. 6. 27. *V*. 1. *Esth*. 8. 21.

(Impii dicunt ad Deum) : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. *Job* 21. 14.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa. *Psal*. 2. 12 *V. Psal*. 24. *v*. 4. 8. 9. 10. 12.

Viam veritatis elegi : judicia tua (Domine) non sum oblitus. *Ibid*. 118. 30. Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas. *v*. 151.

Ut ambules in via bona : et calles justorum custodias. *Prov*. 2. 20.

Viæ ejus (sapientiæ) viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ. *Ibid*. 3. 17.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis. *Ibid*. 4. 11.

Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. *Ibid*. 6. 23. *V. et c*. 8. 20. *Matth*. 21. 32. *Act*. 19. 9.

Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. *Ibid*. 16. 31. *V. v*. 2. 5. 9. 17.

Hæc dicit Dominus : Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis. *Jerem*. 21. 8. *V. Rom*. 3. 17. 2. *Petr*. 2. 15.

VIA *Christi sumitur pro doctrina evangelica.*

Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt (ait Dominus), et in semitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam. *Isa*. 42. 16.

Et petiit (Paulus) ab eo (principe sacerdotum) epistolas in Damascum — ut si quos invenisset hujus viæ (scil. Christi) viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. *Act*. 9. 2. *V. c*. 22. 4.

VIA *per quam justi ambulant, quæ et qualis sit.*

Utinam dirigantur viæ meæ (Domine) ad custodiendas justificationes tuas. *Psal*. 118. 5.

In omnibus viis tuis cogita illum (Dominum), et ipse diriget gressus tuos. *Prov*. 3. 6. Viæ ejus (sapientiæ) viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ. *v*. 17.

Abominatio Domini est omnis arrogans : etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. Initium viæ bonæ, facere justitiam. *Ibid*. 16. 5. Semita justorum declinat mala : custos animæ suæ servat viam suam. *v*. 17. *V. v*. 2. 7. 9. *et* 25. *Item c*. 20. 24. *et c*. 21. 2. 8.

Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. *Eccli*. 5. 12.

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum, etc. *Isa*. 26. 7. *V. v*. 8. *et c*. 30. 21. *c*. 35. 8.

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Ibid*. 40. 3. *Item Matth*. 3. 3. *Marc*. 1. 3. *Luc*. 3. 4. *Joan*. 1. 23.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines : dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti : revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. *Jerem*. 31. 21.

Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : præ-

varicatores vero corruent in eis. *Oseæ* 14. 10.

De cætero ergo, fratres, rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. 1. *Thess.* 4. 1.

Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. *Hebr.* 12. 12. 13.

VIA *justorum a Domino dirigitur.*

Omni tempore (aiebat Tobias filio suo) benedic Deum : et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consiliia tua in ipso permaneant. *Tob.* 4. 20.

Perfice (Domine) gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Psal.* 16. 5.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas edoce me. *Psal.* 24. 4.

Deduc me (Domine) in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui. *Psal.* 118. 35.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis. *Prov.* 4. 11. Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectam diem : via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. *v.* 18. 19.

Justitia custodit innocentis viam : impietas autem peccatorem supplantat. *Ibid.* 13. 6.

Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus. *Ibid.* 16. 9.

A Domino diriguntur gressus viri : quis autem hominum intelligere potest viam suam ? *Ibid.* 20. 24.

Ego Dominus Deus tuus, docens te (Israel) utilia, gubernans te in via, qua ambulas. *Isa.* 48. 17.

Scio, Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. *Jer.* 10. 23.

Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob : et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. *Mich.* 4. 2.

VIA *justorum remunerationem a Deo expectat.*

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit. *Psal.* 4. 12. *V. v.* 4. 8. 9. *et* 10.

Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion. *Psal.* 83. 8.

In semita justitiæ, vita : iter autem devium ducit ad mortem. *Prov.* 12. 28.

Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea : invenietis refrigerium animabus vestris. *Jerem.* 6. 16.

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Bonas facite vias vestras, et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. *Ibid.* 7. 3. *Item c.* 26. 13.

VIA *impiorum qualis.*

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus (Dei) ambulaverunt. *Psal.* 118. 3.

Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant. *Prov.* 4. 19. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram : averte pedem tuum a malo; vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus : perversæ vero sunt, quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, etc. *v.* 26. 27. *V. v.* 11. 14. 18.

Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia. *Ibid* 12. 15. *V. v.* 28. *Item c.* 21. *v.* 2. 8. 16

Arma et gladii, in via perversi : custos autem animæ suæ longe recedit ab eis. Proverbium est : Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. *Ibid.* 22. 5. 6.

In multitudine viæ tuæ laborasti : non dixisti : Quiescam : vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. *Isa.* 57. 10. *V. v.* 14. *et* 18. *Item c.* 59. 7. 8.

VIA. — *Viæ impiorum exitus et finis.*

Involutæ sunt semitæ gressus eorum (impiorum) : ambulabunt in vacuum, et peribunt. *Job* 6. 18.

Est via, quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem. *Prov.* 14. 12.

Qui ambulat simpliciter, salvus erit : qui perversis graditur viis, concidet semel. *Ibid.* 28. 18. *V. v.* 10. *Item c.* 30. *v.* 19. 20. *et c.* 31. 27.

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *Eccli.* 2. 16.

Via peccantium complanata lapidibus,

et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ. *Ibid.* 21. 11.

Quam vilis facta es nimis (Jerusalem), iterans vias tuas? *Jerem.* 2 36. *V. v.* 18. 33.

Viæ tuæ (Jerusalem), et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi : ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. *Ibid.* 4. 18. *V. v.* 11.

VICTORIA. *V. et* **Bellum**.

VICTORIA *omnis solius Dei est, et ab eo solo expectanda.*

(Dixit Melchisedech sacerdos ad Abraham, a bello victorem redeuntem : Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. *Gen.* 14. 20.

Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : state, et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie : Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. *Exod.* 14. 13. 14.

Dixitque Moyses ad Josue : Elige viros : et egressus, pugna contra Amalec : cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. *Ibid.* 17. 9. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii. *v.* 13.

Benedictus Dominus (ait Jethro ad filios Israel), qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis : qui eruit populum suum de manu Ægypti. *Ibid.* 18. 10.

Terrorem meum (inquit Deus) mittam in præcursum tuum (Israel), et occidam omnem populum, ad quem ingredieris : cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. *Ibid.* 23. 27. *V. c.* 34. 11.

Dixitque Dominus ad Moysen : Ne timeas eum (Og regem Basan), quia in manu tua tradidi illum, et omnem populum, ac terram ejus — Percusserunt igitur et hunc (Israelitæ) cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem, et possederunt terram illius. *Num.* 21. 34. *V. Josue* 6. 2. *per totum caput.*

Si dixeris in corde tuo : Plures sunt gentes istæ, quam ego, quomodo potero delere eas? Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis, etc. *Deut.* 7. 18.

Audi, Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos : quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. *Ibid.* 20. 3. *per tot. caput. V. Josue.* 8. 1. *et c.* 14. 12.

Omnem terram Gosen usque Gabaon, universosque reges, et regiones eorum, uno impetu cepit, atque vastavit (Josue) : Dominus enim Deus Israel, pugnavit pro eo. *Josue.* 10. 41. *V. c.* 23. 10. *et c.* 24. 8. 12. *Item Judic.* 1. 2. 4. *et c.* 3. 10. 28. 29. *et c.* 7. 9. 14. *et c.* 11. 21.

Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos (reges) : cras enim hac eadem hora, ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel; equos eorum subnervabis, et currus igne combures. *Ibid.* 11. 6. *V. v.* 8. 11. 17. 23.

Dixitque Debbora ad Barac : Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas : en ipse ductor est tuus : (et felicissime res evenit). *Judic.* 4. 14. *V. tot. caput.*

Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus : ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum. *Ibid.* 7. 2. Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian : omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. *v.* 7. *V. c.* 12. 3. *et c.* 20. *v.* 28. 35. 46.

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 1. *Reg.* 14. 6. *V. c.* 7. 10. *et seq. et c.* 11. 11. *et c.* 15. 7.

Dixit autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie : et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput a te, etc. *Ibid.* 17. 45. 46. *V. reliquum capitis. Idem c.* 30. 23.

Venit ergo David in Baal Pharasim : et percussit eos (Philisthæos) ibi, et dixit : Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. 2. *Reg.* 5. 20. *V. v.* 24. 25. *Item* 1. *Paral.* 14. 10. *et seq.*

Clamans autem Achimaas, dixit ad regem (David) : Salve Rex — Benedictus

Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. *Ibid.* 18. 28.

In te enim (Domine) curram accinctus: in Deo meo transiliam murum. *Ibid.* 22. 30. *V. v.* 35. 38. 48. 49. (imo totum pulcherrimum hoc Canticum). *Item c.* 23. 10. 12.

Et ecce Propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei : Hæc dicit Dominus: Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce, ego tradam eam in manu tua hodie; ut scias, quia ego sum Dominus. 3. *Reg.* 20. 13. *V.* 4. *Reg.* 3. 18. *et seq. et c.* 5. 1. *Item* 1. *Paral.* 22. 18.

Confortare (ait Joab fratri suo Abisai), et agamus viriliter pro populo nostro, etc. 1. *Par.* 19. 13. *V. v.* 14. 18. *Item* 2. *Reg.* 10. 12. *et seq.*

Et invocavit (Asa) Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. 2. *Paral.* 14. 11. *V. versus seq. et c.* 13. 16. *et seq.*

Nonne Æthiopes et Libyes multo plures erant, quadrigis et equitibus, et multitudine nimia; quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? (ait Hanani Propheta ad Asa regem Juda). *Ibid.* 16. 8. *V. Isa.* 45. 1. *et Jerem.* 18. 17.

Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum : in Joas quoque ignominiosa exercuere judicia. *Ibid.* 24. 24.

(Dixit homo Dei ad Amasiam regem Juda : Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus : Dei quippe est et adjuvare, et in fugam convertere. *Ibid.* 25. 8. *V. v.* 11. 12. *Item c.* 26. 7. *et c.* 28. 5. 9. *Item* 4. *Reg.* 14. 7.

Erit enim hoc memoriale nominis tui (Domine, ait Judith), cum manus fœminæ dejecerit eum (Holofernem). *Judith.* 9. 15.

In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. *Psal.* 107. 14. *Item Psal.* 59. 14. *V. tot. Psal.* 17.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. *Psal.* 117. 16. *V. Psal.* 142. 12. *et* 143. 1. *et seq.*

Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit. *Prov.* 21. 31.

VICTORIA *potiuntur pauci contra multos.*

Quod cum audisset Abraham, captum, videlicet Lot, fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo : et persecutus est usque Dan. Et divisis sociis, irruit super eos (quinque reges) nocte : percussitque eos, et persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci, etc. *Gen.* 14. 14. 15.

Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum. *Judic.* 7. 2. Reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt. Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos: et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat : quem ire prohibuero, revertatur. *v.* 3. *et* 4. Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum. *v.* 7. *reliquum capitis.*

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis : quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 1. *Reg.* 14. 6. Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas, et armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit, etc. *v.* 14. *V. v.* 15.

Respiciensque Judas, vidit instare bellum ex adverso et post tergum : et clamavit ad Dominum : ac sacerdotes tubis canere cœperunt. Omnesque viri Juda vociferati sunt : et ecce illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, et omnem Israel, qui stabat ex adverso Abia, et Juda, etc. 2. *Paral.* 13. 14. 15. *V. versus sequentes.*

Et invocavit (Asa) Dominum Deum, et ait : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus : adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem, etc. *Ibid.* 14. 11. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda :

fugeruntque Æthiopes. *v.* 12. *V. reliquos versus. Item* 1. *Mach.* 3. 16. *et seq. usq. ad. v.* 25.

Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum : in Joas quoque ignominiosa exercuere judicia. *Ibid.* 24. 24.

VICTORIA. — *Post partam victoriam instituitur triumphus.*

(Cæsis Madianitis jussu Dei, solæ virgines reservantur; substantia ex æquo dividitur pugnantibus, et plebi ; primitiæ Sacerdoti ac Levitis traduntur; gratiæ Deo cum donariis offeruntur, eo quod nullus Hebræorum occubuerit). *Num.* 31. 1.

Revertente autem Jephte (a cæde Ammonitarum) in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua, cum tympanis et choris, non enim habebat alios liberos. *Judic.* 11. 34.

Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes, in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris, etc. 1. *Reg.* 18. 6. *V. v.* 7.

VICTORIA. — *Victoriæ genus præstantissimum.*

Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. *Rom.* 12. 21.

VICTUS *in sudore vultus parandus.*

(Dixit Deus ad Adam) : In sudore vultus tui vesceris pane, etc. *Gen.* 3. 19.

VICTUS. — *Victum largitur Deus hominibus et bestiis.*

Dixitque Deus (ad Adam et Hevam) : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam : et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis, quæ moventur in terra — ut habeant ad vescendum. *Ibid.* 1. 29. *V. c.* 9. 3.

Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione. *Psal.* 144. 15. 16. *V. Psal.* 103. *v.* 14. 15. 27.

Qui (Deus) dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. *Ibid.* 146 9

VICTUS. — *De victu non debemus esse solliciti.*

Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. *Matth.* 6. 25. *V. v.* 26. 31. 34. *Item Luc.* 12. *v.* 22. 24. 29. *V.* 1. *Tim.* 6. 8. *et* 1. *Petr.* 5. 7.

VIDUA. — *Viduis benefaciendum est.*

Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, etc. *Exod.* 22. 22. 23.

Non pervertes judicium advenæ et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. *Deut.* 24. 17. Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum : sed advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. *v.* 19. *V. et v.* 20. 21. *Item c.* 16. 11 14.

Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, et advenæ, et pupillo, et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur. *Ibid.* 26. 12. *V. v.* 13.

Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ ; et dicet omnis populus : Amen. *Ibid.* 27. 19.

Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. *Job.* 24. 3.

Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. *Ibid.* 31. 16.

Viduam ejus benedicens benedicam. *Psal.* 131. 15.

In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater. *Eccli.* 4. 10. 11.

Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant : et causa viduæ non ingreditur ad illos. *Isa.* 1. 23. *V. et v.* 17. *Item Jerem.* 5. 28.

Hæc dicit Dominus : Facite judicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris : et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique : et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. *Jerem.* 22. 3.

Et viduam, et pupillum, et advenam et pauperem nolite calumniari : et malum

vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Zach.* 7. 10.

Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3. 5.

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes : propter hoc amplius accipietis judicium. *Matth.* 23. 14. *V. Marc.* 12. 40. *Luc.* 20. 47.

Viduas honora, quæ vere viduæ sunt, etc. 1. *Tim.* 5. 3. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia : ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat. *v.* 16. *V. et vers. præced.*

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Jacob.* 1. 27.

VIDUA. — *Viduas pias quid deceat.*

Erat autem Judith relicta — vidua jam annis tribus et mensibus sex, etc. *Judith.* 8. 4. *V. versus sequentes.*

Et hæc vidua (Anna) *erat* usque ad annos octoginta quatuor ; quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37.

Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. 1. *Tim.* 5. 3 Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. *v.* 5. 6. *V. v* 4. 7. 9. *et seq. Item* 1. *Cor.* 7. 8.

VIGILANTIA. — *Vigilandum. V.* **Adventus Domini.**

VIGILANTIA. — *Vigilare de Deo dicitur, dum in id quod proposuit sedulo incumbit, vel in misericordia, vel in judicio.*

Et factum est verbum Domini ad me (Jeremiam Phophetam), dicens : Quid tu vides, Jeremia ? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud. *Jerem.* 1. 11. 12.

Et sicut vigilavi (inquit Deus) super eos (scil. filios Israel), ut evellerem, et demolirer, et dissiparem, et disperderem, et affligerem : sic vigilabo super eos, ut ædificem, et plantem, ait Dominus. *Ibid.* 31. 28.

Ecce ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum : et consumentur omnes viri Juda, etc. *Ibid.* 44. 27.

VIGILANTIA *piis omnibus, sed Pastoribus in primis necessaria, ad malum declinandum.*

(Quam vigilans fuerit Jacob in servitio Laban, testatus est ipse his verbis) : Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. *Gen.* 31. 40.

Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Matth.* 26. 41. *Item Marc.* 14. 38.

Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam *Luc.* 12. 39. *V. v.* 37. *Item Matth.* 24. 42. 43. *Marc.* 13. 33. *et seq.*

Vigilate itaque, omni tempore orantes, etc. *Ibid.* 21. 36.

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. *Cor.* 10. 12.

Evigilate, justi, et nolite peccare. *Ibid.* 15. 34.

Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1. *Petr.* 5. 8. *V.* 1. *Thess.* 5. 6.

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. *Apoc.* 3. 3. *V. c.* 16. 15.

VIGILANTIA... *ad bonum conservandum.*

Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. *Prov.* 4. 23.

Ego (sapientia) diligentes me diligo : et qui mane vigilant ad me, invenient me. *Ibid.* 8. 17. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, etc. *v.* 34.

Vigilia honestatis tabefaciet carnes. *Eccli.* 31. 1.

Qui vigilaverint ad illum (Dominum), invenient benedictionem. *Ibid.* 32. 18.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. 1. *Cor.* 16. 13.

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione. *Coloss.* 4. 2.

VIGILANTIA... *indesinenter.*

Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. *Matth.* 24. 42. *V. v.* 43.

Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. *Ibid.* 25. 13.

Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit. *Marc.* 13. 33. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne, cum veniret repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate. *v.* 35. *et seq. V. v.* 34.

Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes, etc. *Luc.* 12. 37. Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. *v.* 40. *V. v.* 39.

Igitur non dormiamus, sicut et cæteri ; sed vigilemus, et sobrii simus. 1. *Thess.* 5. 6.

Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, etc. 2. *Tim.* 4. 5.

Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4. 7.

Beatus qui vigilat, etc. *Apoc.* 16. 15.

VINDICTA *soli Deo, ejusque ministris ac magistratui commissa : unde et aliis est prohibita.*

Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. *Levit.* 19. 18. *V. Num.* 31. 2. *Item Jerem.* 51. 36.

Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum : juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora. *Deut.* 32. 35. *V. v.* 43.

Expectemus humiles consolatioem ejus (Dei), et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, et humiliabit omnes gentes, quæcumque insurgunt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster. *Judith.* 8. 20. *V. v.* 26. *et* 34.

Væ genti insurgenti super genus meum : Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, et in die judicii visitabit illos. *Ibid.* 16. 20.

Exurge, Domine, in ira tua : et exaltare in finibus inimicorum meorum. *Psal.* 7. 7.

Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est : non est oblitus clamorem pauperum. *Psal.* 9. 13.

Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. *Psal.* 93. 1. *V. Psal* 117. *v.* 10. 11. 12.

Ne dicas : Reddam malum (pro malo): expecta Dominum, et liberabit te. *Prov.* 20. 22.

Ne dicas : Quomodo fecit mihi, sic faciam ei : reddam unicuique secundum opus suum. *Ibid.* 24. 29.

Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Eccli.* 28. 1. 2. *V. versus sequentes. Item c.* 12. 4.

Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecit Idumæa ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis, etc. *Ezech.* 25. 12. Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel : et facient in Edom juxta iram meam, et furorem meum : et scient vindictam meam, dicit Dominus. *v.* 14. *V. versus sequentes.*

Deus æmulator, et ulciscens Dominus : ulciscens Dominus, et habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. *Nahum.* 1. 2.

Ego autem dico vobis (ait Jesus discipulis), non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram, etc. *Matth.* 5. 39. *V. versus sequentes. Item c.* 6. 14. 15. *et c.* 18. 35. *Marc.* 11. 26.

Cum vidissent autem discipuli ejus (Jesu) Jacobus et Joannes (Samaritanos Christum male recipientes), dixerunt : Domine, vis, dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos. Et conversus (Jesus) increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis, etc. *Luc.* 9. 54. 55.

Ait autem Dominus : Audite, quid judex iniquitatis dicit ; Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. *Ibid.* 18. 6. 7. 8.

Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim : Mihi vindictam ; ego retribuam, dicit Dominus. *Rom.* 12. 19. *Item Hebr.* 10. 30.

Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat ; sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. 1. *Thess.* 5. 15. *V. Prov.* 17. 13. *Rom.* 12. 17.

Alexander ærarius multa mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundum opera ejus; quem et tu devita; valde enim restitit verbis nostris. 2. *Tim.* 4. 14. 15.

Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1. *Petr*. 3. 9.

Et clamabant (animæ interfectorum subtus altare) voce magna dicentes : Usquequo, Domine (sanctus et verus), non udicas, et non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? *Apoc*. 6. 10.

VINEA *vulgaris et mystica.*

Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. *Gen*. 9. 20.

Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit : foras autem ne efferas tecum. *Deut*. 23. 24. *V. c*. 32. 32.

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos : tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Vinea mea coram me est. *Cant*. 8. 11. 12. *V. Psal*. 69. 9. *et seq*.

Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, etc. *Isa*. 5. 1. *V. versus sequentes usque ad v*. 8. *Jer*. 2. 21. *Joel* 1. 7. 12.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Matth*. 20. 1. *V. versus sequentes*.

Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. *Ibid*. 21. 33. *Item Marc*. 12. 1. *et seq*. *Luc*. 20. 9. *et seq*.

VINUM. — *Vini abusus quam noxius.*

Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Prov*. 20. 1.

Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo : et dices : Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et ego non sensi; quando evigilabo, et rursus vina reperiam? *Ibid*. 23. 29. *et seq*. *V. v*. 20.

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas : et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. *Ibid*. 31. 5. *V. v*. 6. *Item Eccli*. 9. 15. *et c*. 40. 20.

Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. *Isa*. 5. 11. *V. v*. 12.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes*. 5. 18.

Oportet ergo episcopum — non vinolentum (esse). 1. *Tim*. 3. 2. 3. *V. v*. 8. *Item Tit*. 1. 7.

Anus similiter — non multo vino servientes (sint), etc. *Tit*. 2. 3.

VINUM. — *Pauculo et modico vino utendum.*

Noli adhuc aquam bibere (ait Paulus Timotheo); sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. 1. *Tim*. 5. 23.

VINUM *figurate sumitur pro actibus humanis.*

Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. *Deut*. 32. 33.

Ostendisti (Deus) populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis. *Psal*. 59. 5.

Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt. *Prov*. 4. 17.

Argentum tuum versum est in scoriam : vinum tuum mistum est aqua. *Isa*. 1. 22.

VIR. — *Viri uxores suas diligere debent.*

Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, etc. *Ephes*. 5. 25. *V. v*. 28. *et* 33.

Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. *Coloss*. 3. 19.

Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ. 1. *Petr*. 3. 7.

VIRGO. — *Virginitas commendatur.*

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. *Matth*. 19 12.

V. c. 22. 30. *Marc.* 12. 25. *Luc.* 20. 35. 36.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. 1. *Cor.* 7. 25. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. *v.* 27. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. *v.* 32. Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. *v.* 34. *V. v.* 37.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo et Agno. *Apoc.* 14. 4.

VIRGO. — *Virginitas præfertur conjugio.*

Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit : et qui non jungit, melius facit. 1. *Cor.* 7. 38. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam. *v.* 40.

VIRGO. — *Virgines servantur.*

Ergo cunctos interficite (ait Moyses principibus exercitus Israel contra Madianitas) quidquid est generis masculini, etiam in parvulis : et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate : puellas autem et omnes fœminas virgines, reservate vobis : et manete extra castra septem diebus. *Num.* 17. 18. 19. *V. Judic.* 21. 11. 12.

VIRGO. — *Virgines olim conclusæ.*

Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant : sed et virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam per fenestras aspiciebant : universæ autem protendentes manus in cœlum, deprecabantur. 2. *Mach.* 3. 19. 20.

VISITATIO. — *Visitare et consolari infirmos seu ægrotos, opus est misericordiæ.*

His ita transactis, nuntiatum est Joseph, quod ægrotaret pater suus (Jacob) : qui, assumptis duobus filiis, Manasse, et Ephraim, ire perrexit. *Gen.* 48. 1.

Porro Ochozias filius Joram, rex Juda, descendit invisere Joram filium Achab in Jezrael, quia ægrotabat ibi. 4. *Reg.* 8. 29. *V.* 2. *Paral.* 22. 6.

Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est : descenditque ad eum Joas, rex Israel, et auriga ejus. *Ibid.* 13. 14. *V. et c.* 20. *Job* 2. 11. *Isa.* 38. 1.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. *Psal.* 40. 4. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. *Eccles.* 7. 3. *V. Rom.* 12. 15.

Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli.* 7. 38. 39.

Hospes eram, et collegistis me (dicet Christus in die judicii) : nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te videmus — hospitem, et collegimus te? aut nudum, et cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* 25. 35. *et seq.* *V. v.* 43. 44. *et c.* 8. 7. *Item* 2. *Cor.* 1. 4. *Jacob.* 1. 27.

VISITATIO. — *Visere sanctos desiderabat Paulus.*

Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, etc. *Rom.* 1. 11. *V. v.* 10. 12. 13.

Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis jam præcedentibus annis. *Ibid.* 15. 23. *V. v.* 24. *et* 32.

Vellem esse apud vos modo, et mutare vocem meam : quoniam confundor in vobis. *Gal.* 4. 20.

Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre, cum multo desiderio. 1. *Thess.* 2. 17. *V. v.* 8. *et* 18.

VITA *fidelium ad quam regulam sit instituenda.*

In sudore vultus tui (dixit Deus ad Adam) vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *Gen.* 3. 19.

Apparuit ei (Abraham) Dominus, dixitque ad eum : Ego Deus omnipotens : ambula coram me, et esto perfectus. *Ibid.* 17. 1. *V. et Psal.* 14. *per totum.*

Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt : et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum. *Exod.* 20. 11.

Ego enim sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum. *Lev.* 11. 44. *V.* 1. *Petr.* 1. 16.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. *Ibid.* 19. 1. 2.

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. *Ibid.* 20. 26. *V. v.* 7.

Sint ergo sancti (filii Aaron), quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos. *Ibid.* 21. 8.

Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accipiet benedictionem a Domino — Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. *Psal.* 23. 3. *et seq. V. Psal.* 33. 14. 15.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem; quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. *Psal.* 36. 37.

Deum time, et mandata ejus observa ; hoc est enim omnis homo : et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. *Eccli.* 11. 13. 14.

Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6. 8. *V. Psal.* 33. 14. 15. *et Psal.* 96. 10. *Amos.* 5. 14. 15. *Rom.* 12. 9. 1. *Petr.* 3 10. 11.

Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. *Matth.* 5 48.

Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et Prophetæ. *Ibid.* 7. 12. *V. Tob.* 4. 16. *et Luc.* 6. 31.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *Ibid.* 11. 29. *V. Jerem.* 6. 16.

Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis. *Ibid.* 23. 26. Vos a foris quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. *v.* 28. *V. v.* 25. *Item Luc.* 11. 39.

Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est, etc *Luc.* 6. 36. *V. versus seq.*

Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. *Ibid.* 13. 14. *V. et v.* 34.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Ibid.* 15. 12. *V Levit.* 19. 18. *Matth.* 22. 39. *Marc.* 12. 31. *Rom.* 13. 8. 9. *Gal.* 5. 14. *Ephes.* 5. 2. *Jacob.* 2. 8. 1. *Joan.* 3. 11. *et c.* 4. 21.

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. *Rom.* 6 4. *V. v.* 6. *Item Ephes.* 4. 22. *et seq. Coloss.* 2. 12. *et c.* 3. 12. *et seq. Hebr.* 12. 1. 1. *Petr.* 2. 1.

Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. *Ibid.* 8. 1.

Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Ibid.* 13. 14. *V. totum caput. Item Gal.* 5. 16. *et* 25. *Item* 1. *Petr.* 2. 11. *et seq.*

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. *Ibid.* 15. 2. *V. v.* 1.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, etc. 1. *Cor.* 7. 20. *V.* 2. *Petr.* 1. 10.

Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite. *Ibid.* 10. 31.

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. 2. *Cor.* 7. 1. 2.

(Deus) elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* 1. 4.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua

vocati estis, etc. *Ibid.* 4. 1. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. *v.* 23.24. *V. totum caput Item Rom.* 12. 2.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi : et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, etc. *Ibid.* 5. 1. 2. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei, etc. *v.* 17. *V. tot. caput.*

Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, etc. *Coloss.* 2. 6.

Nolite mentiri invicem ; expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, etc. *Ibid.* 3. 9. 10. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, etc. *v.* 12. 13. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. *v.* 17.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore, etc. 1. *Thess.* 4. 3. *V. c.* 5. 14. *et seq. Item Rom.* 12. 2.

Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. *Tit.* 2. 11. *V. c.* 3. 8. *Item Hebr.* 12. 2. *et seq.* 1. *Petr.* 1. 15. *c.* 2. 21. *c.* 3. *v.* 10. 11. 15. 15. *c.* 4. 8. *et seq*

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, etc. *Hebr.* 12. 14. *V. Rom.* 12. 18.

Quis sapiens, et disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Jac.* 3. 13.

(Hortatur Apostolus Petrus, ut tanquam peregrini ab omnibus mundanis abstineamus, superioribus obtemperemus, afflictionesque ad Christi imitationem feramus). 1. *Petr.* 2. 11. *et seq.*

Quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini ? 2. *Petr.* 3. 11. 12. Satagite immaculati et inviolati ei (Deo) inveniri in pace. *v.* 14.

Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse (Deus) est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. 1. *Joan.* 1. 7. *V.* 2. *Petr.* 1. 5. *et seq.*

Qui dicit se in ipso (Christo) manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. *Ibid.* 2. 6.

VITA. — *Vivendum Deo, non sibi.*

Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. *Rom.* 14. 7. 8.

Et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. 2. *Cor.* 5. 15.

Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. *Galat.* 2. 20. *V. et* 1. *Petr.* 4. 2.

Qui (Christus) mortuus est pro nobis : ut, sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. 1. *Thess.* 5. 10.

VITA. — *Vitæ emendatio.*

Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis a Deo : decies tantum iterum convertentes requiretis eum. *Baruch* 4. 28.

Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem ; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, etc. *Rom.* 6. 19. *V. totum. caput.*

VITA *longa mandatorum Dei observatoribus promissa.*

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, etc. *Exod.* 20. 12. *Item Deut.* 5. 16. *Eccli.* 3. 6. *et seq. Matth.* 15. 4. *Marc.* 7. 10. *Ephes.* 6. 2.

Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. *Lev.* 18. 5. *V. c.* 25. 18. *Item Deut.* 6. 17. *Ezech.* 20. 11 *Rom.* 10. 5. 3. 12.

Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi : ut multo vivas tempore super terram, etc. *Deut.* 25. 5.

Si autem ambulaveris in viis meis (dixit Deus Salomoni), et custodieris præcepta mea, et mandata mea — longos faciam dies tuos. 3. *Reg.* 3. 14. *Item Prov.* 3. 2.

Longitudine dierum replebo eum, et os-

tendam illi salutare meum. *Psal.* 90. 16. *V. et Prov. c.* 3. *per totum. Item c.* 9. 11.

Timor Domini apponet dies : et anni impiorum breviabuntur. *Prov.* 10. 27. *V. Psal.* 33. *v.* 13. 14. 15. *Item* 1. *Petr.* 3. 10. 11.

Fructus justi, lignum vitæ. *Ibid.* 11. 10. *V. Luc.* 10. 28.

Qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Ibid.* 28. 16.

Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matth.* 19. 17.

(Qui mundana propter Deum relinquit, recipiet) in sæculo venturo vitam æternam. *Luc.* 18. 30. *V. Joan.* 10. 28.

Ut omnis, qui credit in ipsum (Christum), non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. 15. *V. v.* 36. *et c.* 4. 14. *et c.* 5. 24. *et c.* 6. 40. 55. *et c.* 17. 2. 3. *et c.* 20. 31. 1. *Joan.* 5. 13. 20.

Panis (qui est Christus) — dat vitam mundo. *Ibid.* 6. 33.

Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Ibid.* 12. 25.

Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero, vitam æternam. *Rom.* 6. 22.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? *Jac.* 2. 5. *V.* 1. *Petr.* 5. 4. 1. *Joan.* 2. 25. *Judæ. v.* 21.

VITA *æterna gignitur ex gratia tanquam patre, et ex merito tanquam matre.*

Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. *Eccli.* 16. 15.

Merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5. 12. *V. Luc.* 6. 23.

Et omnis qui reliquerit domum, etc. vitam æternam possidebit. *Ibid.* 19. 29. *V. Marc.* 10. 29. 30.

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, etc. *Ibid.* 20. 2. *V. c.* 25. 14. (de quinque talentis parabolam).

Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam ; intra in gaudium domini tui. *Ibid. v.* 21. 23.

Venite, benedicti Patris mei, possidere paratum vobis regnum, etc. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. *Ibid. v.* 34. 35. *V. c.* 10. 42. *et c.* 16. 27. *Item Marc.* 9. 40.

Dignus est enim operarius mercede sua *Luc.* 10. 7. *V. Psal.* 61. 13. *Item* 1. *Tim.* 5. 18.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. *Rom.* 4. 4. *V. c.* 2. 6.

Stipendia enim peccati mors Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro. *Ibid.* 6. 23.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1. *Cor.* 3. 8.

Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, etc. *Coloss.* 1. 10.

Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini. 2. *Thess.* 1. 5.

Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jac.* 1. 12.

VITA. — *Vitæ anteactæ memoria haud inutilis.*

Memento (ait Moyses ad populum Israel), quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, etc. *Deut.* 5. 15.

Et recordaberis, quoniam servus fueris in Ægypto : custodiesque ac facies quæ præcepta sunt. *Ibid.* 16. 12.

Et recordabimini (ait Dominus filiis Israel) viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum : et displicebunt vobis iniquitates vestræ, et scelera vestra. *Ezech.* 26. 31. *V. et oan.* 4. 29. *Item Act.* 22. 4. *et c.* 26. 10. *Rom.* 6. 17. *et seq.* 1. *Cor.* 15. 9. *Gal.* 1. 13. *et seq.*

Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt diis, serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, (non ad pristitina revertimi, sed gratias agite Deo). *Galat.* 4. 8. 9. *V. Ephes.* 2. *v.* 1. 2. 3. 11. *et* 12.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate — in omni bonitate, et justitia, et veritate, etc. *Ephes.* 5. 8. 9. *V. Coloss.* 1. 21. *Tit.* 3. 3. 1. *Petr.* 2. 10.

Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. 1. *Petr.* 2. 25. *V. et c.* 4. 3.

VITA. — *Vitæ humanæ brevitas et vanitas.*

In sudore vultus tui (dixit Dominus ad

Adam) vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *Gen.* 3. 19.

Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur : nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abjectus est. 2. *Reg.* 14. 14.

Peregrini enim sumus coram te (Domine), et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. *Par.* 29. 15

Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. *Tob.* 4. 23.

Quare misero data est lux, et vita his, qui in amaritudine animæ sunt? *Job* 5. 20.

Militia est vita hominis super terram : et sicut mercenarii, dies ejus. *Ibid.* 7. 1. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Memento (Domine), quia ventus est vita mea. *v.* 6. 7. *tot. caput.*

Hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. *Ibid.* 8. 9.

Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ. *Ibid.* 9. 21. *V. v.* 25. 26.

Et si impius fuero, væ mihi est : et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. *Ibid.* 10. 15. *V. v.* 1. *et* 20.

Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea. *Ibid.* 13. 28. *V. v.* 12.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. *Ibid.* 14. 1. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *v.* 5. *V. v.* 2. *Item c.* 16. 23. *et c.* 17. 1. 11.

Ecce mensurabiles posuisti (Domine) dies meos : et substantia mea tanquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. Verumtamen in imagine pertransit homo. *Psal.* 38. 6. 7.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt : et in ira tua (Domine) defecimus. *Psal.* 89 9. *V. tot. Psal.*

Defecerunt sicut fumus dies mei : et ossa mea sicut cremium aruerunt *Psal.* 101. 4. Dies mei sicut umbra declinaverunt : et ego sicut fœnum arui. *v.* 12. *V. v.* 24.

Homo, sicut fœnum, dies ejus : tanquam flos agri sic efflorebit. *Psal.* 102. 15. *V. v.* 14 16.

Sicut umbra cum declinat, ablatus sum : et excussus sum sicut locustæ. *Psal.* 108. 23.

Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt. *Psal.* 143. 4.

Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. *Prov.* 27. 1.

Cuncti dies ejus (hominis), doloribus et ærumnis pleni sunt : nec per noctem mente requiescit : et hoc nonne vanitas est? *Eccles.* 2. 23.

Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. *Ibid.* 3. 10.

Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore, quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? *Ibid.* 7. 1.

Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam. *Ibid.* 9. 1. *V. v.* 12.

Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : quoniam consignata est, et nemo revertitur. *Sap.* 2. 5. *V. versus præcedentes. Item c.* 15. 9. 10.

Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens. *Ibid.* 5. 9 *V. versus sequentes.*

Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi? *Eccli.* 14. 18. *V. c.* 17. 13.

Numerus dierum hominum, ut multum centum anni : quasi gutta aquæ maris deputati sunt : et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. *Ibid.* 18. 8. *V. c.* 40. 6. *Item Psal.* 89. 10.

O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis? etc. *Ibid.* 41. 1. *versus sequentes.*

Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. *Isa.* 40. 6. *V.* (Canticum Ezechiæ), *c.* 38. 10. *Item* 1. *Petr.* 1. 24.

(Homo quidam dives) dixit : Hoc faciam : Destruam horrea mea, et faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata

sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te : quæ autem parasti, cujus erunt? *Luc.* 12. 18. *et seq. V. Eccli.* 11. 19. 20.

Id enim, quod in præsenti est momentaneum. 2. *Cor.* 4. 17.

Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Hebr.* 13. 14.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua : dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. *Jac.* 1. 9. 10.

Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. *Ibid.* 4. 15. *V. v.* 14.

VITA. — *Vitam pro fratribus ponere.*

(Facta ad Deum oratione, Judith præcidit caput ebrii Holofernis, quod ad concives Bethuliæ deferens, eos ad gratiarum actionem hortatur; ipsa vero ab omnibus benedicitur). *Judith c.* 13. *per totum.*

(Luctus Mardochæi ac reliquorum Judæorum, ob paratum ipsis interitum. Esther autem ut jussu Mardochæi neci Judæorum occurrat, non vocata ad regem cum vitæ periculo ingreditur, et jubet cum jejunio pro se triduo orari, idem ipsa faciente). *Esther c.* 4. *per totum.*

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15. 15. *V. c.* 10. 11. 15.

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. *Joan.* 3. 16.

VNANIMITAS. *V. et* **Concordia.**

VNANIMITAS. — *Commendatur hæc virtus.*

Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una. *Act.* 4. 32. *V. c.* 2. 46. *et c.* 5. 12.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri, ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. 1. *Cor.* 1. 10.

(State) in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii. *Philipp.* 1. 27. *V. c.* 2. 2. *Item Rom.* 12. 16. *Ephes.* 4. 3.

VNCTIO. — *Unctionis-Extremæ Sacramentum.*

Et exeuntes (Apostoli) prædicabant, ut pœnitentiam agerent : et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. *Marc.* 6. 12. 13.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, etc. *Jac.* 5. 15.

VOCATIO *Gentium. V.* **Gentium vocatio.**

VOCATIO. — *Vocationi propriæ sedulo inserviendum.*

Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. *Prov.* 27. 8.

(Ambulante Jesu) in via, dixit quidam ad illum : Sequar te, quocumque ieris. Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Ait autem ad alterum : Sequere me : ille autem dixit : Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. Dixitque ei Jesus : Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei. Et ait alter : Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. *Luc.* 9. 57. *et seq. usq. ad fin. V. Matth.* 8. 19. *et seq. c.* 4. 19. 21. *et c.* 9. 9. *Item Marc.* 1. 17. 20. *et c.* 2. 14. *Luc.* 5. 17. *Joan.* 21. 19. 22.

(Unusquisque) sicut vocavit (eum) Deus, ita ambulet. 1. *Cor.* 7. 17. Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. *v.* 24.

Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis, etc. 2. *Petr.* 1. 10.

VOLUNTAS *nostra accommodanda est voluntati divinæ. V. et* **Abnegatio,** *et* **Cor,** *et* **Resignatio in divinam volontatem.**

Indicavit itaque ei Samuel (Heli) universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit : Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. *Reg.* 3. 18.

Esto vir fortis (dixit Joab fratri suo Abisai), et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri : Dominus autem

faciet quod bonum est in conspectu suo. 2. *Reg*. 10. 12. *V. c*. 15. 26.

Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat (ait Judas Machabæus). 1. *Mach*. 3. 60.

Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. *Matth*. 6. 10.

Et progressus pusillum (Jesus), procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (vis). *Ibid*. 26. 39. *Item Marc*. 14. 36. *Luc*. 22. 42.

Et cum ei (Paulo) suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. *Act*. 21. 14.

Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. *Hebr*. 6. 3. *V*. 1. *Cor*. 4. 19.

Si Dominus voluerit; et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. *Jacob*. 4. 15.

VOLUNTAS *Dei*.

Non omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth*. 7. 21. *V. Luc*. 6. 46.

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est. *Ibid*. 12. 50. *Item habetur verbatim. Marc*. 3. 35.

Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris : ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Joan*. 6. 39. *V. v*. 38. *et* 40. *Item Ephes*. 5. 17. *Coloss*. 1. 9.

Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri; ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. *Rom*. 12. 2.

Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione; ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore, etc. 1. *Thess*. 4. 3. 4. *V*. I. *Tim*. 2. 4.

Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. 1. *Joan*. 2. 17.

VOLUNTAS *Dei non est, ut aliquis pereat*.

Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? *Ezech*. 18. 13. *V. c*. 33. 11.

Hæc est enim voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. *Joan*. 6. 39.

Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 1. *Tim*. 2. 3. 4.

Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr*. 3. 9.

VOLUNTAS. — *Voluntatem pro opere acceptat Deus*.

Dixitque ad eum (Abimelech, qui tulerat Saram) Deus : Et ego scio quod simplici corde feceris : et ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam (Saram). *Gen*. 20. 6. *V. v*. 3.

Dixitque ei (scilicet Angelus Domini ad Abraham) : Non extendas manum tuam super puerum, neque facies illi quidquam : nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Ibid*. 22. 12.

(Dixit Dominus ad David per prophetam Nathan) : Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. 2. *Reg*. 12. 9.

VOLUPTAS *carnis*. *V*. **Concupiscentia**.

VOTUM. — *Votorum exemplum*.

(Jacob, vadens ad domum Laban avunculi sui, post ostensam sibi a Domino visionem), vovit etiam votum, dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimenta ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei : erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei; cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Gen*. 28. 20. *et seq*.

Rex Arad — pugnavit contra illum (Israel), et victor existens, duxit ex eo prædam. At Israel, voto se Domino obligans, ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus : et vocavit nomen loci illius Horma, id est, Anathema. *Num*. 21. 1. *et seq*.

(Pugnaturus Jephte contra filiios Ammon), votum vovit Domino, dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. *Judic.* 11. 30. 31.

Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens — dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus. 1. *Reg.* 1 10. 11.

Dixit Absalom ad regem David : Vadam, et reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens : Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino. Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. 2. *Reg.* 15. 7. *et seq.*

(Rex Asa perfectus erat coram Domino) : et intulit ea, quæ sanctificaverat pater suus, et voverat, in domum Domini, argentum, et aurum, et vasa. 3. *Reg.* 15. 15. *V.* 2. *Paral.* 15. 18. *Idem* (extat de Salomone), 2. *Par.* 5. 1.

Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent : quia corde toto offerebant ea Domino : sed et David rex lætatus est gaudio magno. 1. *Par.* 29. 9.

Sed et filii Israel et Juda — obtulerunt decimas boum, etc. quæ voverant Domino Deo suo. 2. *Paral.* 31. 6. *V. v.* 12.

(Rex Artaxerxes præcepit Esdræ et populo, ut) ferant munera Domino Deo Israel, quæ (voverat) *ipse.* 3. *Esdr.* 8. 14.

Omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum : et mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et promissiones suas. *Judith.* 16. 22.

Et timuerunt viri (qui erant in navi cum Jona) timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. *Jonæ.* 1. 16.

Heliodorus autem (virtute divina graviter punitus, et sanatus per orationem Oniæ), hostia Deo oblata, et votis magnis promissis — repedabat ad regem. 2. *Mach.* 3. 35. *V.* (simile de Antiocho), *c.* 9. 15. *et seq.*

(Beata virgo Maria virginitatem vovisse videtur ex eo, quod ait ad Angelum) : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *Luc.* 1. 34.

Qui (Paulus) sibi totonderat in Cenchris caput : habebat enim votum. *Atc.* 18. 18. *V. c.*21. 23.

(Crudele votum et impium fecerunt illi Judæi), qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores, et dixerunt : Devotione devovimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. *Ibid.* 23. 14. *V. v.* 12.

VOTUM. — *Vota servanda ac reddenda.*

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Homo, qui votum fecerit, et spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium, etc. *Lev.* 27. 1. 2. *V. totum caput.*

Loquere ad filios Israel (ait Dominus ad Moysen), et dices ad eos : Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare : a vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt, etc. *Num.* 6. 1. *per totum caput.*

(Agitur de voto ac juramento virorum, et quando puellarum et uxorum vota seu juramenta rata sint vel irrita). *Ibid. c.* 30. *per totum.*

Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus : et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut.* 23. 21.

Vota mea reddam (Deo) in conspectu timentium eum. *Psal.* 21. 26.

Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua. *Psal.* 49. 14.

Reddam vota mea de die in diem. *Psal.* 60. 9. *V. Psal.* 65. 13.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in ciruitu ejus affertis munera. *Psal.* 75. 12. *V. Psal.* 131. 2.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio : sed quodcumque voveris, redde : multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. *Eccles.* 5 3. 4.

Si quis illis (diis Babyloniorum) votum voverit, et non reddiderit : neque hoc requirunt. *Baruch.* 6. 34.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi (Deo) : quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. *Jnoæ.* 2. 10.

Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se, etc. *Act.* 21. 23.

VOTUM *castitatis servandæ, seu non cognoscendi virum. V. et* **Castitas.**

Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? *Luc.* 1. 34.

VOTUM... *non sine damnatione violatur.*

Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo (adolescentiores viduæ) nubere volunt : habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 1. *Tim.* 5. 12. 13.

VOTUM *impium non implendum. V.* **Juramentum.**

VSVRA. *V. et* **Fœneratio.**

VSVRA *est prohibita.*

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. *Exod.* 22. 25.

Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum ; ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. *Levit.* 25. 35. 36 Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. *v.* 37.

Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem ; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, etc. *Deut.* 23. 19. 20.

Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis ? Et congregavi adversus eos concionem magnam (ait Nehemias). 2. *Esdr.* 5. 7.

Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit (glorificat eum Deus). *Psal.* 14. 5. *V. Psal.* 54. 12 *et Psal.* 71. 14.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Prov.* 22. 16.

Qui coacervat divitias usuris, et fœnore, liberali in pauperes congregat eas. *Ibid.* 28. 8.

Væ mihi, mater mea : quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam : omnes maledicunt mihi. *Jerem.* 15. 10.

(Qui) ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit : ab iniquitate averterit manum suam, et judicium verum fecerit inter virum : in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem : hic justus est, et vita vivet, ait Dominus Deus. *Ezech.* 18. 8. 9. Ad usuram dantem, et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet : cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis ejus in ipso erit. *v.* 13. *V. v.* 17.

Munera acceperunt apud te (Jerusalem) ad effundendum sanguinem : usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris : meique oblita es, ait Dominus Deus. *Ibid.* 22. 12.

Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere : quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. *Luc.* 6. 34. Mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa (apud Deum). *v.* 35.

Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Ibid.* 19. 8. *V.* 23.

VXOR *non temere relinquenda.*

Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth.* 5. 32. *et c.* 19. 9. *Item Deut.* 22. 19. *Marc.* 10. 11. *Luc.* 16. 18. 1. *Cor.* 7. 11. 12.

VXOR. — *Uxoris officium.*

Mulieri quoque dixit (Deus) : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Gen.* 3. 16.

(Sara uxor Abrahæ obediebat marito, et Dominum eum vocabat). *Ibid.* 18. 12. *V.* 1. *Petr.* 3. 6.

Si maritum habuerit (mulier), et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento : quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat, etc. *Num.* 30. 7. 8. Sin autem extemplo contradixerit (maritus), non tenebitur promissionis rea : quia maritus contradixit et Dominus eis. *v.* 13. *V. totum hoc caput,* (de uxoribus disserens).

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea : abominabilis

enim apud Deum est qui facit hæc. *Deut.* 22. 5. *V. Esther. c.* 1. *per totum.*

Et apprehendentes parentes (Saræ) filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire : monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, et gubernare domum, et se ipsam irreprehensibilem exibere. *Tob.* 10. 13.

Mulier gratiosa inveniet gloriam : et robusti habebunt divitias. *Prov.* 11. 16.

Mulier diligens, corona est viro suo : et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit. *Ibid.* 12. 4. *V. c.* 31. (de laudibus mulieris fortis).

(Paulus Corinthios instruit de matrimonio, ejusque usu, et indissolubili vinculo, innuptis commendans cœlibatum, et quomodo fidelis cum infideli conjuge se habere debeat, etc.) 1. *Cor. c. per totum.*

Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum : unum enim est ac si decalvetur. *Ibid.* 11. 5. Etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum. *v.* 9. *V. cæteros versus usq. ad v.* 16.

Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. *Ibid.* 14. 34. 35.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris : sicut Christus caput est Ecclesiæ. *Ephes.* 5. 22. 23. *V.* 33. *Item Coloss.* 3. 18.

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. 1. *Tim.* 2. 11. *V. duos versus præcedentes, et reliquos sequentes.*

Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. *Ibid.* 3. 11.

Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes : ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. *Tit.* 2. 3. 4. 5. *V. Petr.* 3. 1. *usque ad v.* 7.

Z

ZELUS *et* **ZELOTYPIA.** — *V. et* **Ira.**

ZELUS *significat studium, quo accendimur ad alicujus virtutes imitandas, aut superandas, sine ullo tamen ipsius odio:*

Æmulamini autem charismata meliora. 1. *Cor.* 12. 31.

Sectamini caritatem, æmulamini spiritalia, etc. *Ibid.* 14. 1. *V. v.* 12. *et* 39.

Vestra æmulatio provocavit plurimos. 2. *Cor.* 9. 2. *V. c.* 11. 2.

Bonum autem æmulamini in bono semper. *Gal.* 4. 18. *V. v.* 16.

(Christus) dedit semetipsum pro nobis, ut — mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* 2. 14.

ZELUS *Dei, id est affectus ille summus, quo populum suum gratiose amplectitur, cum justa severitate adversus peccata, et ira formidabili in Ecclesiæ hostes.*

Phinees (inquit Deus) — avertit iram meam a filiis Israel : quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. *Num.* 25. 11.

Sed tunc quam maxime furor ejus (Dei) fumet, et zelus contra hominem illum (peccatorem); etc. *Deut.* 20. 20.

De Jerusalem quoque egredientur reliquiæ, et quod salvetur de monte Sion : zelus Domini exercituum faciet hoc. 4. *Reg.* 19. 31. *V. Isa.* 37. 32.

Usquequo, Domine, irasceris in finem : accendetur velut ignis zelus tuus? *Psal.* 78. 5.

Zelus Domini exercituum (confirmabit regnum David). *Isa.* 9. 7.

Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum : vociferabitur et clamabit : super inimicos suos confortabitur. *Ibid.* 42. 13.

Et vidit Dominus (impietatem), et malum apparuit in oculis ejus — (et) indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. *Ibid.* 59. 15. 17. *V. Sap.* 5. 18.

Et scient (inquit Dominus, inimici mei), quia ego Dominus locutus sum in zelo meo cum implevero indignationem meam in eis. *Ezech.* 5. 13 *V. c.* 16 38. *Item c.* 23. 25. *et c.* 36. 5. 6. *et c.* 39. 19.

Et requiescet indignatio mea in te (Jerusalem, ait Dominus) : et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius. *Ibid.* 16. 42. *V. c.* 39. 25.

In igne zeli ejus (Dei) devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. *Sophon.* 1. 18. *V. c.* 3. 8.

Zelatus sum Sion (inquit Deus) zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam, etc. *Zach.* 8. 2.

ZELUS. — *Zeli et Zelotypiæ bonæ exempla.*

(Sæviebant filii Jacob ob stuprum sororis suæ Dinæ, per Sichem oppressæ). *Gen.* 34. 13. *V. totum caput.*

(Audiens Moyses voces cantantium, et videns vitulum et choros), iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas, etc. (et gravissime punivit populum, pro quo paulo ante tam fideliter et constanter oraverat ad Deum). *Exod.* 32. *v.* 11. 12. 13.

Unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse — Quod cum vidisset Phinees — surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem, in locis genitalibus. *Num.* 25. 6. *et seq.* (Quod etiam valde placuit Deo, ut patet ex) *v.* 11. 12. *et* 13.

(Præcepit Josue Achan lapidari, et totam ejus supellectilem comburi, quia tulerat de anathemate Jericho). *Josue* 7. 24. *et seq.*

Quod cum audissent filii Israel (scil. filios Ruben et Gad ædificasse sibi altare), — convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, et dimicarent contra eos. *Ibid.* 22. 11. 12. *V. versus sequentes.*

(Ob scelus Gabaonitarum, ex tribu Benjamin, qui prodigiosa libidine extinxerant uxorem cujusdam Levitæ reducentis eam a domo parentum, pugnantes reliquæ tribus adversus Benjamin semel atque iterum bello inferiores, tertioque committentes jussu Domini prælium, tribum illam, præter sexcentos qui in solitudinem fugerant, penitus deleverunt). *Judic.* 19. *et* 20. *per tot.*

Dixitque Samuel : Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus et tremens. Et dixit Agag : Siccine separas, amara mors? Et ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. 1. *Reg.* 15. 32. 33.

Dixitque Elias ad eos (Israel) : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. *Reg.* 18. 40.

Ecce sermo Domini ad eum (Eliam), dixitque illi : Quid hic agis Elia? At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel : altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. *Ibid.* 19. 9. 10. *V.* 1. *Reg.* 11. 6.

(Reprehensus est Achab a propheta Dei, eo quod Benadad regem Syriæ, virum morte dignum, indiscrete vivum permisit abire). *Ibid.* 20. 42.

(Quamvis rex Israel Jehu specialiter fuerit malus, tamen multum commandatur. eo quod semen domus Achab delevit, et Prophetas Baal occidit, et statuam, et ædem ipsius Baal destruxit). 4. *Reg.* 10. *a v.* 11. *usque ad v.* 32.

(Sic etiam Ezechias, pietate eximius, dissipavit omnia idolorum delubra, etc.). *Ibid.* 18. 4. *V. simile c.* 23. 6. *de Josia, usque ad v.* 26.

Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Joiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi (sculptibilibus servientis), et dixit eis — Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit : et dereliquistis Dominum, ut dereliqueret vos? 2. *Paral.* 24. 20.

(Audiens Esdras, Judæos cum gentibus matrimonia contraxisse, miro modo doluit, et gemens ac ejulans, signa doloris ostendit). 1. *Esdr.* 9. 3. *et seq. V.* 3. *Esdr.* 8. 72. *et seq.*

(Videns Nehemias Judæos ducentes uxores alienigenas, objurgavit eos, et maledixit, et verberavit aliquos, et decalvavit). 2. *Esdr.* 13. 25.

Zelus domus tuæ comedit me, (inquit David). *Psal.* 68. 10.

Et ut cessavit loqui verba hæc (Mathathias), accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum jussum regis : et vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram : sed

et virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit, et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. Et acclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens : Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, et filii ejus in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. 1. *Mach.* 2. 23. *et seq. V. v.* 54. *et* 58.

(Onias summus Pontifex restitit viriliter Simoni, qui volebat) iniquum aliquid in civitate moliri. 2. *Mach.* 3. 4.

(Miro fervebat zelo Joannes Baptista, quando dicebat Pharisæis, et Sadducæis) : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? *Matth.* 3. 7. *V. c.* 23. 33. *Item Luc.* 3. 7. (Similiter et quando Herodem increpabat). *Matth.* 13. 4. *Marc.* 6. 18. *Luc.* 3. 19.

Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo : et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. *Ibid.* 21. 12. *V. Marc.* 11. 15. *Luc.* 19. 45. *Joan.* 2. 15.

(Dure increpabat Dominus Scribas et Pharisæos, dum dicebat illis) : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ, etc. (et octies istud væ repetit iratissime et indignanter). *Ibid.* 23. 13. *et seq. usq. ad v.* 30. *V. Luc.* 11. 42. *et seq. usq. ad v.* 53.

Recordati sunt vero discipuli ejus (Jesu), quia scriptum est : Zelus domus tuæ comedit me. *Joan.* 2. 17.

(Sciens Jesus, Judæos ipsum nequiter observare, circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum, dixitque eis) : Vos ex patre diabolo, estis, etc. *Ibid.* 8. 44.

(Magno zelo succensus est Petrus in Ananiam et Saphiram, quando vidit, quod fraudaverant) de pretio agri. *Act.* 5. 3. *V. v.* 4. *et* 9.

(Stephanus ardenti zelo correptus, dixit Judæis) : Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, etc. *Ibid.* 7. 51.

(Resistenti sibi et Barnabæ Barjesu pseudo-propheta, respondit Paulus) : O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. *Ibid.* 13. 10. *V. v.* 11.

(Dum Paulus prædicaret Athenis), incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. *Ibid.* 17. 16.

Æmulor enim vos (ait Paulus) Dei æmulatione, etc. 2. 2. *Cor.* 11. 2.

Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. *Philipp.* 3. 2. (Specialiter etiam apparet fervens zelus Pauli) *in Epist. ad Galat. c.* 4 (ubi arguebat, increpabat, obsecrabat : et similiter). 2. *Cor. c.* 11.

ZELUS. — *Zeli indiscreti exempla.*

(Videns Josue, minister Moysi, duos homines in castris prophetantes, dixit) : Domine mi, Moyses, prohibe illos. At ille : Quid, inquit, æmularis pro me? etc. *Num.* 11. 28. 29.

(Abisai voluit amputare caput Semei maledicentis David, a persecutione Absalom fugienti : sed non permisit David, ut aliquid mali inferretur illi). 2. *Reg.* 16. 9. *et seq.*

(Filii prophetarum coegerunt Eliseum, ut mitteret viros ad quærendum Eliam, ne forte Spiritus Domini projecisset) eum in unum montium, aut in unam vallium. 4. *Reg.* 2. 15. *et seq.*

(Jonas fugere voluit a facie Domini, quando præcepit ei prædicare Ninivitis). *Jonæ* 1. 3. (Sed postmodum doluit, cum vidit civitatem non ruere, uti prædixerat). *c.* 4. 1. *et seq.*

(Cum ostendisset Dominus discipulis, oportere se multa pati a principibus Judæorum, et occidi); Petrus cœpit increpare illum, dicens : Absit a te, Domine : non erit tibi hoc. *Matth.* 16. 21. (Sed vide responsionem Christi). *v.* 23. *Item Marc.* 8. 32. 33.

(Plus Pharisæi zelabant pro auro templi quam pro ipso templo; et plus pro donis altaris, quam pro ipso altari). *Ibid.* 23. 16. *et seq.*

(Sic et Pharisæi zelabant, videntes discipulos Christi spicas vellentes die sabbati, et manibus confricantes). *Marc.* 2. 23. *et seq. Item Matth.* 12. 2. *et seq. Luc.* 6. 1. *et seq.*

(Rursus plus zelabant pro traditionibus suis, quam pro divinis mandatis). *Ibid. c.* 7. *per totum V. de hoc et totum cap.* 15. *Matth. Item Luc.* 11. 38.

(Oblati sunt Domino parvuli, ut manus eis imponeret et oraret) : discipuli autem comminabantur offerentibus. (Jesus autem ait) : Sinite parvulos venire ad

me, etc. *Ibid.* 10. 13. 14. *V. Matth.* 19. 13. 14. *Luc.* 18. 15. 16.

(Cum effudisset Maria pretiosum unguentum super caput Domini, quidam discipuli indigne ferebant, et fremebant in eam, de perditione unguenti). *Ibid.* 14. 3. *et seq. Item Matth.* 26. 7. *et seq. Luc.* 7. 37. *et seq. usq. ad fin. capitis. Joan.* 12. 3. *et seq.*

(Joannes Apostolus prohibuit quemdam ejicientem dæmonia in nomine Domini Jesu, eo quod non sequebatur eos cum aliis discipulis). Et ait ad illum Jesus : Nolite probibere : qui enim non est adversum vos, pro vobis est. *Luc.* 9. 49.

(Audientes Jacobus et Joannes Samaritanos non recepisse nuntios Domini, dixerunt) : Domine, vis, dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos? Et conversus (Dominus) increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis, etc. *Ibid. v.* 54.

(Multum zelabant Pharisæi pro observatione Sabbati, dum videbant Dominum die illo curantem infirmos). *Ibid.* 13. 14.

(Arguit Dominus Petrum, qui amputaverat aurem servo principis sacerdotum, eo quod tunc non erat tempus potentiæ exhibendæ). *Ibid.* 22. 50. *V. præcipue Matth.* 26. 51. *et seq. Item Joan.* 18. 10. 11.

(Discipuli Joannis Baptistæ indiscrete zelaverunt contra Christum), et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem — ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. *Joan.* 3. 26. (Joannes autem optime respondit, et reprehendit eos). *v.* 27. *et seq.*

(Cum afferrentur de civitatibus vicinis multi infirmi, et a Petro curarentur); exurgens — princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant — repleti sunt zelo, etc. *Act.* 5. 17. *V. v.* 7. 54. *et seq.*

(Videntes Judæi, quod pene universa civitas convenerat audire verbum Dei, quod Paulus et Barnabas prædicabant), repleti sunt zelo, et contradicebant iis, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. *Ibid.* 13. 45.

(Paulo Apostolo dixerunt fratres) : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis : (sed putant te contra Moysen docere; et ideo adhærere tibi nolunt, et persequuntur te, etc.) *Ibid.* 21. 20. *et seq.* (De his vero inquit Paulus in Epistola sua ad Rom.) *cap.* 10. 2. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, etc. (Et quidem talis æmulator fuit ipse Paulus ante conversionem). *V. Act.* 22. 3. *et seq. Item c.* 8. 3. *et c.* 9. 1. 2. *et c.* 26. *v.* 5. 9. 10. 11. (De se quoque confitetur Paulus) . Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo : quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, etc. *Galat.* 1. 13. *V. reliquos versus hujus capitis. Item* 1. *Cor.* 15. 9. 1. *Tim.* 1. 13.

Æmulantur vos non bene ; sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini, etc. *Ibid.* 4. 17. *V. v.* 18.

FINIS


INDEX
THESAURI BIBLICI

A

N

T




BIBLE. French. Trochon edition.
La Sainte Bible.
BS
230
.T7
v.26

